



V
B J
C
3
V ATLASY


Biblioteka Jagiellońska
1002970899

ATLAS MAIOR,

SIVE

COSMOGRAPHIA BLAVIANA,

QVA

SOLVM, SALVM, COELVM,

ACCVRATISSIME DESCRIBVNTVR.

Hyacinthi Łopacki CRC.



LECTOR BENEVOLE,

ECCE TIBI

GEOGRAPHIAM

NOSTRAM,

QVÆ SOLI EST DESCRIPTIO,

QVANTVM

IN RE NVMQVAM SATIS PERFICIENDA

FACERE POTVIMVS,

NVMERIS SVIS ABSOLVTAM,

DVDVM PROMISIMVS, TANDEM DAMVS,

CVM BREVI

ET AD TERRÆ COGNITIONEM NECESSARIA

INTRODVCTIONE:

MOX HIS ADDAM

RELIQVAS

COSMOGRAPHIÆ

PARTES,

NIMIRVM

COELI & SALI

DESCRIPTIONEM

AC

TABVLAS;

HARMONIAM

MACROCOSMICAM,

SEV

HYPOTHESES

TAM VETERVM QVAM RECENTIORVM

DE

OMNIVM ORBIVM TOTIVS VNIVERSI

CONSTRVCTIONE,

NEC

NEC NON

VRANOMETRIAM;

THEORIAS PLANETARVM;

ET VERAM

GLOBI TERRESTRIS

MAGNITVDINEM

PER PEDES RHYNLANDICOS,

EX ACCVRATISSIMA

HOLLANDICI LITTORIS

A NOBIS FACTA DIMENSIONE

SVPPVTATAM:

QVIBVS ABSOLVTIS

SEQVETVR

ORBIS ANTIQVVS,

TVM VETERIS, TVM MEDII ÆVI,

SACER ET PROFANVS.

OMNIA HÆC ICONIBVS,

ICONES DESCRIPTIONIBVS ILLVSTRABIMVS.

MAGNA, VT VIDES LECTOR, DAMVS,

NON MINORA, VT AVDIS, PROMITTIMVS;

TV DATIS FRVERE,

ET

EXPECTA PROMISSA,

EADEM DILIGENTIA

NEC MINORI PROMPTITVDINE

PRÆSTANDA,

SI DEVS VITAM MIHI,

AVT FILIIS ANIMVM,

IISDEM TIBI INSERVIENDI LABORIBVS,

SVPPEDITAVERIT.

HÆC VOLVI TE SCIRE ET SALVERE

TVVS

IOANNES BLAEV.

GEOGRAPHIA,

QVÆ EST

COSMOGRAPHIÆ BLAVIANÆ

PARS PRIMA,

QVA

ORBIS TERRÆ


TABVLIS

ANTE OCVLOS PONITVR,

ET

DESCRIPTIONIBVS

ILLVSTRATVR.



AMSTELÆDAMI,

Labore & Sumptibus

IOANNIS BLAEV,

MDCLXII.

LEOPOLDO,

DIVINA

FAVENTE

CLEMENTIA,

ROMANORVM

IMPERATORI

SEMPER

AVGVSTO;

GERMANIÆ,

HVNGARIÆ,

BOHEMIÆ,

DALMATIÆ,

CROATIÆ,

SCLAVONIÆ, &c.

REGI;

AR-

ARCHIDVCI

AVSTRIÆ;

DVCI

BVRGVNDIÆ,

STYRIÆ,

CARINTHIÆ,

CARNIOLÆ,

WIRTENBERGÆ;

COMITI

TYROLIS, &c.

PARENTIS SVI

SVOSQVE LABORES

GEOGRAPHICOS,

HVMILLIME OFFERT

JOANNES BLAEV,

AMSTELÆDAMENSIS.

AVGVSTISSIME

IMPERATOR,

IN omnibus ferme rebus, quæ aut corporis se, aut animi nostri oculis offerunt, non obscure deprehendimus eminentiam aliquam, non in genere tantum aut universim, sed in singulis etiam speciebus, ad eminentissimæ Majestatis suæ exemplum statuisse incomprehensibilem omnium earundem rerum Conditorem: adeo ut non in cœlestibus hoc minus quam in terrestribus, in animatis quam in non animatis corporibus, imo & in ipsis lapidibus, metallis, elementis, maximeque in Orbis Terrarum partibus obtinere, indubitatis evinci demonstrationibus queat. Ea permoti sententia Geographorum præcipui, Excellentissimæ universi orbis Europæ non præeminentiam tantum illam, sed quasi principatum ac dominationem aliquam in reliquas partes videntur attribuisse, audaci quidem, sed non paucis nitente rationibus judicio. Eam quippe esse, receptissimum est, cujus velut ex uberrimo fonte omnia studiorum, artiumque tum liberalium, tum mechanicarum genera emanarunt. Eam, cujus armis,

armis, inſtitutis, commerciis ferociſſimæ quæque gentes domitæ ſæpe atque imbutæ, nunc etiam in ſocietate continentur, omnibuſque ad cultiorem vitam neceſſariis rebus inſtruuntur. Eam, in qua vel ſolâ, cum reliquæ virtutes omnes, tum præcipuè earundem omnium nutrix & conſervatrix Iuſtitia maximo in honore & pretio habetur. Eam denique, in qua ſanctiſſimus æterni Dei cultus, & ſalvifica unici Redemptoris noſtri cognitio non obſervantur tantum religioſiſſime, ſed & in remotiſsimas orbis partes non minore cum fructu, quam laboribus atque periculis diffunduntur.

In hac Tu non minorem ſupra omnes Chriſtiani orbis Principes, quam illa ſupra alias totius orbis partes, ſortitus eminentiam, in eo concordibus omnium Electorum ſuffragiis, & univerſi Imperii Romani votis poſitus es faſtigio, quod jam ſoli Auguſtiſsimo ſanguini Tuo deberi, continuata feliciſsime in tertium uſque ſeculum ſucceſsio comprobavit. Adeo ut non ſine fato accidiſſe exiſtimandum ſit, Natalis Tui eminentiæ datam fuiſſe eam dignitatem, quæ vel extra Domum regnatricem genito, ſolo virtutum Tuarum reſpectu, attribuenda erat. Admirabili certe tam diverſarum & oppoſitarum ſibi ſæpe qualitatum in una perſona conjunctione, idque in ea ætate, in qua cum reliqui mortales ne priva-

tis

tis quidem rebus ſuis adminiſtrandis pares habentur, Tu ſolus, & quidem, abſque exemplo, ab Eminentiſſimo & Prudentiſſimo univerſi orbis Collegio dignus judicatus es, qui præter hereditariorum tot regnorum, Provinciarum, Principatuum, debito ſucceſſionis jure ad Te devolutorum, vaſtiſsimi etiam Romani Imperii habenas capeſſeres. Sed jam dudum ex Auguſtiſsimorum Majorum Tuorum ipſiuſque Cæſareæ Majeſtatis Tuæ geſtis compertum eſt, nihil ab invictiſsimæ AVSTRIACÆ Gentis Principibus, nihil à Majeſtate Tua exſpectandum eſſe, niſi quod omnium admirationem excitet, omnium expectationem ſuperet. Quare nec mirum eſt ſi his aliiſque rationibus mota, ſi auſpicatiſsimis Tuis in Turcam expeditionibus invitati, ſi dulcedine juſtitiæ & clementiæ Tuæ allecti, plurimi adjacentes populi Tuo adjungi Imperio, Tuo ſubjici regimini ardentiſsimis votis exoptent. Eadem & ego clementia Tua & benignitate fretus, hanc univerſi orbis deſcriptionem à parente meo Guilielmo Blaeu inchoatam, à me non ſine ſummis laboribus & ſumtibus, huc uſque perfectam, non dubitavi Tuo, Auguſtiſsime Imperator, eminentiſsimo Nomini inſcribere, indignum poſſe videri ratus, cum ſingula ſuis quibuſque Regibus, Principibus aliiſque qualiſcunque nominis Magiſtratibus, regna,

gna, provincias, civitates attribuerem, ſi non in ipſo univerſi Operis principio, omnium Regnantium Principis tituli conſpicerentur. Acceſsit quod cupienti mihi qualicunque publico teſtimonio obſequium meum Cæſareæ Majeſtati Tuæ demonſtrare, nihil inveniri à me potuerit hac deſcriptione amplius atque dignius, nihil cujus patrocinium ac tutela rectius illi mandaretur Dextræ, cujus auſpicatiſſimis armis non infima Chriſtiani orbis pars contra vim Ottomannicam, & violentos Infidelium conatus defenditur. Eam ut porro prudentiſſimis Tuis conſiliis, fortiſſimis expeditionibus, & proſperrimis ſucceſſibus, in Chriſtianæ fidei gloriam, defenſionem ac propugnationem fovere, tueri, & extendere continues devotiſsimo animo adprecor. Ex Muſæo noſtro IX Iunii 1662.

CANDIDO LECTORI SALVTEM.

BENEVOLE LECTOR,

Non malè illi mihi calculum poſuiſſe videntur, qui Hiſtoriam oculum prudentiæ civilis; Geographiam vero oculum & lumen Hiſtoriæ vocant. Nec enim res vel magnæ vel parvæ geri poſſunt, ſine loco, nec loca terrarum diſtincte cognoſci, ſine Geographia. Habet ſuum in hiſtoria momentum perſonarum cognitio, habet temporis, habet quoque loci. Si Thermopylas neſcis, fruſtra Lacedæmoniorum cum Mardonio pugnam legis; ſi Arbelas, cœcutis in Curtio; ſi Actium promontorium, hæres circa Actiacam victoriam; ſi campos Catalaunicos, neſcis, ubi cæſus fuerit ab Aëtio Attila. Bellum gerentibus ſciendum omnino, quo duci poſſit exercitus, ubi commoda caſtrametatio, ubi inſidiæ locorum oportunitate ſtrui, ubi evitari prudenter queant. Nec alia occaſione à Thomyri, Scythiæ Regina, ad internecionem fuſus fuit Cyrus, quam loci ignorantia. Non ob aliam cauſam adverſus Parthos infeliciſſime pugnavit Craſſus, feliciſſime ubivis terrarum Cæſar, quam quod ille locorum, quà copias ſuas duxit, fuerit imperitus, hic peritiſſimus. Et quomodo, ſine Geographiæ cognitione, res, quas domi negavit natura, ex diſſitis longe regionibus, maria ultra & terras, peti poſſunt, niſi

Orientis & Occidentis, Continentis ac Inſularum ſitum poſitionemque perſpectam habeamus? Vt ſimul & ad gloriam & vitæ humanæ felicitatem, commodaque, viam ſtraviſſe, Geographia putanda ſit. Niſi fluminibus, montibus, fretis, iſthmis, mari diſcernerentur imperia, quis bellorum finis, quis imperiorum terminus? Ambitioni ſuæ modum ponit Princeps, qui regni ſui fines à Geographis potius, quàm ab illa ipſa ambitione, dominandi magiſtra, diſcere ſatagit. Qui cœlos ſcrutantur, reſpondentes illis in terra circulos, zonas, climata inveſtigare neceſſe habent, nec dierum, ac noctium diſcrimina, ortus & occaſus ſiderum rectos & obliquos recte expediverint, niſi ex cœli ad diverſas terræ plagas relatione, ac intuitu. Medicus, ut medicinam faciat, non omnem omnibus terræ regionibus convenire ex Hippocrate diſcet; nec eandem eſſe ubique herbarum, ſtirpium, ſeminum, animalium, venenorum vim ac indolem. Theologus rerum creatarum amplitudinem, peregrinationes Abrahami, Salomonis in Ophir profectionem, Pauli per Aſiam & Europam iter, Patriarcharum, Prophetarum, Chriſti Servatoris, Apoſtolorum, habitatione, oraculis ac miraculis celebria loca, in Geographorum tabulis quærit & invenit. Quæ omnia & ſingula clariſſime docent, quanta ſit Tabularum Geographicarum neceſſitas & utilitas. Harum ope adjuti, quæ foris ſunt & procul poſita, domi ante oculos videmus: montes invios tranſcendimus, maria fluminaque ſine periculo trajicimus: & abſque viatico orbem omnem peragramus; iterque ab Occidente in Orientem, à Septentrione in Auſtrum, celerrimo oculorum

lorum

lorum jactu animique motu conficimus. Et quid magis volupe? quam Regum, Principum, Ducum, regna ditionesque coram intueri: urbium pagorumque situs, distantiasque nosse: flumina, portus, sinus, promontoria terrarum observasse: singularum adhæc regionum, & populorum indolem, mores,

Et quid quæque ferat regio, & quid ferre recuset,

ex tabulis & adjunctis descriptionibus perspexisse. Orbi terrarum Tabulas dederunt Veteres, dederunt Novi ac recentiores Geographi. Inter veteres post Hipparchi & Marini Tyrii opera, facem præfert nobis Cl. Ptolemæus, cujus nisi juvaremur laboribus, in tenebris versaretur etiamnum & alta caligine Geographia. Inter recentiores non exiguam hisce studiis laudem meruerunt Abrahamus Ortelius & Gerardus Mercator, ille Regis Hispaniarum, hic Cliviæ Ducis Geographus: quos veluti duces secuti sunt viri doctissimi Guil. Camdenus, Ioh. Antonius Maginus, P. Merula, P. Bertius, Philippus Cluverius, aliique. Horum exemplis excitatus pater meus Guilielmus, eundem terrarum Orbem orbi dare decreverat, sed tum aliorum negotiorum motu distentus, tum operis magnitudine deterritus distulit; sed ego ex Italia redux cum eo rem arduam suscepi, junctisque laboribus Atlantem duobus voluminibus procudimus: exhibebat is tabulas plerasque novas, veteres autem & antea editas ex certiore notitia plurimis in locis auctiores correctioresque. Religio quippe erat ab autoribus recedere, aut illorum nomina celare. Ideoque suum cuique honorem sartum tectum, & labores intactos relinquere maluimus, quam sine gravi causa quicquam mutare.

mutare. imprimis illorum fugientes audaciam, qui aliena pro ſuis venditant. Iiſdem poſt parentis obitum inſiſtens veſtigiis, Italiam, Angliam, Scotiam, & Sinas illius addidi laboribus. Poſtmodum vero majora animo volvebam, integram ſcilicet Coſmographiam, quam à Terra auſpicatus GEOGRAPHIAM omnibus ſuis numeris, quantum in re numquam ſatis perficienda fieri poterit, perfectam, undecim comprehenſam voluminibus offero; nimis enim diu deſiderium Lectorum fallam, ſi totius operis COSMOGRAPHICI perfectionem tædioſe expectare jubeam; plurimis enim conſtabit voluminibus. Quæ propediem expectabis, mi Lector, hæc ſunt; HARMONIA MACROCOSMICA, quæ agit de Mundi fabrica, Orbium Cœleſtium diſpoſitione, Terræ loco, forma, magnitudine à nobis ad pedes Rhijnlandicos diligentiſſima dimenſione redacta, ac tabulis, demonſtrationibus & deſcriptionibus illuſtrata. HYDROGRAPHIA, ſive pars telluris maritima, & OVRANOGRAPHIA. fulgebit hæc ſyderum ſingulorum imaginibus ex Tychonis Brahe, quem parens meus audierat Magiſtrum, accuratiſſimis obſervationibus. Quod ſi qui patriam ſuam & natale ſolum, cujus amore ſinguli vehementius tenemur, in hoc opere quærant, nec inveniant: aut accuratiorem ejus plenioremque delineationem exigant; eos perhumaniter rogamus, ut tabulas, obſervationes, ac deſcriptiones, ſi quas habent proprias ac ſingulares, ad nos tranſmittere dignentur, ſuamque ad Geographiæ Tabularumque perfectionem ſymbolam conferre. Vti enim unius non eſt, terras omnes luſtrare, ita nec deſcribere ac delineare. Quod ſi alicujus obſer-

observationibus & curis contingat nos juvari, illius nomen publice celebrabimus, nec grave erit fateri, per quem senserimus nos profecisse. Tabulas singulas descriptione modo luculentiore, modo breviore illustravimus, in qua regionis cujusque termini, soli indoles, populi mores, Principes, flumina, montes, sylvæ, aliaque, quo fieri potuit compendio, indicantur. Tu, benigne Lector, fruere laboribus nostris, & sicubi vel in Tabulis vel explicationibus quid desideres, cogita, facilem esse in eorum locorum, quæ ipse non videris, descriptione lapsum, nec ullibi digniorem esse veniam; si modo minime mirum est, hominem non omnia humana novisse. Vale. E Typographejo nostro, ipsis Kalendis Ianuariis MDC LXII.

IOANNES BLAEV.

IN GEOGRAPHIAM BLAVIANAM.


CLauditur angustis Terrarum machina chartis,
Et faciem mundi parva papyrus habet.
Contrahit expansos hominum solertia fines,
Quæque patent spatiis grandibus, arcta notat.
Incubat in Vestam Nereus, in Najada Faunus.
Areaque adversos continet una Deos.
Sol oritur, tabulisque iterum demergitur istis.
Et Zephyros lævà respicit Ursa suos.
Discordes coïere plagæ. nec prælia gentes,
Aut posita Mavors casside bella gerit.
Dissideant quamvis populi, non dissidet insons
Pagina, nec diro sanguine charta madet.
Ambulat hîc profugo placidus latrone viator,
Et sicco tumidas tramite calcat aquas.
Dumque domi est, Rhodopen & celsas transilit Alpes,
Et procul ingenio liberiore ruit.
Cuncta videt. scriptumque vigil dum permeat orbem,
Hinc hominum curas suspicit, inde Dei.
Æquora portari manibus miratur & urbes,
Et mundum digito totaque regna geri.
Atque ait: illa Deus fecit, manus æmula sculpsit,
Mens stupet, extrudit venditor, emtor habet.
Non solum nunc terra Ducum est. pervenit ad omnes.
Tot precio terras jam quoque pauper emit.

CASPAR BARLÆVS.

INTRODVCTIO AD GEOGRAPHIAM.

CAPVT I.

De discrimine inter Cosmographiam, Geographiam, & Chorographiam.



MVndum, quo omne id quod oculis conspicuum est, nempe Cœlum & Terra comprehenditur, Græci dixere κόσμον; ejusque descriptionem κοσμογραφίαν. Hujus partes duæ sunt, *Astronomia* & *Geographia*. *Astronomia* est descriptio Cœlorum & corporum cœlestium, tum & diversorum, qui in illis observantur motuum: aut, ut brevius dicam, proponit & explicat omnia quæ in cœlo sunt conspicua: *Geographia*, hoc est, descriptio terræ, exponit totius terræ situm in genere, & præcipuarum ejus partium in specie, quales sunt Regiones, Regna, celebriores Vrbes, Maria, Fluvii; famosa Promontoria, Insulæ; idque tam quoad situm, quem inter se mutuo, quam quem habent cum circumfuso undique cœlo. GEOGRAPHIA rursum distinguitur in duas partes, nempe CHOROGRAPHIAM & TOPOGRAPHIAM. Quæ quidem vocabula etsi eandem habeant significationem, plerumque tamen per *Chorographiam* intelligitur descriptio particularis cujusdam regionis, ut Hispaniæ, Italiæ, Germaniæ, &c. cum omnibus Vrbibus, Pagis, Sylvis, Montibus & Fluviis ea contentis, sine respectu regionum conterminarum, aut totius terræ ambitus: per *Topographiam* vero propria & particularis descriptio partium Chorographiæ, ut Vrbis cujusdam, Pagi, Arcis, Turris, aut alterius particulæ, in qua vel minimarum rerum exacta habebitur ratio.

Cosmographia quid. *Astronomia.* *Geographia.* *Chorographia.* *Topographia.*

CAPVT II.


De Mundi Systematibus.

De Centro Mundi.


INter Cosmographos duplex reperitur sententia de centro Mundi & motu corporum cœlestium. Aliqui terram in centro Mundi ponunt immobilem, & Solem cum omnibus stellis, tam fixis, quam erraticis, circa eum rotari in orbem. Alii Solem statuunt in centro Mundi quiescentem, & terram cum Planetis aliis circa eum verti: sphæramque stellarum fixarum prorsus immobilem.

Iuxta sententiam Ptolemai, &c.

Qui priorem sententiam sequuntur cum *Ptolemæo*, dividunt Mundum in duas regiones, elementarem scilicet & cœlestem. Elementaris regio, perpetuis mutationibus obnoxia, è quatuor constat partibus, Terra, Aqua, quæ simul cum terra unum facit globum, in quo habitamus; Aëre, qui terram & aquam amplectitur; & Igne, qui, ut opinantur, occupat spatium inter aërem & orbem Lunæ. Cœlestis & superior Regio (inferiorem intra concavitatem suam comprehendens) pellucida est & fulgida, omnis mutationis expers, dividiturque in octo diversas sphæras, quæ cœli dicuntur, quarum major minorem sphæricè ambit ac continet, prout videre est in adjecto schemate. Septem ex his sphæris unam tantum habet stellam, quæ *Planeta* dicitur; & prima aut terris proxima est sphæra ☽ Lunæ, secunda ☿ Mercurii, tertia ♀ Veneris, quarta ☉ Solis, quinta



♂ Martis , sexta ♃ Iovis , septima ♄ Saturni. Octava autem sphæra continet omnes stellas fixas. Numerus diversorum cœlorum cognoscitur ex diversitate motuum , qui in illis observantur circa Polos Zodiaci. Luna cœlum suum percurrit proprio & naturali motu ab occidente versus orientem intra dies 27, horas 8. Mercurius , Venus & Sol suam sphæram absolvunt intra annum unum naturalem. Mars duobus annis ; Iupiter duodecim; Saturnus triginta. Sphæra stellarum fixarum motum suum perficit annis 25400. Omnes autem illæ sphæræ simul intra 24 horas circa polos & axem Mundi circumvolvuntur ab ortu ad occasum, per sphæram *nonam,* aut,ut alii volunt,*decimam,*ut nonnulli,*undecimam,*quæ *primum mobile* dicitur. Per quem motum dies & nox , ortus & occasus siderum , oculis nostris offeruntur conspiciendi.




Sententia Copernici.

Qui alterius sunt sententiæ, quam olim Pythagoræi , Aristarchus Samius, aliique, diu ante ætatem Aristotelis, Hipparchi ac Ptolemæi, tenuerunt , quamque ante


ante annos circiter 100 in ſcenam denuo produxit Nicolaus Copernicus, & hodie quoque præſtantiſſimi quique Mathematicorum ſequuntur; Solem (tanquam animam Mundi & rectorem univerſi, à quo Terra & omnes Planetæ lumen ſuum mutuantur) ponunt in centro Mundi immobilem, juxta ſchema appoſitum: Mercurium vero in ſphæra prima, ſeu Soli proxima, intra 80 dies curſum ſuum ab occaſu in ortum conficere, & Venerem in ſecunda ſphæra curſum ſuum menſibus novem. Terram (quæ iis luminare mundi, aut planeta eſt, ut alii) ajunt in tertio cœlo ſimul cum Luna (quæ circa terram tanquam in Epicyclo movetur, ſpatio dierum 27, horarum 6) intra annum naturalem unum, periodum conficere circa Solem, per quam diſcernuntur tempeſtates anni; ut Ver, Æſtas, Autumnus, Hyems. Præter motum annuum adſcribunt terræ converſionem diurnam circa proprium axem ab occaſu in ortum, per quam ſingulis 24 horis omnibus ſuis partibus ſemel ad Solem & à Sole mota, incolis univerſis diem adfert & noctem. In cœlo quarto Mars abſolvit ſuum curſum intra annos duos; in quinto Iupiter annis 12, in ſexto Saturnus annis 30. Longè ſupra cœlos Planetarum collocant ſphæram ſtellarum fixarum omni motu carentem.

Ex diſſentientibus hiſce inter ſe hypotheſibus Tycho Brahe aliam, aliam poſt hunc Andreas Argolus invenerunt, quas etiam hoc loco apponere operæ pretium putavi; uterque tamen terram cum Ptolemæo in centro univerſi locum obtinere ſtatuunt, ut ex adpoſitis figuris, & brevibus deſcriptionibus cognoſcere licet.



In hoc Tychonis Syſtemate Centrum Terræ eſt Centrum Firmamenti, ſeu Cœli extimi, & luminarium: orbes enim Firmamenti, Lunæ, & Solis ſunt homocentrici, id eſt, idem Centrum retinentes, quod Centrum terræ; reliqui quinque Planetæ, Saturnus, Iupiter, Mars, Venus, Mercurius retinent Solem pro Centro, orbeſque eorum ſunt eccentrici reſpectu centri terræ, & homocentrici reſpectu Solis. Mercurius & Venus in eodem orbe ac cælo ſiti ſunt, quo Sol, affixique orbiculis immerſis in craſſitie deferentis Solis, ut conſpicitur. Mars quando eſt Achronicus in oppoſito Solis reperitur ſub Sole, & Terris vicinior, quod ex Parallaxi, aliiſque obſervatum eſt.

Quar-



Iuxta mentem Argoli.

Quartum Systema Andreas Argolus excogitavit, de quo ipse sic fatur: In hoc nostro Systemate constituitur Cœlum extimum, & primum, supra Firmamentum, seu Cœlum stellatum; sub Firmamento per ordinem, Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna: post Lunam subsequuntur elementa, Aër, Aqua, & Tellus excluso Igne. Retinent omnes Tellurem pro Centro, præter Venerem, & Mercurium, qui habent pro Centro Solem.

Si primum Cœlum constituatur immobile; & Firmamentum, ac Planetas moveri ex Occidente in Orientem; Terramque in Centro universi quoad locum immobilem omnino; verum circa seipsam diurno motu circumvolventem; apparentiæ eædem prorsus contingent omnium Astrorum ex Oriente versus Occasum spatio horarum vigintiquatuor, ac si moveatur Primum Cœlum; exclusis aliis Copernici Telluris motibus, ut Sacræ Scripturæ repugnantibus.

Prodiit nuper Iacobi cujusdam Cocceji epistola, de Mundi quæ circumferuntur Systematis, & novo alio illis certiore, Dialogismum paradoxum complexa. Hæc sunt illius verba. In illa, inquit, neque Solam Terram, neque Solem unquam fuisse Mundi visibilis centrum. II. Neque Solem circa Terram, neque Terram circa Solem sive annuo sive diurno rotari motu. III. Sed tria revolutionum cœlestium statuit centra; primum Solis, quod ille certis legibus adstrictus ambit, circellum describens; alterum Lunæ, circa quod sua ratione, ut Sol circa suum sua, ambulat; tertium inter utrumque, Solis scilicet & Lunæ, medium, omnibus cæteris planetis commune. Centrum stellarum fixarum idem est quod & Lunæ, ipsum terra seu elementari mundo conspicuum.

Quænam vero ex illis opinionibus sit veritati consentanea, & cum genuina mundi dispositione conveniat, hoc loco nolumus decernere, sed rerum cœlestium peritis relinquimus disquirendum. Et quamvis juxta hypothesin Copernicanam Terra se annuatim circa Solem moveret in circulo, cujus diameter foret 2000000 milliarium Germanicorum; & Sphæra Fixarum in tantum pateret, ut diameter orbis terræ circa Solem ad illam sensibilem non haberet proportionem: inter hanc tamen & priorem sententiam, quæ Terram ponit in centro Mundi (ut & circa apparentes ortus & occasus corporum cœlestium, mutationem dierum ac noctium, & quæ inde dependent) non est sensibilis discrepantia. Sed quia Hypothesis Ptolemaica, quæ innititur Terræ immobili, cum sensu Sacræ Scripturæ convenit, & communiter probabilior videtur, nec non facilior intellectu, & jam per tot secula ab omnibus recepta est; introductionem nostram ad illam tantum, aliis omissis, dirigemus.

CAPVT III.

De Sphæra Cœlesti ejusque distributione.

PRimo attribuitur ſphæræ Axis tranſiens per centrum globi terreni, & utrinque uſque ad cœlum ſtellarum fixarum extenſus, circa quem totum cœlum intra 24 horas motu primi mobilis circumvolvitur. Extrema Axis puncta, vocantur Poli Mundi, quia totus mundus circa ea convertitur. Vnum dicitur Polus Arcticus ἀπὸ τ ἄρκτε ab *Vrſa* ſidere vicino, alterum Polus Antarcticus, quaſi Arctico oppoſitus.

Axis.

Poli.

Polus Arcticus, alias *Borealis* dictus à vento Borea, qui ex illa mundi plaga ſpirat, eſt iſte, qui habitantibus in ſeptentrionali Mundi hemiſphærio, ut nobis, conſpicuus eſt, & ſupra horizontem attollitur. Antarcticus, ſeu Auſtralis, à vento Auſtro, eſt qui in Boreali noſtro hemiſphærio nunquam cernitur, ſed perpetuo latet depreſſus ſub Horizonte. Quod ut certius capias reſpice ſchema appoſitum, in quo T indicat terram, linea H L Axem mundi per terram extenſum uſque ad fixas, H Polum mundi Boreum ſeu Arcticum, L Auſtrinum ſeu Antarcticum.

Arcticus.

Antarcticus.

Secundo, dividitur ſphæra diverſimode per circulos varios, ſed præcipue per octo; quatuor nempe majores, & quatuor minores. Circuli majores dicuntur illi, quorum centra eadem ſunt cum centro ſphæræ, & quæ per medium ſphæræ ambitum ducti, tam illam, quam ſe mutuo in duas ſecant partes æquales: nempe Æquinoctialis, Zodiacus, Horizon, Meridianus, & Coluri. Circuli minores vocantur illi, quorum centra non conveniunt cum centro ſphæræ, quique eam ſecant in duas partes inæquales, ut duo Tropici, & circulus Arcticus atque Antarcticus circa Polos.

Circuli majores.

Circuli minores.

Quinque ex iis circulis dicuntur rurſus recti ſeu paralleli, quia eoſdem cum ſphæra habent Polos, & æqualiter undique à ſe mutuo diſtant, ut ſunt Æquinoctialis, duo Tropici, & duo Polares: tres reliqui vocantur obliqui, quia eorum poli non coincidunt cum polis ſphæræ, ſed diverſimode ab illis recedunt.

Circuli Paralleli.

Circuli obliqui.

CAPVT IV.

De Circulis majoribus.

Circuli immobiles.

CIrculorum maximorum alii ſunt fixi & immobiles, alii mobiles. Immobiles dicuntur, qui eundem ſemper locum in ſphæra retinent; ideoque in ſuperficie globorum cœleſtium ac terreſtrium delineantur, nempe Æquinoctialis, Zodiacus & Coluri. Mobiles vocantur, qui non retinent eundem ſitum in ſphæra, ſed varie permutantur, prout locum variamus in ſuperficie Terræ; ideoque extra globos & ſphæras concipiuntur, ut ſunt Meridianus & Horizon, quos omnes ordine jam deſcribemus.

Mobiles.

Æquinoctialis.

Circulus Æquinoctialis, Græcis Ἰσημερινός, quaſi Æquidialis, quinque Parallelorum eſt maximus, in medio cœli ad eandem undique à Polis diſtantiam, dividens ſphæram in duas partes æquales, quarum una tendit in Boream, altera in Auſtrum. Dicitur Æquinoctialis, quia quando Sol ad eum ſe applicat, dies noctibus æquantur per totum orbem Terrarum. Id fit bis in anno: circa 20 diem Martii, quando Sol intrat principium Arietis, quod dicitur Æquinoctium Vernale; & circa 22 diem Septembris, quando is ingreditur initium Libræ ſeu Æquinoctium Autumnale. Eandem ob cauſam idem circulus alio nomine vocatur *Æquator*.

Zodiacus.

Zodiacus circulus, unus è maximis, inclinatur ad utrumque Mundi Polum, unde & circulus obliquus dicitur, ab Æquinoctiali ad diſtantiam graduum 23, min. 31, tam in Boream, quam in Auſtrum, interſecans Æquatorem, in duas partes æquales, & ab eodem in punctis Æquinoctiorum, nempe initio Arietis & Libræ pari modo ſectus. Dividitur in partes æquales duodecim, & earum ſingulis aſſignatur unum ſignum; quorum ſignorum characteres & nomina ſunt hujuſmodi:

♈ *Aries*, ♉ *Taurus*, ♊ *Gemini*, ♋ *Cancer*, ♌ *Leo*, ♍ *Virgo*,
♎ *Libra*, ♏ *Scorpius*, ♐ *Sagittarius*, ♑ *Capricornus*, ♒ *Aquarius*, ♓ *Piſces*.

Tria priora ♈♉♊ incipiunt cum ♈ ab Æquinoctio Verno, ſcanduntque ab Æquatore in Boream. Tria ſequentia ♋♌♍, incipiunt cum ♋ deſcenduntque in Auſtrum uſque ad Æquatorem in Æquinoctio Autumnali. Tria proxima ſigna ♎♏♐, deſcendunt porro ad Meridiem. Tria reſidua ♑♒♓, incipiunt cum ♑ aſcenduntque in Boream uſque ad Æquinoctium Vernale, in principio Arietis. Hunc circulum percurrit Sol intra annum unum naturalem dierum 365, horarum 5, min. 49 circiter, nempe tempore Verno à die 20 Martii in 22 Iunii, ſigna aſcendentia Borealia ♈♉♊ uſque ad *Solſtitium* Æſtivum. Tempore Æſtivo permeat Sol à 22 Iunii ad 22 Septembris, ſigna Borealia deſcendentia ♋♌♍. Inde tempore Autumnali ad 22 Deeembris ſigna deſcendentia auſtralia ♎♏♐ uſque ad *Solſtitium* Hibernum. Reliqua aſcendentia auſtralia ♑♒♓ conficit tempore Hiberno à 22 Decembris ad 20 Martii, donec redierit ad principium Arietis ſeu Æquinoctium Vernale. Quod autem initia Cancri & Capricorni dicantur *Solſtitia*, quaſi Sol in iis ſtaret immobilis, fit ideo, quod Sol ad ea perveniens, aliquot diebus parum aut nihil videtur variare declinationem ſuam ab Æquinoctiali, ideoque hac in parte apparet quaſi immobilis & fixus.

Solſtitia.

Meridianus.

Meridianus ſic dictus, quaſi *Medidianus*, tranſiens per utrumque Polum Mundi, & per punctum cœli directè verticibus noſtris incumbens, Æquinoctialem & Horizontem ſecans ad angulos rectos, dividit Cœlum, ut & Terram in duas partes æquales, quarum una tendit in ortum, altera in occaſum. Vocatur meridianus, ex eo quod cum Sol ſupra Horizontem noſtrum ei ſe applicat, efficiat nobis (ut & omnibus, qui tam verſum Boream, quam verſum Auſtrum degunt ſub eodem Meridiano) medium diem: ut & contra mediam noctem, quando ad eum circulum infra Horizontem noſtrum ſe demittit. Dicitur circulus mobilis, quia quando vel tantillum locum mutamus in ortum aut occaſum, alium atque

alium

alium continuo nanciſcimur Meridianum : adeo ut dicere liceat, numerum Meridianorum eſſe infinitum.

Horizon. Circulus viſum noſtrum circumcirca ad cœlum terminans, Græcis dictus ὁρίζων, Latinis Finitor aut Terminator viſus, dividit cœlum & totam ſphæram in duas partes æquales, unam ſuperam & conſpicuam, alteram inferam & viſui noſtro inconſpicuam. Triplici ille modo conſideratur, *Mathematicè*, *naturaliter*, & *apparenter.* *Horizon Mathematicus.* Horizon Mathematicus, intellectu magis quam oculis comprehenſibilis, dividit cœlum in duas partes præciſè æquales, apparentem nempe & latentem : ejuſque Poli ſunt Zenith & Nadir, id eſt, puncta cœli vertici & pedibus noſtris è directo obverſa, & centrum idem cum centro Terræ. *Horizon naturalis.* Quod autem Horizontis nomine vulgo veniat ſuperficies illa circularis, quæ à viſu noſtro juxta contactum terræ, undique ad cœlum uſque excurrit, idque in duas dividit partes: id magis juxta rei ſenſum, quam veritatem capiendum eſt. Nam propriè & Mathematicè loquendo, circulus iſte non dividit cœlum in partes inter ſe exactè æquales, quia non tranſit per mundi centrum. Et interim, quia diſtantia ſuperficiei terræ à ſuo centro, hoc eſt, ſemidiameter Terræ non eſt tanta, ut ullo pacto obſit, quo minus è ſuperficie Terræ (remotis omnibus impedimentis, ut montium, collium, arborum, &c.) conſpiciatur ipſiſſima cœli medietas, (immo verò qui è monte proſpicit, plus videt quam dimidiam partem cœli) hinc viſibilis iſte circulus ſumitur pro Horizonte, & in diſcrimen *Mathematici*, vocatur Horizon *Naturalis.*

Horizon apparens. Horizon *apparens* ſeu *viſibilis*, dicitur ſpatium Terræ aut maris, quod undique in orbem ab oculis poteſt conſpici & apprehendi : quod ab utraque cœli parte non multò longius extenditur, quam ad duo milliaria communia. Quia enim rotunda eſt Terræ (in planis ſcilicet locis) mariſque ſuperficies ; oculus ſuper eam elevatus, non plus ſpatii poteſt comprehendere, quàm rectæ, quæ ad contactum globi undique ex oculo egrediuntur, abſcindunt : prout notum eſt & exploratum omnibus, qui in diſciplinis Opticis vel leviter modo exercitati ſunt.

Circulus hic mutabilis quoque eſt, non modo ſicut Meridianus, cum in Terra locum mutamus in Orientem aut Occidentem; verum etiam cum recedimus ad Boream vel Auſtrum, aut quamlibet aliam Mundi plagam. Adeo ut quot ſunt in cœlo puncta verticalia, totidem quoque reperiantur Horizontes, hoc eſt, numero infiniti. Quatuor majores circuli, de quibus actum hactenus, in ſuperiore ſchemate ſic denotantur. A A eſt circulus Æquinoctialis medius inter utrumque Polum. B B Zodiacus ad Æquinoctialem obliquus, ita ut eum interſecet in punctis V & X. D D aut G K L M H Meridianus. F F Horizon ejuſque Poli G M.

Coluri. Duo circuli maximi, *Coluri* dicti, interſecant ſe mutuo ad angulos rectos, in Polis mundi : eorumque unus, *Colurus Æquinoctiorum*, tranſit principia Arietis, & Libræ; alter, *Colurus Solſtitiorum*, initia Cancri, & Capricorni, & utrumque Zodiaci Polum ; dividuntque hac ratione Eclipticam in quatuor partes æquales ſeu quadrantes, per dicta quatuor puncta Cardinalia, Arietis, Cancri, Libræ, & Capricorni: quos quadrantes Sol motu annuo perambulans, efficit variationem Tempeſtatum anni, ut *Veris*, *Æſtatis*, *Autumni*, & *Hyemis.* Æquatorem quoque, omneſque circulos, ei parallelos Coluri in quatuor quadrantes dividunt, quia tranſeunt per eorum polos.


CAPVT V.

De quatuor Circulis minoribus.

Tropici. TRopici sunt duo circuli paralleli & æqualiter utrinque distantes ab Æquatore, quorum unus ad Boream, (nobis proximus) dicitur *Tropicus Cancri*, alter ad Austrum, *Tropicus Capricorni*, quia conversione cœli à punctis Zodiaci ab Æquatore maxime distantibus (initio nempe Cancri & Capricorni) describuntur. Sol incedens per Zodiacum nunquam egreditur horum circulorum metas, sed ad hunc aut illum appulsus revertitur denuo ad Æquinoctialem.

Tropicus Cancri, *Tropicus Cancri*, qui & *Æstivus* dicitur, est omnium circulorum, quos Sol conversione cœli diurna describit, Borealissimus: cui quando applicatur Sol, nobis & omnibus in Boreali Terræ hemisphærio degentibus præbet diem longissimam, noctem brevissimam.

& Capricorni. *Tropicus Capricorni* aut *Hibernus*, est omnium circulorum à Sole per motum diurnum descriptorum australissimus; ad quem cum is pervenit, facit nobis diem brevissimam & longissimam noctem.



Duo *Polares* sunt Polis proximi, & in pari distantia, nempe 23 grad. 31 min. ab iis remoti. Qui circa Polum Boreum nobis semper conspicuus versatur, dicitur *Circulus Arcticus*; alter qui describitur circa Polum Austrinum inconspicuus, vocatur *Circulus Antarcticus*. Id videre est in schemate adjecto, in quo IH est Tropicus Cancri tangens Zodiacum GH, in puncto H, ubi maxime recedit ab Æquatore CE. GK Tropicus Capricorni, tangens Zodiacum in puncto G, ubi maximè distat ab Æquinoctiali. LM est Circulus Arcticus circa Polum Borealem A. NO Circulus Antarcticus circa Polum Austrinum B.

CAPVT VI.

De Zonis & variis incolarum terrestrium nominibus.

VEteres Geographi Globum Terræ distribuerunt in *Zonas*, *Climata*, & *Parallelos*. Vt enim Cœlum per quatuor circulos minores, *Tropicum Cancri*, *Tropicum Capricorni*, *Circulum Arcticum* & *Antarcticum*, dividitur in quinque partes, ita Globum Terræ per eosdem circulos, cœlestibus subjectos, & omni ex parte analogos, diviserunt in quinque segmenta, quæ Ζώνας, id est, *fascias* aut *cingula* nominarunt. Prima Zona comprehenditur utroque Tropico, Æquatorque mediam pertransit: secunda Tropico Cancri & circulo Arctico; tertia Tropico Capricorni & circulo Antarctico: quarta includitur circulo Arctico ad Boream: quinta circulo Antarctico ad Austrum. Tres earum, veteres dixerunt inhabitabiles; unam intra ambos Tropicos; eo quod Solem (transeuntem per verticem ibi degentium) radiis suis perpendiculariter ad terram demissis, intolerabilem ibi crede-

credebant excitare æſtum: vocaruntque eam hanc ob cauſam *Zonam torridam*. Duas ad utrumque Polum, Boreum & Auſtrinum, dixerunt *Zonas frigidas*, quia perpetuum iſtic (Sole radiis ſuis obliquiſſimis terram quaſi radente tantum, non eâ rectitudine feriente, ut calorem excitet) horridumque eſt frigus. Reliquas binas, tam intra circulum Arcticum & Tropicum Cancri, quam intra circulum Antarcticum & Tropicum Capricorni, nominarunt *Zonas temperatas*, easque ſolas exiſtimarunt eſſe habitabiles. Verum experientia, optima docendi magiſtra, per longinquas Hiſpanorum, Luſitanorum, aliorumque, navigationes, ſatis oſtendit; non ſolum torridam Zonam variis multisque gentibus ac nationibus habitari; & tam diverſo genere animantium, quam omnigenis fructibus, abundare; ſed & ipſas Zonas frigidas, multis in locis, ſuis quoque incolis non deſtitui.

Zona torrida. *Zonæ frigidæ.* *Zonæ temperatæ.*

Incolas porro Zonarum, veteres pro diverſitate umbrarum corporum diſcreverunt in *Periſcios*, *Heteroſcios*, & *Amphiſcios*. Qui utramque Zonam frigidam inhabitant, dicuntur ab iis Περίσκιοι, quia umbræ corporum ſpatio 24 horarum vertuntur in orbem, ſi quando Sol motu diurno ſupra eorum Horizontem, non occidens, circumvolvitur. Incolas Zonarum temperatarum, nominant Ετεροσκίες, quia umbræ meridianæ ſemper in unam mundi plagam verſus alterutrum Polum tendunt: ſcilicet in Boream, apud eos qui intra Tropicum Cancri & circulum Arcticum habitant; in Auſtrum, apud illos qui degunt intra Tropicum Capricorni & circulum Antarcticum. Inhabitantes denique Zonam torridam, inter utrumque Tropicum, vocant Αμφισκίες, quia diverſis anni temporibus umbræ meridianæ tam in Boream cadunt, quam in Auſtrum, eo quod Sol ab utroque verticis, ſeu Zenith eorum latere incedit. Vmbræ enim, quando Sol eſt in ſignis borealibus, tendunt ad Auſtrum; quando vero in Auſtrinis, ad Boream. Hiſce quidam addunt Aſcios, Macroſcios, Brachyſcios, & Antiſcios.

Periſcii. *Heteroſcii.* *Amphiſcii.*

Aſcii carent umbra meridiana quodam anni tempore; quales ſunt qui zonam Torridam incolunt, aut Tropicis ſubjacent. *Macroſcii*, & *Brachyſcii*, habent umbras meridianas modo longiores, modo breviores: quod licet contingat incolis Temperatæ utriuſque, magis ad ſenſum tamen Torridæ convenit. *Antiſcii* ſunt, qui habent oppoſitas umbras meridianas, ut qui vivunt in oppoſitis Temperatis.

Veteres inſuper pro diverſo habitationum oppoſitarum ſitu, diſtinxerunt incolas Terræ in *Periœcos*, *Antœcos*, & *Antipodes*. quibus alii addunt *Synœcos*. *Periœci* ſunt, qui habitant ſub eodem Parallelo & Meridiano, ſed in diverſis Meridiani ſemicirculis. *Antœci*, qui ſub eodem Semimeridiano degunt, ſed in diverſis Parallelis, uno nempe in tantum Boreali, in quantum alter eſt Auſtralis. *Antipodes*, qui habitant in oppoſitis parallelis, & diverſis Meridiani ſemicirculis, hoc eſt, qui opponuntur è diametro, pedesque habent pedibus directè obverſos. *Synœci*, qui ſub eodem parallelo degunt, aut etiam ſub eodem meridiano.

Periœci. *Antœci.* *Antipodes.* *Synœci.*

Cum Periœcis noſtris communicamus tempeſtates anni, ut Veris, Æſtatis, Autumni & Hyemis: temperiem aëris; incrementa & decrementa dierum & noctium: eandemque Zonam inhabitamus. Differimus ab iis in eo, quod nobis ſit meridies, cum illis eſt media nox; & viceverſa. Antœcis noſtris, nobisque, communis eſt meridies & media nox: ſed diſcrimen in tempeſtatibus anni: noſtra enim æſtas ipſorum eſt hyems; nobisque longiſſimi dies, ſunt illis breviſſimi: & occupamus quidem utrique Zonas temperatas, ſed diverſæ conditionis ac denominationis. Antipodibus omnia nobis contraria accidunt: ut tempeſtates anni, dies, ac noctes. Sol enim, ubi æſtate nobis longiſſimam præbet diem, ipſis breviſſimam fert noctem, hyememque. Eundem cum illis habemus Horizontem, ſed oppoſitum: & quoties Sol, Luna, Stellæque apud nos oriuntur, occidunt apud illos, & contra.

CA-

CAPVT VII.

De Climatibus & Parallelis.

Terra à Veteribus alio adhuc modo distribuitur, pro variatione longissimorum dierum. Nam qui sub Æquatore degunt, diem semper habent nocti æqualem, nempe duodecim horarum. Sed quo plus regio aliqua ab Æquatore recedit versus alterutrum Polorum, eo longissimi dies ac noctes sunt majores. Secundum varia incrementa longissimæ diei Veteres Terram quoque, ab Æquatore versus Boream & Austrum, distribuerunt in *Climata & Parallelos*. *Clima* vocant spatium terræ binis circulis Æquatori Parallelis comprehensum; ita ut ab uno ad alterum longitudo diei maxime crescat per dimidiam horam. *Parallelos* dicunt, intra quos dies longissima augetur quadrante horæ: ut ita quodlibet Clima duos in se comprehendat Parallelos.

Quid Clima.

Paralleli quid.

Ab utroque latere Æquatoris numerant climata septem, eaque denominant à celebri urbe, Insula, fluvio, aut monte, per quos medius climatis parallelus traducitur. Boreale primum extenditur per *Meroen* Nili Insulam, diciturque διαμερόης. Secundum διασυήνης per *Syenem* Ægypti urbem. Tertium διαλεξανδρείας per Alexandriam Ægypti Metropolim. Quartum διαρόδου per *Rhodum* Insulam maris Mediterranei. Quintum διαρώμης per *Romam*. Sextum διαβορυσθένεος per Borysthenem Sarmatiæ fluvium. Septimum διαριφαίων per montes Sarmatiæ *Riphæos*. Quæ autem Climata tantundem ab altero Æquatoris latere tendunt in Austrum, iisdem nominibus exprimunt adjecta vocula ἀντὶ, contra: ut ἀντιδιαμερόης, ἀντιδιασυήνης, ἀντιδιαλεξανδρείας, atque ita porro.

Geographorum nonnulli prioribus septem duo adhuc Climata addiderunt; alii quinque; recentiores extenderunt ea ad viginti tria, ut in tabula adjecta videre est. Alii ineptam existimant hujusmodi divisionem; primo ob summam, quam habent, inter se æqualitatem (primum enim longitudine sua complectitur milliaria centum viginti septem, nonum circiter triginta quatuor, vigesimum tertium, seu ultimum, vix unum) deinde quia nullius prorsus sunt usus; tam facile enim invenitur longitudo dierum maximorum, quam numerus climatum.

Quod si omnino Globus terrestris in climata sit distribuendus, majori sane æqualitate quodlibet hemisphærium Terræ, utrinque ab Æquatore, dividere licet in novem climata paris inter se latitudinis, per singulas graduum meridiani decades; hunc in modum. Borealium climatum primum incipiet ab Æquatore, & desinet in latitud. grad. 10, diceturque *Æthiopicum*, quia mediam transit *Æthiopiam*. Secundum terminabitur in latit. grad. 20, & vocabitur *Arabicum*, quia magnam partem continet *Arabiæ Felicis*. Tertium in grad. latit. 30, *Ægyptiacum* audiet. Quartum in latit. grad. 40 extensum, *Syriacum*. Quintum in gradum 53, *Italicum* aut *Gallicum*. Sextum

TABVLA CLIMATVM, PARALLELORVM

& quantitatis longissimorum dierum.

Climata.	Paralleli.	Longissimi dies. Ho. Min.	Latitudo. Ho. Mi.	Spatia Climat. inscripta Gr. Mi.
0	0	12. 0	0. 0	4. 18
	1	12. 15	4. 18	
1	2	12. 3	8. 34	8. 25
	3	12. 45	12. 43	
2	4	13. 0	16. 43	7. 50
	5	13. 15	20. 33	
3	6	13. 30	23. 10	7. 3
	7	13. 45	27. 36	
4	8	14. 0	30. 47	6. 9
	9	14. 15	33. 45	
5	10	14. 30	36. 20	5. 17
	11	14. 45	39. 2	
6	12	15. 0	41. 22	4. 30
	13	15. 15	43. 32	
7	14	15. 30	45. 29	3. 48
	15	15. 45	47. 20	
8	16	16. 0	49. 1	3. 13
	17	16. 15	50. 33	
9	18	16. 30	52. 58	2. 44
	19	16. 45	53. 17	
10	20	17. 0	54. 29	2. 17
	21	17. 15	55. 34	
11	22	17. 30	56. 37	2. 0
	23	17. 45	57. 34	
12	24	18. 0	58. 26	1. 40
	25	18. 15	59. 14	
13	26	18. 30	59. 59	1. 26
	27	18. 45	60. 40	
14	28	19. 0	61. 18	1. 13
	29	19. 15	61. 53	
15	30	19. 30	62. 25	1. 1
	31	19. 45	62. 54	
16	32	20. 0	63. 22	0. 52
	33	20. 15	63. 46	
17	34	20. 30	64. 6	0. 44
	35	20. 45	64. 30	
18	36	21. 0	64. 49	0. 36
	37	21. 15	65. 6	
19	38	21. 30	65. 21	0. 29
	39	21. 45	65. 35	
20	40	22. 0	65. 47	0. 22
	41	22. 15	65. 57	
21	42	22. 30	66. 6	0. 17
	43	22. 45	66. 14	
22	44	23. 0	66. 20	0. 11
	45	23. 15	66. 25	
23	46	23. 30	66. 28	0. 5
	47	23. 45	66. 30	
24	48	24. 0	66. 31	0. 0
		Menses.		
		1	67 15	
		2	69 30	
		3	73 20	
		4	78 20	
		5	84 0	
		6	90 0	

in

in 60 gradum *Germanicum* aut *Britannicum*. Septimum excurrens ad latit. 70 grad. erit *Suecicum*. Octavum ad 80 latit. gradus, *Glaciale Boreum*. Nonum denique usque ad Polum, *Boreale* seu *Polare Boreum*. Et horum quidem septem erunt habitabilia, reliqua inhabitabilia: *Paralleli* vero pari modo procedent, sed numero duplicato.

Ab altero Æquatoris latere similis fiet climatum partitio. Primum enim initium habebit ab Æquatore, & definet in latitudine graduum 10 Australi, dicique poterit *Brasilianum*, quia navigantibus ad occasum trans Æquatorem prima occurrit *Brasilia*, magnaque ex parte sub hoc climate sita est. Alterum vocabitur *Peruanum* ad latitudinem graduum 20, à Regione *Peru*, quam comprehendit. Tertium ad latitudinem graduum 30 erit *Paraguaicum*, à Regione contenta. Quartum usque in 40 gradum, *Chiliacum* à Regno *Chili*. Quintum in 50 gradum latitudinis, *Sylvestre*, eo quod tractus iste Americæ hominibus habitatur feris & sylvestribus. Sextum in 60 gradum, *Magellanicum*. Septimum ad 70 gradum, *Incognitum*. Octavum ad gradum 80, *Glaciale Austrinum*. Nonum usque ad Polum, *Polare Austrinum*.

Situs cujuslibet loci, juxta hunc modum, nullo negotio cognoscetur ex gradibus latitudinis: Exempli gratia: Roma, Venetiæ, & Lutetia Parisiorum, sitæ intra 40 & 50 grad. latit. erunt in climate quinto; Amstelodamum & Londinum intra 50 & 60 latit. grad. versabuntur in climate sexto: Goa Indiæ Orientalis, in secundo: Insula Zeilan & Guinea in primo. Atque ita etiam in cæteris.

CAPUT VIII.

De Magnitudine Terræ, & distributione Regionum juxta longitudinem & latitudinem.

Sicut omnes circuli, ita quoque ambitus Cœli & Terræ distribuitur in 360 gradus, & quilibet gradus in 60 minuta, quæ in Terra conveniunt cum 1000 passibus Romanis, aut milliari Italico. Quatuor istiusmodi milliaria faciunt unum Germanicum commune. Gradus ergo unus comprehendit milliaria Germanica 15, quæ, per gradus circuli maximi multiplicata, præbent 5400 milliaria pro Terræ ambitu. Ex eo porro invenitur Terræ Diameter & crassitudo milliarium in $1718\frac{1}{11}$ cujus numeri medium indicat à superficie Terræ ad centrum ejus, esse milliaria Germanica $859\frac{1}{11}$.


Terræ ambitus.

Geographi, ut Regiones, Insulas, Maria, juxta debitam proportionem situmque in corpore globoso, aut Tabula plana exprimerent; certâ eas mensura distribuerunt in longum & in latum. Longitudo alicujus loci est arcus Æquatoris terrestris, comprehensus inter duos semimeridianos, ab uno Polo ad alterum traductos: quorum unus transit per excelsum montem *Pico de Teide* dictum, in *Teneriffa* insula, Canariarum una, alter per locum propositum. Numeratur longitudo ab Occidente in Orientem, donec redeatur ad eundem semimeridianum, per gradus 360. Latitudo est arcus ejusmodi semimeridiani, inter Æquatorem & locum datum. Numeratur ea ab Æquatore versus alterutrum Terræ Polum per 90 gradus, diciturque Septentrionalis, in locis quæ ab Æquatore recedunt ad Septentrionem, & Australis in locis quæ ab eo tendunt ad meridiem.


Ejus longitudo.

Latitudo.

Id rectius comprehendes tali exemplo: In schemate adjecto sit A Polus Terræ Boreus, B Austrinus, C D E Æquator, A D B semimeridianus, transiens ab utroque Polo per Montem *Pico* in Teneriffa, pro initio longitudinis; F Promontorium S. Vincentii in Hispania, & per illud traductus semimeridianus A F B. Arcus Æquatoris inter D & G ostendit longitudinem Promontorii S. Vincentii graduum 23, min. 40: arcus vero Meridiani G F, inter Æquatorem



& lo-



& locum prædictum, indicat Latitudinem Borealem grad. 37. quia S. Vincentii Promontorium ab Æquinoctiali versus Boream situm est. Iterum, sit H extrema Africæ cuspis ad Austrum, per quam ductus sit semimeridianus AIB. Pars Æquatoris D I est Longitudo ejus; Meridiani I H latitudo australis 35 graduum.

In collocando initio longitudinis, inter recentiores Geographos multum variatur; quocirca non alienum à proposito mihi visum est, hic subjicere, quod celebris Mathematicus *Simon Stevinus* hac de re scripsit, & recte judicavit; in quarta definitione primi sui libri *de Geographia*, hunc in modum, & quidem ex versione D. *Snellii*.

Hujus seculi Geographis (inquit) *in assumendo Longitudinis principio primoque Meridiano, unde cæteri numerentur, inter ipsos non convenit: nonnullis Ptolemæum, qui eum in Canariis ponit, sequentibus; aliis Pyxidis Nauticæ Boreochalybodixin notantibus, quæ à Canariis occidentem versus, primum occurrit, in qua hi ipsi inter se multum dissident.* [Hi enim primum Meridianum locant in Orientalioribus insularum Flandricarum *S. Mariæ* & *S. Michaëlis*: illi in Occidentalioribus, ut *Corvo*, & *Flores*; alii aliter.] *Ex quibus efficitur, in locorum Longitudine notanda, nisi unde principium sumatur pariter annotetur, magnam oriri differentiam. Quamobrem res ipsa flagitare videtur, quo commodius Geographi mutuo se exaudiant, atque errores declinent, ut unum commune firmumque principium constituatur. Cujus sane fides penes Pyxidem Nauticam lubrica nimis sit & instabilis: cum enim ea non eundem sequatur Meridianum, per observationes in diversis latitudinibus factas, diversi Meridiani pro primis & principiis assumuntur. Præterea vero, observationes per Pyxidem ab aliis atque aliis eodem loco institutæ, tanta accuratione obiri nequeunt, quin unius minuti differentia inter ipsos intercedat: quæ sane est passuum vulgarium 3000. Quare cum nihil certi à Pyxide hac in parte suggeratur, ratio postulat, Terræ locum penitus fixum huic negotio seligi. Et quandoqidem una è septem Canariis, quæ Iuno dicitur à Ptolemæo, huic usui dicata sit, rationi consentaneum est, ab hac non discedere. Quia vero etiam unius ejusdemque insulæ termini longitudine inter se differunt, æquum est, certam quandam insulam eligi, inque ipsa locum exiguum quidem, sed notabilem & quasi perpetuum, qui differentiam unius minuti non inducat. Nam cum longitudines locorum urbiumque ad minutum sollicite anxieque inquirantur: omnino necessarium erit, ipsorum principium nequidem unius minuti ambiguitate vacillare. Huic fini nobis assumpta est Pico de Teide, petra quæ* (utar Curtii verbis in re non absimili) *non ut pleræque modicis ac mollibus clivis in sublime fastigium crescit; sed in metæ maximæ modum erecta est; cujus ima spatiosiora sunt, altiora in arctius coëunt, summa in acutum cacumen exsurgunt: sita in Teneriffa, septem insularum Canariarum maxima, ditissima, præstantissimaque. Si quis in hoc Terrarum Orbe, alium aptiorem locum norit; eum ipsum deligere consultum erit. Sed quocunque res cadat, ambiguitatem tamen illam omnino declinari decet.*


Vt autem Globos terrestres, Tabulasque Geographicas, ad aliud longitudinis initium constructas, congruere facias cum iis quæ ad hoc principium sunt constructæ, à longitudinibus locorum quæ per illas habentur, tot gradus abjiciendi sunt, quot primus Meridianus occidentalior est Meridiano per montem *Pico* in *Teneriffa*. Exempli gratia: Vrbs Roma in maximo nostro Globo terrestri, juxta hanc positionem, sita est in longitudine prope 31 graduum: sed in Globo cujus initium longitudinis est à Meridiano per insulas *Corvo* & *Flores*, in longitudine graduum $45\frac{2}{3}$. Si ergo ex ea deducantur gradus $14\frac{2}{3}$, differentia nempe qua harum insularum Meridianus Meridiano *Teneriffæ* est occidentalior; manent gradus 31, iidem qui juxta positionem nostram. Idem valet in cæteris omnibus.

Ad inveniendas Longitudines Latitudinesque locorum in sequentibus Tabulis Geographicis, animadvertendum est, notas numericas lateribus Tabularum, quæ Ortum aut Occasum respiciunt, impressas, indicare Longitudines; eas vero, quæ lateribus Tabularum in Septentrionem & Austrum directis inscriptæ sunt, ostendere locorum Latitudines.

CAPVT IX.

De Plagis Mundi & Ventis.

Regiones aliquando etiam deſcribi ſolent juxta Ventos, aut Plagas Mundi: ut cum dicitur, Hiſpaniam ad Ortum habere mare Mediterraneum, ad Septentrionem partim Oceanum Cantabricum, partim Galliam & montes Pyrenæos, ad Occaſum magnum Oceanum Occidentalem: Item Germaniam ad Occidentem claudi Rheno, ad Septentrionem allui mari Balthico: aut ſimiliter. Imprimis ille Regiones deſcribendi modus, in magno uſu eſt apud Nautas. Nam ante omnia eos ſcire neceſſe eſt, verſus quam Mundi Plagam ſitæ ſint Regiones, quas habent adeundas; quorſum naves ſuas dirigere debeant; & quibus ventis indigeant, ad commodas navigationes de loco in locum abſolvendum. Vetuſtiores Coſmographi diviſerunt Horizontem in duodecim, ſed recentiores cum nautis, ad majorem certitudinem in navigationibus marinis obtinendam, in 32 Ventos ſeu Plagas; quarum ſolæ quatuor præcipuæ (quæ dicuntur quatuor Mundi Cardines, nempe ab ortu Solis, & Occaſu, à Meridie & media nocte; ſuntque Oriens, Occidens, Meridies & Septentrio) cum plagis veterum conveniunt. Singulos Horizontis quadrantes, pro 3 partibus dividunt in 8, pari intervallo diſtantes, eaſque exprimunt nominibus mixtis, compoſitis ex denominatione præcipuarum, inter quas ſitæ ſunt, velut in Tabella inferius poſita, & pyxide nautica cum ſuis numeris fit conſpicuum.



Tabula indicans nomina 32 Ventorum.

1. *Apeliotes Subſolanus.*
2. *Hypereurus.*
3. *Eurus Vulturnus.*
4. *Meſeurus.*
5. *Notapeliotes.*
6. *Hypereuronotus.*
7. *Euronotus Phœnicius.*
8. *Meſeuronotus.*
9. *Notus Auſter.*
10. *Meſolibonotus.*
11. *Libonotus Auſtroafricus.*
12. *Hyperlibonotus.*
13. *Notozephyrus.*
14. *Meſolips.*
15. *Lips Africus.*
16. *Hyperlips.*
17. *Zephyr Favonius.*
18. *Meſargeſtes.*
19. *Argeſtes Corus.*
20. *Hyperargeſtes.*
21. *Arctozephyrus.*
22. *Meſothraſcias.*
23. *Thraſcias Circius.*
24. *Hyperthraſcias.*
25. *Aparctias Septentrio.*
26. *Hyperboreus.*
27. *Boreas Aquilo.*
28. *Meſoboreas.*
29. *Arctapeliotes.*
30. *Hypercæcias.*
31. *Cæcias Helleſpontius.*
32. *Meſocæcias.*

CAPVT X.

De variis Terræ Mensuris.

Milliare. ROmani olim distantias locorum mensurarunt per mille passus, unde nomen *milliari*. Singula mille passuum intervalla, juxta vias publicas distinguebant lapidibus, aut aliis indicibus, unde lapides quoque *milliaria* dicti; ut ad decimum lapidem, quasi ad decies millenarium passum. Quatuor hujusmodi milliaria efficiunt unum milliare Germanicum; ita ut gradus unus in circulo Terræ maximo contineat mille passus Romanos 60, & 15 milliaria Germanica communia. *Stadium.* Græci distantias locorum diviserunt in *Stadia*. Stadium autem continet 125 passus, & octo stadia efficiunt milliare Romanum aut passus mille, 32 vero milliare Germanicum. *Parasangæ.* Persæ ad mensuranda intervalla locorum adhibuerunt suas *Parasangas*, quarum singulæ continebant stadia 30. Ægyptii *Schœni.* suos *Schœnos*, sed eos variæ magnitudinis. Nam aliqui assignant iis stadia 60, aliqui 40, alii tantum 20. Hodie vox *milliaris* in usu est per totam ferè Europam, præsertim apud Germanos, Danos, Norwegos, Suecos, Anglos & Scotos, qui *Meile* & *Mile* dicunt; idem apud Polonos, Bohemos, aliosque qui lingua utuntur Sclavonicâ, & *Mila*, *Mile* pronuntiant. Hispani & Galli intervalla locorum metiuntur *Leucis*, quas illi *Leguas* vocant, hi *lieües*. *Leucæ.* Russi aut Moscovitæ distantias numerant per spatia, quæ linguâ vernaculâ dicunt *Vorest* aut *Worest*. *Worest.* Verum omnis hæc mensurarum varietas & collatio inter se mutuô, clarius percipietur ex tabella sequenti.

Notandum autem, apud nullam nationem eandem ubique mensuram usurpari. Nam Germani ob varias provincias habent aut magna milliaria, aut parva, aut mediocria & communia, quorum 15 debentur uni gradui. Hispanorum item *leguas*, & Gallorum *lieües* diversis in locis inæquales invenies. Nec dispar est ratio milliarium apud omnes alias gentes.

15	Milliaria	*Germanica.*	constituunt unum gradum circuli maximi in Terra.
$17\frac{1}{2}$		*Hispanica.*	
20		*Gallica.*	
50		*Scotica.*	
60		*Anglica.*	
60		*Italica.*	
80		*Russica.*	

mæus videns Terram habitabilem magis porrigi ab Occaſu in Ortum, quam à Septentrione in Auſtrum, appellat terræ tractum ab Occaſu in Ortum longitudinem, à Septentrione in Auſtrum latitudinem. Dari etiam hæc poteſt cauſa ex eodem Ptolemæo, quod motus Planetarum ab Occaſu in Ortum longior eſt, quam à Septentrione in Auſtrum. Hic enim includitur intra duos Tropicos tantum, quorum diſtantia continet gradus 47, ille vero complectitur grad. 360. hiſce addi poteſt, quod latitudo, cujus initium ſumitur ab æquinoctiali, & deſinit in 90 gradu, ſive ſub Polis tam Arctico quam Antarctico. Aſt longitudinis plane alia eſt ratio: Si enim initium in certo puncto, uti in Teneriffa Inſularum Canariarum una, ponas, & ex illo per æquatorem aut alium parallelum rectà, ſive ortum, ſive occaſum verſus progrediaris, non invenies aliud punctum in quo deſinat; ſed ad idem unde diſceſſeras redibis.

VII. Quis ſit terminus longitudinis & latitudinis terræ. *Reſp.* Veteres Geographi terminum longitudinis conſtituerunt in metropoli regionis Sinarum ad extremam Indiam, quæ metropolis & ipſa Sina appellata, ab Inſulis Fortunatis abeſt gradib. 180, ſive milliaribus Germ. 2700. At à recentibus Geographis ultra terminum à Ptolemæo conſtitutum, 60 gradus itur. Nam Scythia extra Imaum montem porrigitur ad gradus 60, verſus orientem, ubi eſt ampliſſimum regnum Cathaji, Luſitanis notum. Quo modo terra ſecundum longitudinem ad Ortum patebit 240 gradibus, hoc eſt, milliaribus 3600. Verſus Occaſum vero ultra Inſulas Fortunatas patet uſque ad extremam Americæ oram: ita ut in longitudinem orbis terrarum cognitus ſit ad gradus 340, & deſint tantum 20 gradus ad explorandum totum orbem terrarum ab Ortu verſus Occaſum. Quod ad latitudinem attinet, ejus terminum veteres ponebant in Inſula Thyle, quæ utrum ſit dicenda Iſlandia, an Scetlandia, controverſum. A recentioribus altius itum, primo ad gradus 71, uſque ad Inſulam Norwegiæ Hyello, paulo poſt à Willugbæo ad grad. 73, inde à G. Barenſonio Belga ad grad. 81. ita ut 9 tantum gradus reſtent ad Septentrionalis plagæ totam perveſtigationem. Verſus Meridiem terra Veteribus vix ultra grad. 17 fuit cognita, uſque ad Praſſum promontorium, ubi hodie Moſambique. Noſtris uſque ad grad. 45, ad caput Bonæ ſpei: mox uſque ad grad. 53, ad Fretum uſque Magellanicum: & nuper uſque ad grad. 57, ad promontorium ſive Cabo de Hoorn.

De navigationibus veterum, & recentiorum.

Cum autem Terrarum orbem non terra ſolum, ſed & vaſtum mare conſtituat, non alienum fuerit ab hoc loco laudes celebrare Navigationum, cum Veterum, tum recentiorum: in quarum notitiam quotidie peritiſſimorum Navarchorum induſtria, ſtupentes velut ac attoniti deducimur. Priſcos enim illos mortales non contentos ſuis ſedibus, quæſiiſſe & adiiſſe per maria terras remotiſſimas, docet ſacra Scriptura, commemorans navigationes in Indiam non ſolum Arabum, uti videre eſt in Iobi hiſtoria, ſed & regum tum Iudæ tum Iſraëlis, Salomonis, Iehoſaphati, Ochoziæ, & aliorum. Nec deſunt, qui tum in Indiam Occidentalem navigatum putant, quum lib. 2 Paralip. cap. 3. v. 6. mentio fiat *auri Parvaim.* Sic enim ibi de Salomone, *Et texit domum lapide precioſo ad gloriam, & aurum, aurum Parvaim.* Fit & mentio auri Ophiriani, quod idem putant cum auro Peruviano, non inamœna, ut cenſent, neque ingrata literarum metatheſi Iob. cap. 28, 16: *Non æſtimabitur cum auro Ophir, cum Onyche precioſo & Sapphiro.* Iſaiæ 13, 2: *Precioſum faciam hominem præ obryzo, & hominem præ maſſa auri Ophir.* Sed quid hac de re ſentiendum ſit, alibi diſputandum. Teſtatur & antiquorum hac in re diligentiam Strabo, notans libro primo, Homeri etiam ætate navigatum in Indiam.

Navigationes Veterum verſus Occidentem.

Scribit Plinius lib. 2 nat. hiſtor. cap. 67, ſuo tempore totum Occidentem à Gadibus columniſque Herculis, Galliarum circuitu, navigatum: Septentrionalem autem Oceanum majori ex parte auſpiciis Auguſti uſque ad Cimbrorum promontorium; inde ad Scythicam plagam immenſum mare fuiſſe partim viſum, partim fama cognitum: ab Ortu vero ex Indico Mari partem totam in Caſpium vergentem, Macedonum armis innotuiſſe, Seleuco & Antiocho regnantibus. Circa Caſpium quoque multa Oceani littora fuiſſe explorata: & ſic totum fere Septentrionem hinc illinc verſus Occaſum & Ortum patuiſſe.

Septentrionem,

Addit porro, alio latere Gadium ab eodem Occidente magnam meridiani ſinus portionem ambitu Mauritaniæ, ſuo tempore navigari ſolere: & majorem ejus partem, uti & Orientis, victoriis Alexandri Magni fuiſſe luſtratam, uſque in Arabicum ſinum: Hannonem Carthaginenſem circumvectum à Gadibus ad finem Arabiæ: contra, Eudoxum Cyzicenum, teſte Cornelio Nepote, quum Lathyrum regem fugeret, Arabico ſinu egreſſum Gades uſque fuiſſe perductum:

Meridiem,

Cælium quoque Antipatrum refert ſcribere, vidiſſe ſe, qui cum mercibus iter feciſſet maritimum ex Hiſpania in Æthiopiam, ac eundem Nepotem tradere, Q. Metello Celeri, Galliæ proconſuli, Indos à Suevorum rege dono datos, qui ex patria commercii cauſa navigantes, tempeſtatibus in Germaniam (per Oceanum puta Orientalem & Septentrionalem) fuerant abrepti.

Orientem.

Navigationes Venetorum per Mediterranea in Orientem.

Hodie in omnes fere terrarum oras abit audax Iapeti genus, non horrens mare turgidum, aut infames ſcopulos. Veneti, qui primi palmam Europæis eripuere, paulo ſupra ætatem noſtram, mare Adriaticum ingreſſi, devectique per mediterraneum, Alexandriam uſque, & hinc terrarum aliquod ſpatium emenſi, per ſinum Arabicum ad Indorum populos proficiſci cœperunt. At cum hæc via ob Sultani Ægyptii potentiam infeſtior mercantibus reddatur, Aleppo celeberrimum emporium & Syriæ metropolim petunt: hinc terreſtri 430 milliarium itinere Baſſoram: inde milliarib. 200, Armuzam, Ormus hodie ei nomen, nobiliſſimum Perſiæ emporium: ubi conſcenſis navibus per ſinum Perſicum porro in quaſvis Indiæ regiones vehuntur. Atque hoc quidem iter, non ſolum compendioſius eſt maritimo Luſitanorum in Indiam circumnavigata Africa omni itinere, ſed & delectabilius, occurrentibus paſſim infinitis antiquarum urbium, veterumque locorum, quæ priſcis hiſtoriis ſcriptiſque

ptisque nobilitata sunt, monimentis; præter novos indies populos novosque populorum ritus. Adde & commodius, offerente se quotidie novo, quo corpora reficiantur, cibo potuque: quin & tutius, nullo molestiam facessente; cum contrà maritimum longius sit ob terrarum flexus, tædiosius insuper, ob corruptum longo situ commeatum, & ob tempestates periculosius.

Lusitanorum per Meridionalia in Orientem.

Hoc tamen in Indiam & regna Sinarum iter mox moliti sunt Lusitani, circumnavigata Africa, lustratisque, quæ Æquatori, Tropicisque subjectæ, terrarum partibus, littoribus, insulis. Quos successu temporis secuti sunt Angli, aliique populi, & anno 1595 mense Octobri, instructa mercatorum quorundam auspiciis classe, Batavi: qui Iavam insulam circumvecti, potius quid gerendum ibi, quam quid gestum reversi docuerunt; armis, quibus gens illa nimium adsuevit, quam mercibus expediundis promtiores.

Navigationes in Occidentem.

Versus Occidentem primus vastum istud mare Atlanticum trajicere ausus fuit Christophorus Columbus, qui, oblata variis Principibus ad novas quærendum terras opera, & à plerisque, qui rem nimis difficilem, & nullius fructus arbitrabantur, repulsus; tandem à Castiliæ regibus Ferdinando & Isabella impetravit, ut aliquot navium classe instructus, tantæ rei periculum faceret. Is itaque anno 1492 insulas in sinu Americano positas, Cubam, Hispaniolam, aliasque invenit. Post quem Americus Vesputius Florentinus, anno 1497, etiam Terram Occidentis firmam, continentemque detexit, nomenque ei à nomine suo imposuit. Hinc cum inter Lusitanos & Castellanos pomœria suorum Principum pro virili promovere nitentes, dissidium esset ortum, ne alii aliis essent impedimento, novus ille orbis auctoritate Alexandri VI, Pontificis & aliorum, in duas partes est distributus: scriptis legibus & conditionibus, ut quicquid instituta ab Atlantici maris insulis, quæ Hesperides solent dici, navigatione Orientem versus reperiretur, Lusitanorum esset; quicquid ad Occidentem, Castellanis cederet: & sic horum beneficio pernotuit America; illorum Orientis pleraque & Insulæ Moluccæ. Postea Ferdinandus Magellanus anno 1519, auspiciis Caroli V, ad quærendum Insulas alia via dimissus ex Hispania, in Australiora mundi ad gradum latitudinis Meridionalis 54 delatus, inde conversa ad Occidentem Solem classe, primus Fretum inter Americam & Australe mundi latus permensus, quod à nomine suo Magellanicum vocavit, in Moluccas insulas pervenit, ibique prælio cum Barbaris commisso cecidit, sociis in patriam juxta Asiæ Africæque littora revectis, totoque terrarum orbe circumnavigato. Et illam quidem post illos laudem proximis annis consecuti Franciscus Dracus, Thomas Candischius, Angli; Oliverius Nort, Iacobus le Maire, Eremita, Belgæ; quorum duo posteriores in itinere periere, navibus domum reversis.

Navigationes Septentrionales.

Nec invento hinc Oriente, inde Occidente, quievit humana curiositas; alias quoque vias & itinera nova Septentrionem versus scrutata fuit Casparus Cortesius ad Septentrionem anno 1500, dum Fretum, qua transeat, quærit, fluvium invenit, ad 60 altitudinis gradum: & domum reversus, quum anno sequente, prosperioris successus spe, profectus eodem esset, periit. Eandem post viam non dispari fato tentavit ejus frater Michael Cortesius. Sebastianus Gabottus Venetus, auspiciis Henrici VII, Angliæ regis anno 1507, iter ad Moluccas & Sinarum terras quæsivit per Septentrionem: sed detecto Bacalaorum tractu, æquorque permensus usque ad 67 altitudinis gradum, in Angliam reverti fuit coactus, occursante glacie, quæ angustiora maris insederat. Ioannes Verasanus anno 1524 nomine Francisci Galliarum regis, idem animo versans, ad caput Britannorum exscendens in terram, à Barbaris discerptus est. Frustra hac quoque itum à Sebastiano Gomezio Hispano. Successerunt illis Angli; & inter eos primus Hugo Willougbæus, vir equestris ordinis: qui an. 1553 repertis aliquot ad gradum 72 terris, frigore aliisque incommodis exstinctus fuit. Eandem viam insistens triennio pòst Stephanus Borrovæus Anglus, insulas aperuit Golgojam, Novam Zemlam, aliasque, cum frigore, glacie, tempestatibus, aliisque calamitatum procellis assidue depugnans. Hos ex eadem gente secuti sunt Martinus Forbisherius, Arcturus Petræus, Carolus Iochmannus & Ioannes Davisius, qui Borealiora Americæ patefecit, uti & oras Groenlandiæ.

Batavorum.

Tandem & Batavi, Zelandique, anno 1594, auspiciis Fœderatorum Ordinum Septentrionale hoc iter versus Scytharum Sinarumque regna suscepere, mense Iunio, ipso festo Pentecostes. Quum ad Novam Zemlam, quæ aliorum navigationibus aliquâ jam innotuerat, pervenissent, naves Amsterdamenses, quarum cura Guilielmo Barendsonio mandata erat, altius versus Polum instituto cursu, Novæ Zemlæ littora ad 76 gradum explorarunt: reliquæ, Enchusana una, altera Zelanda, quibus præerat Iohannes Hugonis F. Linschotanus, qui septennium jam apud Indos fuerat moratus, Fretum Waigats transeuntes in altum latumque pelagus sunt delatæ, ad confinia usque Oby, nobilissimi Tartariæ fluvii, &, ut nonnullorum erat conjectura, ad Promontorium fere Tabinum. Sed quum harum Argonautæ sufficere putarent Oceanum Trataricum deprehensum satis lustratumque ad futuram navigationem, illæ vero, Amsterdamenses puta naves, glacie impeditæ ulterius ire nequirent, tertio mense reversi sunt incolumes. Anno deinde sequenti septem in eundem finem adornatæ fuerunt naves, quinque in Hollandia, duæ in Zelandia, quæ superatis denuo angustiis Waigats, à Russis didicerunt, Fretum certo anni tempore transiri posse, & quintidui ab eo itinere, versus Boream Promontorium esse, & post hoc ingens & spaciosum mare. Sed cum dissentientibus studiis Oceani Tartarici incerta aversarentur, Hollandiam repetentes, Mosam quarto mense subierunt. Anno denique 1596 duabus navibus, Mercatorum sumptibus, eadem tentata est via, quæ ad gradum 80, minut. 11. in littora inciderunt vasta & ampla, quæ Groenlandiæ putabantur ob viriditatem. Nam licet terra ibi ob poli viciniam frigidior esse credi possit, gramen nihilominus, herbasque producit sponte, & cervos aliaque animalia nutrit: cum contra in nova

Zemla

Zemla gradu 76, & ab Arctico versus Æquinoctialem Solisque viam remotius, omnia areant, campis passim canentibus, ursis, vulpibus, aliisque carnivoris feris omnia inibi infestantibus. Quinquagesimo postquam solverant die ad grad. 75 evecti, & mox communibus suffragiis disjuncti, quidam grad. 80 emensi, ob continuas tempestates Colam, Lappiæ oppidum, salva navi remearunt: quidam post gravissimas calamitates, quas à feris, frigore, glacie, perpetua nocte, fame perpessi erant, relicta inter glaciales montes navi, navarcho Guilielmo Barendsonio ibidem defuncto, cum duobus lenunculis aut scaphis emensi æquor quadringentorum milliarium, Colam quoque appulerunt, ubi repertis navigationis sociis conscensa navi in Hollandiam rediere anno 1597.

Ex quibus omnibus videre est, quaquaversum navigiis iri posse. Nihil dicam de navigationibus Europæorum mediterraneis. Ludus est ire in Asiam, Africam, & aliò. Ad Hesperidum insulas delati Orientem (nam in Occidentem Americanos adire tritius putatur) petimus, nunc Eurum versus caput Bonæ Spei prætervecti; nunc Fretum Magellanicum, obversis ad Africam proris, transvecti. Quum vero brevius quæreretur in Orientem iter, tentatus sæpe Septentrio, tum Corum versus, à Cortesio, Gabotto, Verasano, Gomezio, Willougbæo, Forbischerio, Davisio: tum Boream versus per angustias Waigats, aut potius supra summa Novæ Zemlæ littora. Alterutra sane necesse est via delatos fuisse tempestatibus in Germaniam Indos, anno Vrbis conditæ 691, quos à Suevorum rege dono datos Q. Cæcilio Metello, Galliæ Proconsuli, notat Plinius. Angustias enim illas, non semper à glacie obsessas esse & obturatas, iterata navigatione nostrates didicerunt, tum ex annuis inter Russos & Tartaros, hasce angustias transeuntes, commerciis, constat. Sed tutissimum altiore plenioreque mari decurrere, & Septentrionaliora Novæ Zemlæ littora circumnavigare ad gradum 82, aut circiter. Non obstabunt tenebræ, nam uti noctes ibi longæ, sic longi etiam & ex multis compacti diebus dies: non glacies; quæ in alto & vasto mari rarior, & prorsus ex proximis littoribus adventitia: non frigus, quod eo loci deprehensum mitius, quam gradu 76, quodque intenditur vel augetur ob glaciei copiam: non vada, non Syrtes: omnia enim alta & profunda deprehenderunt Nauarchi demissa in fundum bolide: non venti, qui, ut alibi, sic hîc nunc adversi, nunc ferentes, licet vehementiores hic generentur ob vaporum copiam.

De Navibus & Magnete.

Porro Navigationes qualescunque conficimus beneficio navium, quarum, ut veteres eas habuerunt, appellationes exstant cùm apud Nonium, Festum & alios, tum apud Agellium lib. 10. noct. Attic. c. 25. Plenius autem de iis Lilius Gregorius Gyraldus de Navigiis. Ne vero vela vento turgida naves ab instituto cursu averterent, aut aquarum fluxus aliò abriperet, opus fuit acu marina, navis moderatrice; cujus inventor avorum nostrorum memoria fuit Flavius Melfius Neapolitanus, vir sane vel ob hoc unum beneficium omni immortalitate dignissimus. Temperatur autem alterum acus marinæ punctum Magnete eum in finem, ut veram Arctici poli stationem, tanquam indice, perpetuò monstret. Sic enim affrictum sequace quadam virtute semper eo se convertit, quocunque loco, die noctuque, cœlo & sereno & turbido, sive stellæ appareant, sive non. Qua vero hoc fiat ratione, ingenio humano incognitum. Nam Magneticos sub Arctico polo montes imaginentur, & attractionem inde fieri contendant, quibus cerebrum alibi, quam in capite. Si acus hoc modo temperata partes orbis Magnete abundantes respiceret, potius apud nos in oppositam Arctico plagam se converteret; cum Magnetis copia major in Hispania & Ilva vicina Corsicæ Insula, quam in Septentrionalibus locis; quumque præstantissimus & efficacissimus Magnes reperiatur in Æthiopia, maxime commendari solitus, qui ad cæruleum colorem inclinat, qualis ibi in Zimiri arenosa regione. Arcanæ potius & ineffabili hoc tribuendum proprietati & sympathiæ, quæ Magneti cum plaga Septentrionali & Polo Arctico. Sed tempus est, ut ad distinctas Orbis terrarum partes progrediamur.

ORBEM TERRARVM in Cosmographia nostra consideramus

- GEOGRAPHICE, & sic dividimus in
  - ARCTICAM, quæ comprehendit Terras sub Polo Boreo, quas unico libro describimus.
  - EVROPAM, hanc XVII libris absolvimus, nim.

Liber		Volumen
ARCTICAM		Volumen I
Norvegia.	I	Volumen I
Dania.	II	Volumen I
Suecia.	III	Volumen II
Russia.	IV	Volumen II
Polonia.	V	Volumen II
Regiones Orientales circa Danubium, ultra Germaniam.	VI	Volumen II
Græcia.	VII	Volumen II
Germania.	VIII	Volumen III
Belgica Regia.	IX	Volumen IV
Belgica Fœderata.	X	Volumen IV
Anglia.	XI	Volumen V
Scotia.	XII	Volumen VI
Hibernia.	XIII	Volumen VI
Gallia.	XIV	Volumen VII
Helvetia.	XV	Volumen VII
Italia.	XVI	Volumen VIII
Hispania.	XVI	Volumen IX
AFRICAM, unico libro damus.		Volumen IX
ASIAM, cujus descriptio duobus libris comprehenditur.		Volumen X
AMERICAM, unico libro absolvimus.		Volumen XI

  - AFRICAM, unico libro damus.
  - ASIAM, cujus descriptio duobus libris comprehenditur.
  - AMERICAM, unico libro absolvimus.
  - Reliqua sunt INCOGNITA.
- HYDROGRAPHICE, cujus divisionem dabimus suo loco.

ARCTICA,

QVÆ EST

GEOGRAPHIÆ BLAVIANÆ

PARS PRIMA,

LIBER VNVS.

Nobilissimis, Amplissimis, Spectatissimis,
Prudentissimisque Dominis,

D. CORNELIO DE GRAEFF,

Domino in Zuyd-Polsbroeck,

D. CORNELIO WITSEN,

D. CORNELIO DE VLAMING AB OVTSHOORN,

Equiti, Domino in Outshoorn, & Gnephoeck, &c.

D. HENRICO HOOFT;

CONSVLIBVS ET SENATORIBVS REIPVBLICÆ AMSTELÆDAMENSIS.



Obilissimi, Amplissimi, Spectatissimi, Prudentissimique Consules,

Cosmographiam nostram editurus, eam Geographiæ partem, quæ Arctoas plagas exhibet, quas ob frigus nimium & perpetuum gelu non tantum non habitatas, sed & inaccessibiles credebat Antiquitas, Nominibus Vestris inscribere decrevi. Existimavi enim Vobis potissimum deberi descriptionem earum Regionum, quæ auspiciis Majorum Vestrorum, eadem qua Vos nunc amplissima dignitate eminentium, opera civium,

patrumque nostrorum & visitatæ, & lustratæ fuerunt; æquum quoque erat, cum in ipso limine operis nostri illustria civium Vestrorum occurrant facta, Nomina Vestra, instar Deorum tutelarium, libro præfigi, qui laudabili profectò instituto, more ab avis atavisque recepto, rem nauticam, navigationesque, veram Reipublicæ nostræ animam, pro viribus & fovere & promovere indies studetis. Accedebat ad hoc, quod ipse ego multis nominibus privatim Reipublicæ obstrictus, ingratitudinis notam minime me evasurum putarem, nisi Senatus nostri Principibus, Vrbisque per totum Terrarum Orbem celeberrimæ Moderatoribus, hosce qualescunque in describenda & delineanda Arcto meos conatus consecrarem; dubitare enim viderer de paterna in omnes cives Vestros benevolentia, quæ Vobis jure merito Patriæ civiumque Patrum illustria nomina peperit; nisi confiderem Vos hosce meos labores Vobis debitos, Vobis inscriptos benigne & benevole suscepturos. Hac fretus fiducia diuturnam Vobis in Republica moderanda vitam annosque felices ex animo precor,


AMPLIT. VESTR.

Ex Musæo meo ipsis
Kal. Febr. 1662.

devotissimus cultor

IOANNES BLAEV.

ARCTICA, SIVE REGIONES SVB POLO BOREALI.



N introductione ad Geographiam huic Operi præfixa, quid Polus sit, satis superque demonstravimus; In generali descriptione Orbis Terræ, ejusque divisione, regiones sub polo sitas partem orbis terrarum, sub Arctici nomine, fecimus. Erunt fortasse, qui quæstionem movebunt, cur hoc uni annumeraverimus parti, cum Insulæ aliquot partim Europæ, partim Asiæ, partim Americæ aptius annumerandæ? His respondemus, primo, nos non adstrictos esse ad aliorum quasdam præcedentes partitiones. Adhæc cuilibet notum, veteres ipsos nobis facem prætulisse, dum hasce partes Orbem inhabitabilem nominant. Huic accedit & hoc, quod Spitsbergam ab Europa, & Groenlandiam ab America, penitus esse separatam, imo inibi semel tantum in anno Solem oriri, & semel occidere, itaque annum unius tantum diei & noctis dimensione constare, & hanc parum, alteram minime habitatam; ut aliæ plures Insulæ, & regiones his contiguæ, jam omnibus sit notum. Imo aliis sciscitantibus; cur regiones inhabitatas, & parum notas partem orbis terrarum nominaverimus? hoc responsi damus, quia singulis annis navigiis frequententur, & tantum lucri præstent, ut operæ pretium maxime sit, eas spectandum exhibere, earumque tam multas ac varias res exoticas, veteribus incognitas, describere. Hasce regiones partim Hollandi, partim Angli, in hisce locis transitum Cathajam, Iaponam, Sinam, & Indiam Orientalem versus, sed perperam, tentantes, forte fortuna detexerunt.

Præcipuæ harum regionum sunt Groenlandia, Spitsberga, & Nova Zembla, quas Hollandos; ut & maximam partem reliquarum, quæ Superiori Novæ Britanniæ parti adjacent, Anglos reperisse constat. Hæc singulis annis, balænarum capturæ gratia, frequentantur.


REGIONES
SVB POLO ARCTICO.
Auctore Guiljelmo Blaeu.
FRIGVS iners illic habitant, Pallorque, tremorq;
Et jejuna FAMES.
Amplissimo Spectatissimo
Prudentiss.mo viro
GVILIELMO BACKER
DE CORNELIIS,
Reip. Amstelodamensis Consuli et Senatori, nec non in Consessu Societatis Indicæ Orientalis Assessori Tabulam hanc D.D. Joh: Blaeu.
Milliaria Germanica communia
pro 60. latit. gradu.
pro 70. latit. gradu.
pro 80. lat. gradu.
Circulus sub Circulo Arctico.
Linea sub Circulo Arc.
New South Wales.
Buttons Bay
New North Wales.
James his Bay.
NOVA BRITANNIA.
Baffins Bay
FRETVM DAVIS
Terra de Corterealis
TERRA NOVA
OCEANVS SEPTENTRIONALIS
MARE TARTARICVM
NIAREN MORE
MOURMANSKOY MORE
CATHAIA.
ASIÆ PARS
TARTARIÆ PARS
RVSSIÆ PARS
EVROPÆ PARS
SVECIÆ PARS
LAPPONIA
Mare Album
Molgomzaia.
Obdora.
SAMOIEDA
St. James Lancasters Sound

GROENLANDIA.



Roenlandia terrarum subaquilonarium una, ab austro ad ortum porrecta, declinansque ad boream, à capite Faruel dicto, quod est promontorium ad Oceanum Deucaledonium. Longitudo ejus extenditur, juxta tractum Ponti Glacialis versus Novam Zemblam. Iungi à nonnullis putatur Tartariæ Asiaticæ; at id nondum liquet. Terminatur ergo ab ortu, Glaciali, ad austrum Deucaledonio, ad occasum districtu Hotzon dicto, sive Christiano, marique Hotzonio, sive Christiano nuncupato, quod eam ab America separat. Latitudo ejus, qua respicit aquilonem, nondum nota. Ex relatione Danica, à Capitaneo quo-[illegible] Dano, Iohanne Munch dicto (qui hac co-[illegible]erat navigationem instituere versus O-[illegible] Coro usus vento à capite usque Faruel) [illegible] Groenlandiam separatam esse ab A-[illegible]vatio Poli, si caput Faruel (quod est [illegible]ridionale, sequuti hic dictum Ca-[illegible] insignem alias nauclerum) respicia-[illegible]ta graduum est, trigintaque minu-[illegible]æ vero regionis partes elevatiores [illegible]lum contingunt propius. Nolo hic [illegible] præjudicium meum, asseverantibus [illegible]um illum Spitzberg dictum septua-[illegible] circiter graduum esse. Longitudi-[illegible] terræ hujus certo non asseverabo, cum nec relatio quam sequor, quippiam de eo affirmet, nec singulare aliquid, ultra id quod Geographicæ exhibent tabulæ, ipse habeam.

Termini.

Primi Incolæ.

Chronicon Danicum refert, Armenos tempestate actos in Oceanum Borealem, ausos exscendere in Groenlandiam, ubi commorati aliquantulum transierint in Norvegiam, rupesque incoluerint, adjacentes Mari Hiperboreo. Quod tamen fabulis plerumque innititur priscæque consuetudini, populorum originem à remotissimis trahenti nationibus. Verior sententia est, Norvegos transgressos in Groenlandiam à se repertam, sedes ibi hac ratione fixisse primos.

Nobilis quispiam Norvegus Torvaldus dictus, ejusque filius Ericus cognomento Rufus, commisso in Norvegis homicidio, fugerant in Islandiam, ubi Torvaldus diem obiit suum: Filius Ericus homo fervens, injuriarumque minus patiens, alium quempiam interfecerat in Islandia; cumque nesciret, quo se rigori judicum vindicumque cruoris subduceret, statuit sedes quærere in terra quæ tum *Gundebiurne* appellabatur, visaque dicebatur ad occasum Islandiæ. Ericus, reperta terra, exscensum fecit in sinu quem duo faciunt promontoria, quorum unum ad calcem Insulæ est, quæ ex adverso sita est Groenlandiæ, aliud vero intra continentem ipsum. Promontorium Insulæ *Huidserken* appellatur, Continentis vero *Huarf*, quæ promontoria inter portus est egregius, dictus *Sandstafin*, in quo naves à procella maris tutam habent stationem. *Huidserken* mons est altitudinis stupendæ, longe altior adverso *Huarf*, quem Ericus primum *Mukla Iokel*, quasi glacialem scopulum appellavit; demum dictus est *Bloserken*, quasi cærulea diceretur interula; tertium accepit vocabulum mons *Huidserken*, quod indusium sonat candidum. Postremis his vocabulis causam dedere nives, quæ cum uno eodemque, jam gelentur, jam liquescant tempore, glaciem formant coloris mixti, cum & glacies ipsa musco, graminique, tum arbustis supra scopulum nascentibus misceatur. At decidentibus magna vi nivibus, cum cuncta hæc coagulentur simul, glacies inde orta stupendam excrescit in crassitiem, nativumque repetit candorem. Ad fretum Danicum Hafniam inter ac Elseneram reperire est ingentes glaciei crustas, per diversum sparsas, quarum candidissimæ aliquæ, reliquæ coloris lazuri præstantioris referunt speciem. Nec ratio hujus rei reddi posset sufficiens, cum una eademque generentur aqua.

Vt igitur nostræ narrationis repetamus filum, Ericus Rufus anteaquam se committeret continenti, consultum putavit perlustrare Insulam exscensu facto. Nomen is Insulæ dedit *Ericssundt*, quasi Erici Insulam dicas, in eaque hybernavit. Vere adveniente, ex Insula transiit in continentem, quem appellavit Groenlandiam, quasi terram viridem, eo quod herbæ, arbustaque ibidem occurrerint venienti viridia. Exscendit dein in portum dictum à se *Ericsfiorden*, sive Erici portum, nec longe inde struxit ædem cui *Ostrebug* nomen imposuit, quasi orientale voces ædificium. Autumno sequenti progressus versus occasum, aliud struxit domicilium *Vestrebug*, sive occiduum appellatum. Cumque ibi continens videretur ipsi frigidior inhabitando, minusque Insula tutior; hyeme sequente reversus est in eam scilicet in *Ericssundt*. Proxima æstate repetiit continentem, progressusque boream versus, ad calcem usque rupis à se dictæ *Snefiel*, quasi saxum nivis diceres, reperitque ibidem portum, quem vocavit *Ravensfiorden*, sive Corvorum, eo quod eorum grandis ibidem copia. Portus hic à borea respicit *Ericsfiorden*, portum ad austrum positum, iturque ab uno ad alterum brachio, sive sinu maris, utrumque conjungente. Autumno redit Ericus à continente in Insulam, tertiumque hybernavit ibidem. Vere primo resolvit se proficisci in Islandiam. Vtque Islandis, quibuscum colebat amicitiam, præstaret gratiam, traheretque eos secum in Groenlandiam, plurima in laudem commentus est regionis. Abundare eam majoribus, minoribusque dejerabat feris, pastuque egregio, præter venationem, piscationemque copiosam. Persuasis Islandis redit in terram à se repertam, magno Islandicarum navium numero eum comitante.

Nominis origo.

Erici

Erici filius, Leife dictus, profectus è Groenlandia cum patre in Islandiam, hinc abierat in Norvegiam, in qua reperto Rege Olao Trugero, uti meum asseverat Chronicon, retulit ipsi excellentiam loci à patre suo reperti. Rex hic, qui paulo ante Christiana amplexus fuerat sacra, iisdem Leifeum imbutum, sacris tingi curat lymphis; hyemeque consequuta penes suam retinuit aulam. Æstate sequenti remittit eum ad patrem in Groenlandiam, dato ei, qui patrem quoque una cum suis, ad eadem disponeret sacra sacerdote quopiam. Redux Leifeus ad patrem, cognomen à suis Fortunati, seu *Leiffdenhepne*, accepit, eo quod grande sua in profectione evasisset periculum. Receptus tamen à patre iniquius, ob exteros secum adductos, quorum plerique pauperculi erant nautæ, quos pater impositos navibus, de rupe glaciali præcipites dedit in mare. Leifeus motus pereuntium misericordia, in suam eos receptos navem duxit in Groenlandiam. Ericum male habebat, præmonstratum à filio iter exteris in regionem, quam ille ignotam volebat reliquis. At filius patre generosior tumidos ejus repressit spiritus, humanitatisque patrem admonuit, cumque multa apud eum in Christianorum dixisset pietatem, supplex petiit, auscultari sacerdotem, à Rege Norvegorum ad se missum; quod factum adeo cessit feliciter, ut pater cum loci incolis sacris sese lustraverit Christianis.

Idque totum est, quod de Erico Rufo, filioque Leiffeo, primisque Norvegis Groenlandiæ habitatoribus, ex præfato hauriri potest Chronico. At Annales Islandici expeditionem Torvaldi, Ericique Rufi sui filii è portu Iedrensi in Norvegia ad tempora *Hakonis Iarls*, dicti Opulenti, rejiciunt; ad cujus tempus initium quoque suum sumit Chronicon. Olaus vero Truggerus, circa annum gratiæ 982, circiter Norvegis jura dabat. Chronicon tamen Danicum contigisse id asseverat anno salutis 770, posterius hoc computum, majorem videtur habere verisimilitudinem priori, ob bullam Gregorii quarti Pontificis, circa annum salutis circiter 835, Ansgario Episcopo transmissam, ad salutare Christi per Islandiam, Groenlandiam, totumque septentrionem propagandam symbolum. Hinc duo notanda veniunt, primum quod Danis ad Christi fidem sub Ludovici Pii imperium conversis, in plurimorum esset ore Groenlandia; alterum, quod à Gunthero Regis Daniæ Secretario, viro literatissimo, visa sit in Archivio Archiepiscopali Bremensi in vetusto manuscripto Chronico, bulla quæpiam constituens Archipræsulem Bremensem, totius Septentrionis, nominatimque Insularum *Islandiæ*, *Grunlandiæque* Metropolitam, quamvis tempus datæ memoria ipsi exciderit bullæ, certum tamen est præcessisse eam annum Christi 900.

Eadem Danorum refert Historia successores Erici Rufi multiplicatos in Groenlandia, progressos fuisse intra mediterranea regionis inter duos montes, reperisseque ibidem agros fertiles, pratis, rivisque lætos. Divisa est ab iisdem Groenlandia in Orientalem, Occiduamque, juxta Erici partitionem, secundum duo prædicta ortum versus occasumque domicilia. Ad ortum ii posuere urbem dictam *Garde*, inquam (juxta Chronicon) Norvegi quotannis suas deportabant merces ad habitatores in amicitia continendos. Horum posteri progressi ulterius alteram condidere urbem dictam Alba. Zeloque excrescente inter novellos hosce Christicolas, constructum est ibi Monasterium ad maris ripam honori Thomæ Apostoli. Vrbs Garde templo divi Nicolai navigantium patroni, prædita sedes erat Episcopi, templumque dictum cathedrale Groenlandiæ. Episcoporum ejus cathalogum videbis in specimine Islandico Angrimi Ionæ, cui de Groenlandia, ab eorum initio ad annum usque 1389, sermo. Refert Pontanus in sua Danica Historia, circa dictum salutis annum, Henricum quempiam Gardensem Episcopum interfuisse Comitiis Danicis Neuburgi in Fionia, ad ripam Balthis. Et quemadmodum Groenlandia à Rege quo ad politica Norvegorum, sic loci Episcopis ab Episcopo quo ad spiritualia sive Ecclesiastica dependebat Drunthemiensi. Præsulesque Grunlandici sæpe ventitabant in Norvegiam, ad in commune circa obortas religionis controversias cum Norvegis consultandum præsulibus. Groenlandi tum vivebant legibus Islandicis, vice-rege à Norvegis misso Principibus. Invenies vice-regum horum vocabula, tum iis æqualium Islandicorum heroum intra specimen Islandicum Angrimi patriæ suæ apprime amantis.

Ex eodem Danorum Chronico liquet rebellasse Groenlandiam anno 1256, negasseque tributum Magno Norvegorum Regi. Hinc Ericus Danus precibus Magni (cui neptis sua nupserat) victus, classem in Groenlandos ad officium reducendos expedivit. Groenlandi visa cum classe, tum vexillis armisque Danicis, consternati, veniam pacemque petiere. Danus viribus suis in Norvegum longe imparem abuti nolens Groenlandia suis recepta auspiciis, ei, neptis, & nepteque pronepotum suorum in gratiam, cessit. Pax hæc anno 1261 facta. Angrimus Ionas cum hujus meminit, tum trium quoque Groenlandicorum Principum, qui tractatu interfuere, suisque auspiciis ut incolæ perpetuum denuo Norvego jurassent tributum, factum id esse contestantur.

Chronicon Islandicum, brevis aliarum relationum rapsodia, caput quodpiam continet titulo, *Descriptio Groenlandiæ*, idque eo tempore scriptum videtur, cum res essent florentes in Groenlandia Norvegorum. Sicque verbum verbo sonat caput præfatum. Vrbs Groenlandiæ orientalior appellatur *Skagefiord*, ubi rupes inaccessa, paulo ante scopulus in oceano, ingressum navium, nisi undis altioribus prohibens. Cum vero aquæ majores, fluctusque vehementior, portum ingreditur multitudo balænarum, cæterorumque piscium, tuncque copiosa piscatio. Paulo versus ortum portus est *Funchebuder*, cui vocabulum inditum à cubiculario quopiam Regis Norvegorum sancti Olai, hoc in portu una cum aliis naufragio, perdito. Altius adhuc propeque montem glacialem sita est Insula *Roansen* dicta, in qua copiosa venatio, cum reliquarum ferarum, tum

tum ursorum candidorum. Nil ibi præter glaciem incurrit in oculos, qua terra, qua mari. Ad occasum est *Kindelfiord*, maris brachium, cujus tractus totus habitatus. Ad dextrum brachii hujus latus delubrum est *Korskirke*, sive templum crucis structum figura, quod ad *Petresuik*, ubi *Vandalebug* est, extenditur, è cujus regione claustrum sancto Olao, Augustinoque dicatum porrectumque ad *Bolten* usque. Prope *Kindelfiord* est *Rumpesinfiord*, ubi itidem Monachorum ædes, ibidem diversæ occurrunt Insulæ, quibus insunt thermæ, tam hyberno calidæ, ut accedentes abigant, æstate tamen temperatæ. Aquæ hæ salubres admodum sunt, plurimorumque curatrices morborum. Vicinum his est *Eynetsfiord*; inter *Eynetsfiord* ac *Rumpesinfiord* palatium extructum est regium dictum *Fos*, delubrumque grande Divo dicatum Nicolao. Intra *Lunesfiord* extat promontorium *Klining*; paulo ante sinum maris *Grantevig* dictum. è regione hujus ædificium dictum *Daller*, ad cathedrale spectans Groenlandiæ, quod exercet jurisdictionem in totum tractum *Lunesfiord*, speciatimque magnam Insulam, quæ est ex adverso *Eynetsfiord*, dictam *Reyatsen*, sic appellatam ob Damas magna ibidem pascentes copia. Intra Insulam hanc reperire est lapidem, dictum *Talguestein*, ejus duritiei, ut non cedat igni, adeoque scissioni mollem, ut inde fabricentur vasa potando, tum balneando, ea mole ut decem, aut duodecim impleant dolia. Paulo ante intra occidentem reperitur Insula *Langen* dicta, ubi octo reperiuntur ædiculæ, tota Insula ad dictum spectat cathedrale. Prope templum *Eynatsfiordense*, ædificium regium est *Hellestadt* appellatum. Ex adverso hinc in vicinia, sita est *Erricsfiord*, adque ostium brachii maris Insula dicta *Herriven*, quod significat herilem, dimidium ejus cathedrali, alterum dimidium templo *Diurnes* dicto, primoque totius Groenlandiæ (quod *Erricsfiord* ingressuris obvium est) subjacet. templum *Diurnes* totum id possidet, quod excurrit ad *Midfiord* quod extenditur ad *Erricsfiord*, versus corum. His vicinum est *Bondefiord* versus boream, intra quem multæ Insulæ, portusque. Quicquid inter *Ostro*, ac *Vestrebug* jacet inhabitatum est. Huic deserto vicinum est templum *Strosnes* dictum, quod antiquitus Metropolitanum erat, sedesque Episcopi regionis. Districtum Vestroburgensem totum obtinent *Skreglingres*: reperiuntur hic equi, capræque, uti & boves, oves, cæteraque animantia fera, nulli tamen cum Christicolæ, tum gentiles. Iuerus Berthius testis oculatus, curiæque Episcopi longo tempore præfectus, judicumque loci, ad pellendos sedibus illis *Skreglingres*, scito lectus, horum author est, qui postquam hasce pervenisset in oras, præter bestias, mortalium reperit neminem. Naves ergo cum ferina replessent, abiere. Ex adverso Vestrebug grandis scopulus est *Himmelradsfield* dictus, ultra quem nemo ausus navigare mortalium, ob charybdes ibidem locorum passim occurrentes. Idque totum est quod è præfato sciri potuit narrationis capite.

Dubitari hic posset, an templum *Strosnes* loco structum deserto, fuerit sub primam Groenlandiæ inhabitationem, Metropolitanum, sedesque Episcopi, cum non ambigatur Gardensem urbem hoc gavisam fuisse perpetuo jure. Chronicon Danicum amissam deplorans Groenlandiam, nec repertu denuo facilem, asseverat, si urbs Gardensis sedes olim Episcopi extaret, eoque expediri posset, magna, indubitataque repertum in rerum Groenlandicarum monumenta. Angrimus Ionas Islandus ipse, ubi sedis hujus Episcopalis meminit, expresse ait. Fundata in Bordum, verius legendum in Garden, Episcopali residentia, in sinu Eynatsfiord Groenlandiæ Orientalis. (Mirum quod non addiderit, quinam illi *Skreglingres* fuerint ab ipso armis adoriendi.) Doctor Vormius feros illos putat homines fuisse; primosque Groenlandiæ inhabitatores, quibus merito vocabulum hoc imposuerant Norvegii, quamvis causa ignoretur. Suspicio est habitasse eos ad alteram sinus ripam *Kindelsfiordensis*, ad occasum Groenlandiæ, adversam Norvegis incolentibus ripam. Cumque præfatus author dicat, *Skreglingres* totum obtinuisse Vestrebug, intellexisse eum, ripam quæ occasum respicit; cum vix credibile sit eum loqui de adversa versus ortum (quæ Norvegis habitabatur) ripa. Suspicari ergo licet, Norvegos quospiam parvo numero ultra *Kindelfiord* progressos, cæsos fuisse à barbaris. Vice-rex Norvegiæ, quem relator more Islandico Iudicem appellat, causam exploraturus cædis, numerosiorem eo misit militem, valida ad id destinata nave. Sylvestres visa navi, nec pugnando pares, fuga sibi cum intra nemora, tum scopulos, cavernasque suas consuluisse; Norvegis interim nemine reperto in ripa, quicquid de hostico rapere poterant, deputantibus in naves. Idque occasionem huic scriptori præbuit, memorandi equos, capras, boves, ovesque repertas apud *Skreglingres*, nullis mortalium visis. Wormius putat *Skreglingres* non adeo dissitos esse à freto Davis, suspicaturque eos fuisse Americanos, sive primos Groenlandiæ novæ incolas, quos Dani sub Christiani quarti demum detexere Imperium, vicinos veterum Groenlandorum, qui Norvegis olim parebant, quique Vestreburgum occupabant ante Erici Rufi adventum.

Skreglingres.

At non necessum est ab America accersere Groenlandos, postremaque Wormii conjectura verisimilior est, ubi Vestrebug suos quoque priscos habebat incolas, anteaquam eo devenerant Norvegi. Et quia partes ad ortum spectantes, viciniores erant mari glaciali, eoque minus fertiles, imo desertæ, Norvegi minus negocii habuere in iis possidendis, quam in Vestrebugo. Nec probabilitas ulla hac in narratione est, eos tentasse has appellere in oras ex parte occidua, cum longe promptior accessus sit à borea. Cum ubi octo integris navigatum est diebus, præter nives, glaciemque in convallibus rigentem, non occurrat aliud; ad eo ut credendum sit Norvegos pervenisse in Groenlandiam mari meridiem inter ac ortum, inter montes versus aquilonem sitos, ob glaciemque inaccessos, Skreglingleribus ad occasum inhibentibus. Accedit quod Islandicum probabiliter adstruit Chroni-

Chronicon conſtanterque aſſerit Norvegos adeo parum poſſediſſe in Groenlandia, ut vix tertiam Epiſcopæ Danicæ impleat partem, nec tamen Danicæ Præſules plus territorii Gallicis obtineant. Idem Danicum aſſerit Chronicon hiſce verbis: Tota Groenlandia centum excedit partibus, id quod Norvegi poſſederant olim ibidem, quod diverſis ea incolatur populis, à multiſque regatur heris, quorum nullam Norvegi habebant notitiam.

Fertilitas. Chronicon Iſlandicum aliam fertilitatis Groenlandicæ continet narrationem. Dicit enim quibuſdam ibidem locis naſci frumentum bonitate nulli prorſus in orbe cedens, quercuſque ibi eſſe adeo grandes, vaſtaſque, ut pomi magnitudine ferant glandes, alibi refert nullum ibi provenire ſementen ob ingens regionis frigus, nec incolas ullum panis noſſe uſum, quod convenit cum Danico ubi aſſeritur, Erici Rufi ſub adventum, non alio incolas, quam piſcium victitaſſe eſu, ob telluris infœcunditatem. Idem tamen Danicum ſubjungit Chronicon, ſucceſſores Erici rerum ibi potitos, reperiſſe inter montes, glebas fertiles, pratis hilares, aquiſque irriguas, quarum prædeceſſor nullam habebat notitiam. Chronicon autem Iſlandicum ſibi ipſi contradicit ſæpius, cum nil dicat ſementis in tam rigida naſci regione. Ratio quidem ibidem allegata dubium movet aliquod; pars enim illa Groenlandiæ, quam Norvegi coluerant, ejuſdem altitudinis eſt cum Uplandia Sueciæ Provinciarum fertiliſſima, in qua certum eſt provenire frumentum bonitate eximia. Idemque conjectatur eodem fundamento Chronicon, non eſſe eam Groenlandiæ partem adeo gelidam, uti Norvegia eſt. At conſtat in Norvegia egregiam provenire ſiliginem, quodque magis modo dictis adſtruit fidem, palam eſt in Norvegia reperiri locum, ubi intra trimeſtre duplex colligitur meſſis. Diſtrictus hic oppoſitus eſt ſcopulis perpetuo ſole, menſe Iunio, Iulio, Auguſtoque aduri ſolitis; hinc æſtu in plana deducto intra ſex hebdomadarum ſpatium, tellus excolitur, ſemen projicitur, meſſiſque colligitur matura. Cumque tellus hæc ſucci, pinguiſque obtineat plurimum, ob nives alte intra glebas conceptas, ſoleque probe excoctas, ad alteram ſex ſequentium æque bonam, ſufficiat meſſem hebdomadarum.

Probabile eſt Groenlandiam, ut & reliquas orbis plagas, fertilibus, infœcundiſque præditam eſſe locis, montoſam hic, planam alibi. Negari quidem nequit ſcopulis eam plerumque horrere aſperrimis.

Iſlandicum pergit Chronicon, reperiri ibidem diverſi coloris marmora; extra controverſiam eſt, cum paſtum ibi copioſum eſſe, tum parvæ, magnæque reperiri molis feras, equos videlicet, lepores, cervos, damas, lupos cum vulgares, tum cervinos, vulpes quoque urſoſque, qua nigros, qua candidos. Ibidem legere eſt Groenlandiam abundare caſtoribus, martibuſque, qui elegantia Moſcoviticis pares, uti & falconibus albis, griſeiſque, idque ſumma copia, plusquam toto orbe. Portabantur olim volucres hæ tanquam ſingulare quidpiam ob earum præſtantiam Regibus Daniæ, à quibus, vicinis qua Regibus, qua Principibus mittebantur dono. Eo quod ſimilis cum falconibus venatio, cuncta Dania, tum in toto fere non ſit crebri uſus Septentrione.

Animalia terreſtria.

& aquatilia. Mare hic piſcoſum admodum eſt, copioſa ibidem captura luporum, canum, vitulorumque marinorum, præter balænas innumeras. An urſi quoque Groenlandiæ candidi, terreſtribus, an aquatilibus annumerandi ſint, merito ambigitur. Nam uti nigri terram nunquam deſerunt, ſic candidi mare, nec niſi piſcatu victitant. Grandiores iſti ſunt, longeque magis feri nigris. Inſectantur illi lupos, caneſque marinos, qui fœtus ſuos ſupra glaciem balænarum metu excludunt, delectantur urſi hi balænarum potiſſimum præ reliquis piſcibus eſu. Non committunt illi ſe profundo, tum cum funditur glacies, eo quod natare nequeant, nec ſub aquis more piſcium ſpirare; verentur tamen ſibi à balænis, ſuis natura conjuratis hoſtibus, eo quod ipſarum devorent fœtus. hinc glacie à boreali ſciſſa Groenlandia, verſuſque meridiem fluitante, urſi hi cruſtis ſuperſtantes in undas proſilire non audent, applicitiſque glaciei montibus ad Iſlandicum, ſive Norvegicum littus, urſi quoque eo fame rabidi deveniunt. Heu male tum ſolis Norvegum erratur in oris.

Conſtat è peregrinis, ſummam his in oris urſos edidiſſe ſtragem, hiſtoriis. Abundabat ſemper Groenlandia cornibus, quæ nos unicornium appellamus, quæque in Dania cum integra, tum confracta videre eſt paſſim, ejuſdem plane figuræ, virtutiſque, ab illis quæ circumferuntur in Gallia, reliquiſque orbis partibus. Cornu illud cum integrum, tum inſigne quod Fridisburgi in Dania ſpectandum offertur, abſque controverſia majus eſt eo, quod apud ſanctum videre eſt Dionyſium. Non eadem quidem cum Dionyſiaco rectitudine eſt, ruptumque, ſive fractum locis aliquot eſt, at ejuſdem coloris, figuræ, ponderiſque cum altero. Fruſta horum cornuum quæ Hafniæ ſpectantur, certum eſt mederi veneno, æque ac Pariſiacum, reliquaque quæ in orbe reperiuntur. Conſtat quoque cornua Danica cum ſimilia eſſe in omnibus Gallico, tum in Daniam apportari è Groenlandia. Ambigitur tantum quarum ſint illa belluarum exuviæ. Wormius piſcium ea eſſe opinatur. Cujus opinio cum præconceptæ orbis totius ſententiæ, tum ſacris contraire videtur literis, quæ non piſces, at quadrupedes nobis depingit, cornuum ſimilium geſtatores unicornes.

Vnicornes.

Vnicornis quidem vocabulum ambiguum eſt, caditque tam in Onicem, quam Aſinum Indicum, quorum apud Ariſtotelem mentio, tum potiſſimum in immanem à Plinio deſcriptam belluam, cujus caput cervi ſimile, corpus equo, pedeſque elephanto, quæque cum pernicitate, tum incredibili pollet robore, adeo ut Divinæ cum velocitati in tranſcurſu montis Libani, tum robori quo proſtraturus erat Deus adverſarios comparetur in Scripturis. Deus fortis (Moyſes ait) Iudæorum eductor, vires ejus ut monocerotis. Nulla igitur veriſimilitudo eſt, unicornes Groenlandicos, aquaticos illos confundi cum

Meri-

Meridionalibus, ſive Orientalibus, quos palam eſt terras incolere. Eſaias prædicens Iudæos Hieroſolymis pellendos, una cum Regibus, ait, Vnicornes deſcendent cum eis, id eſt Iudæorum Principes, quod totum non niſi de terreſtri intelligi poteſt bellua. Quod ſi Propheta Vnicornes putaſſet aquaticos, natabunt dixiſſet, non deſcendent.

Idem ergo judicium eſto in ſpecie aquatilium Vnicornium, quod in canum, vitulorum, luporumque marinorum. Nec exoticum illud erit, cum Bartholinus author Danicus ſingulare capitulum habeat de marinis Vnicornibus. Difficultas tamen occurrit an belluæ hæ marinæ veros conſtituant Vnicornes, cornuaque prædicta vere ſint cornua, non vero dentes. Primi reſolutio dependet à ſecundo. Si enim dentes illa, non cornua ſunt, piſces hi Vnicornes eſſe nequeunt; quod ſi cornua ſunt, piſces quoque Vnicornes erunt, eo quod unico tantum armati ſint cornu. Wormius quidem conſtanter aſſerit dentes eſſe, non cornua. Angrimus quoque Ionas in ſuis Iſlandicis idem ſentit, dum inſigne quodpiam, quo Arnoldus Groenlandorum Præſul in Norvegiam petens periit, recenſet naufragium; navis hujus Præſulis rupta fluctibus eſt intra Iſthmum Iſlandiæ Occidentalis. Naufragium hoc contigit anno ſalutis 1126. additque inter naufragorum ſupellectilem: *Repertos dentes balænarum pretioſos, ac potiores, maris æſtu in ſiccum rejectos, ac literis Runicis, indelebili glutine rubeſcentis coloris inſcriptos, ut navigantium quiſque ſuos peracta aliquando navigatione recognoſceret.* Eſtque liquidum, id quod dentes Balænarum Angrimus appellat, illa eadem eſſe Cornua, paſſim in Dania monſtrari ſolita, quo de nunc nobis ſermo.

Diſcurſus hic de Cornibus prolixus admodum videretur, cui averem finem imponere judicio Cornu illius Dionyſiaci. Dixeram illud omni plane ex parte ſimile eſſe Danicis. Accedit quod Dani firmiter, ac abſque ulla refragatione ſentiant, paratoſque ſe probare aſſeverant, omnes Cornium ſpecies, per Moſcoviam, Germaniam, Italiam, Galliam, cæteraſque orbis partes monſtrari ſolitas proveniſſe è Dania, ubi eorum mercatura crebra erat, cum è Norvegis in Groenlandiam liber eſſet tranſitus, reciprocaque quotannis inter gentes haſce agitarentur commercia, Dani ea quaquaverſum divendenda mittentes, unicornium ea dictitabant, ad pretium merci conciliandum melius, quodque ab illis olim factum, nunc quoque factitatur idem. Non multum interceſſit annorum, cum novæ Groenlandiæ, quæ Hafniæ eſt, ſodalitas, ſuorum quempiam in Moſcoviam expediverit ſodalium, magna cornium horum in fruſta conciſorum quantitate ſtipatum, quæ inter, unum inſignis eminebat molis ipſi vendendum Principi. Acciditque ut advocato Princeps Medico ſuo, negotium ei examinandum commiſerit, qui cum dentes ea balænarum comprobaſſet, univerſæ Hafniam rediere merces. Cumque conſodalis itineris ſui rationem redderet complicibus, culpamque reductarum in Medicum refunderet mercium, inique auditus eſt, eo quod non Medicum, ducentorum vel trecentorum corrupiſſet præmio aureorum. Hinc nullum dubium, cornu Dionyſiacum ortum è Groenlandia, parique diſtractum fraude; tempus autem incertum eſt, at imago Cornu Dionyſiaci, in cunctis correſpondet denti Balænæ qui eſt Hafniæ. Radicem quoque præſefert eandem, quam cæteri illi, eroſus, putriſque eſt ſub calcem, inſtar dentis corrupti. Hinc firma mihi ſententia, cornu illud dentem eſſe è maxilla ſponte ſua deciduum Balænæ illius, quæ *Narhual* Iſlandis dicitur.

Addit Iſlandicum, auram Groenlandiæ leniorem eſſe Norvegia, cum nec tantum cadat nivis, nec tam vehemens dominetur gelu. Idque per vices, nec tantis ibidem fluctibus impetatur pelagus. At cum tempeſtas, tum gelu nimium, cum raro accidat, tum brevi deſinat. Danicum Chronicon miraculi inſtar refert, auditum fuiſſe tonitru horribile in Groenlandia anno ſalutis 1308, flammaſque de cælo caducas corripuiſſe delubrum *Skalholt* dictum, quodque durante tonitru flammiſque adeo prodigioſa irruerit procella, ut cacumina dejecerit ſcopulorum, cinereſque è ruptis magna copia proſilierint cautibus, adeo ut creditum tunc fuerit iratum in delicta hominum numen flammeam ad perdendos populos immiſiſſe pluviam. Tempeſtas dicta conſequuta fuerat atrocem admodum hyemem, ut memoriam ea ſuperaverit humanam, glacieſque totum in ſolidum duraverit annum. Id autem accidiſſe credibile eſt, ſi cum exempla priſca, tum vicinum Iſlandiæ reſpiciamus *Heklum*, qui mons borealior ea parte Groenlandiæ eſt. Idem aliquando accidit montibus Lapponicis, magis ad arcton vergentibus. Stabiliri idem poteſt è veteri Groenlandiæ deſcriptione, ubi aquarum calidarum, ſive thermarum mentio fit, adeo ut hyberno ardor eorum tolerari nequeat tempore.

Æſtas in Groenlandia dies nocteſque ſerena eſt, ſi nox queat dici crepuſculum illud perpetuum, quod tota ibi noctis tempore durat æſtate. Ac quemadmodum dies ibi hyeme breviſſimus, nocte contra longiſſima exiſtente, ſic natura mirabilem ibidem variat ſpeciem, producit effectum, ſi Chronico fides Iſlandico. Conſurgit in Groenlandia lumen quodpiam noctis comes individuus tum cum novilunium eſt; quod adeo totam illuſtrat regionem, ac ſi Luna pleno radiaret orbe. Ac quo nox obſcurior, eo lumen hoc ſplendidius eſt. Oritur è boreali parte, inde lumen quoque boreale ab incolis vocitatur. Speciem refert flammæ volantis, extenditurque in aëre inſtar altæ, longæque cuſpidis, progreditur de loco in locum relicto poſt ſe vapore. Nemo niſi qui illud vidit, præpetem ejus deſcribere poterit impetum, motumque. Durat totam noctem, ſoliſque evaneſcit ſub ortum. Certo aſſeritur lumen hoc conſpici ab Iſlandis quoque Norvegiſque, cælo ſereno, nulliſque impedito nubibus; lumen hoc non ſolos ad arctum illuſtrat populos, at ad noſtrum quoque extenditur horiſontem, hinc borealis appellatur aurora. Chronicon Danicum refert circa annum ſalutis 1271, tempeſtate quapiam per boream concitata ingentem glaciei, cui ſuperſtabant

ſtabant urſi, inerat quoque ipſi magna vis arborum, penetraſſe quantitatem in Iſlandiam. Hinc opinio, id quod ad occaſum repertum erat Groenlandiæ, partem ſolum regionis eſſe, extendique eam longe verſus boream. Hoc idem Norvegorum, Danorumque Reges permoverat olim ut cum navibus miſſis, tum ipſi perſonaliter inquirerent, at præter ingentem glaciei vim, nil reliquum reperiri potuit. Cauſam vero cum profectionis ad ulteriorem Groenlandiam, tum novarum ad Boream quærendarum regionum præbuerat, ſive rumor incertus quiſpiam, ſive firma mentibus iis infixa opinio, magnam illis in oris argenti, lapidumque pretioſorum reperiri quantitatem; cui adſtipulabatur illud ex Iobo, *Aurum ab aquilone venit*. Hinc ut idem refert Danicum, reverſos inde quandoque mercatores, opimis ditatos theſauris, ſub tempuſque ſancti Olai Regis Norvegorum, Friſlandicos idem eodem fine tentaſſe iter naucleros, ingentique correptos procella, ad ſcopulòſque regionum illarum actos, coactos fuiſſe, minus tutum quempiam ingredi portum. Cumque ibi deſcendiſſent, repererе ibidem vilia, intra humum ſtructa tuguriola, è materia quæ auri, argentique refulgebat ſplendore; quo moti, è mineris illis, quantum quiſque poterat, abſtulere ſecum. At cum ſuas repeterent naves, incolæ loci torvo aſpectu, lemurumque ſimiles, è dictis proreptantes tuguriolis, arcu, fundiſque armati, canibuſque comitati grandioribus, minabantur impetum. Quo terrore conſternati Friſlandi, cum ad rapinam ſalvandam, tum ad ſeſe periculo ſubducendos, feſtinavere ad ancoras. Vnico ſociorum pigriore aliis, à Barbaris intercepto, in conſpectuque ſodalium miſerum in modum momento dilaniato. Addit Chronicon, regiones has abundare theſauris, hinc ortus opinioni, Saturnum ibi ſuas recondidiſſe opes, quas interim à lemuribus inſideri.

Venæ Auri & argenti.

Extat capitulum quodpiam in Iſlandico, titulo, *Iter*, ſeu *navigatio ex Norvegia in Groenlandiam*, quod ſic ſonat: Legitimum iter ex Groenlandia, ſecundum id, quod experti nautæ, in Groenlandia nati, indeque paulo ante reverſi retulere nobis, tale eſt. E loco, dicto *Nordſtaden, Sundmur*, in Norvegia exiſtente, naviganti recta verſus occaſum, uſque ad *Horeſuntum* ex parte orientali Iſlandiæ, iter eſt dierum ſeptem. Ex *Suoſuels Iokel*, qui eſt mons ſulphureus in Iſlandia, uſque in Groenlandiam iter breviſſimum eſt, ſi eatur verſus occaſum. Medio Iſlandiam inter, ac Groenlandiam ſita eſt *Gundebiurne Skeer*. hocque erat vetus in Groenlandiam iter, anteaquam glacies è borea vi magna irruens periculoſum illud reddidiſſet. Paulo poſt refertur, ſeparato tamen articulo. Ex *Languenes* in Iſlandia, quæ eſt extremitas ejus ſeptemtrionem verſus, ſi eatur verſus boream octodecim leucæ ſunt ad *Oſtreborn*, quod cornu ſignificat Orientale. Ex *Oſtreborn* ad *Huallsbredde*, iter eſt bidui noctiumque duarum.

Legitimum iter ex Groenlandia.

In eodem Iſlandico reperitur capitulum, ſub titulo: *Tranſcriptum è veteri codice, dicto Speculum Regale, quoad navigationem in Groenlandiam.* Cujus textus ſic ſonat præcedenti clarius: Viſa ſunt olim tria monſtra marina, grandia, figuræque enormis, juxta mare Groenlandicum. Primum à Norvegis appellatum fuit *Haffſtramb*, quod viſum fuit à cingulo, ad verticem, uſque aquis innatans, ſimile erat homini, qua collum, caput, vultum, naſum, labiaque, capite tamen ultra modum alto, ac in acumen deſinente, humeris erat amplis, ad quorum radices, duos brachiorum habebat truncos, abſque palmis, corpus ejus erat molle inferne uſque ad cingulum, infra quem quale eſſet non apparebat; aſpectus ejus glaciei inſtar. Quotieſcunque phantaſma hoc viſum in mari, tempeſtatis erat prænuncium. Aliud monſtrum appellatum eſt *Marguguer*, ſpeciem referebat mulieris uſque ad cingulum, grandes habebat mammas, capillitium ſparſum, ad radices brachiorum habebat palmas, digitis eo modo colligatis, quo apud anſeres. Viſum eſt piſces manu tenens, voranſque, iſtud quoque certiſſimæ tempeſtatis index erat monſtrum. Si monſtrum hoc verſo ad navigantes ſupernatabat vultu, periculo res carebat; quod ſi obvertebat dorſum, res erat conclamata. Tertium monſtrum dictum eſt *Hafgierdinguer*, quod non erat proprie monſtrum, at tria grandia capita, ſive vertices aquei, tempeſtate ſic formati; quod ſi forte fortuna navigium intra tres iſtos implicabatur angulos, certa erat pernicies, ac vix evadebat quiſpiam naufragium. Monſtrum hoc poſtremum, cum maris æſtu, tum vehementibus, ſibique contrariis cauſatur ventis. Idem liber refert reperiri hoc eodem in mari glaciei cruſtas, ſtatuarum grandium inſtar, figuræque mirabilis referentes ſpeciem. Monet eos qui proficiſcuntur in Groenlandiam, converti debere curſum verſus Africum, priuſquam contingere pergant continentem, ob ingentem glaciei vim, æſtate etiam hoc in pelago fluitantis. Conſulitque iis, qui ſe inter has glaciei cruſtas concluſos vident, id agere, quod cæteri quoque, eodem circumventi fecere periculo, nempe ut navigia ſua ſuperponant ampliori glaciei cruſtæ, una cum commeatu ſufficienti, donec vel à cruſta in aliquam deportentur terram, aut ea colliqueſcente, libero ſeſe iterum committant mari.

Monſtra marina.

Danicum Chronicon narrat anno 1348 peſtem quampiam, nigram dictam, adeo graſſatam fuiſſe in Septentrione, ut præcipui nautarum, mercatorumque cum Norvegiæ, tum Daniæ ea interierint, ſodalitatis Groenlandicæ intra dicta Regna authores, adeo ut navigatio Groenlandica tota fere perierit, reddereturque ignota. Wormius tamen aſſerit ex manuſcripto Danico à ſe viſo circa annum 1484, Iohanne Rege, extitiſſe, Bergis in Norvegia ultra quadraginta naucleros, ſingulis annis in Groenlandia negotiantes, qui cum merces ſuas tum Germanis inſtitoribus Bergas appulſis diſtrahere nollent, ab ipſis ad cœnam invitatos, nocte omnes fuiſſe trucidatos. Quod tamen veriſimile non eſt, eo quo conſcriptum eſt modo, nec credibile eſt eo tempore crebram viguiſſe in Groenlandiam navigationem è Norvegia.

Peſtis immanis.

Vectigalia Groenlandiæ vetera deſtinabantur in apparatum menſæ Regum Norvegorum, nec licebat ſub pœna capitis eo navigare, niſi con-

Vectigalia.

Arcticæ

consensu Regis, accidit anno 1389, quo Henricus Episcopus Gardiensis interesset Comitiis Danicis in Fionia celebratis, regnante Margareta, quæ Norvegiam conjunxerat Daniæ, ut mercatores quipiam Norvegici extra scitum Reginæ iverint in Groenlandiam, fuerintque ideo non postulati crimine regii vectigalis inversi, adeoque severe, Reginæ jussu, cum eis processum fuit, ut nisi juramento supra Euangelium (se tempestate actos appulisse in Groenlandiam) sese purgassent, mercesque se propriis comparasse nummis, nec Regia attigisse vectigalia, de capite periclitati fuissent. Quod factum adeo reliquis omnibus pavorem incussit, ut nemo in posterum iter in Groenlandiam absque Regis venia suscipere ausus fuerit. Eadem Regina paulo post eo expediverat naves, quæ tamen non rediere domum, suspicio quidem erat eas periisse; at quo pacto, quove in loco sciri non potuit. Norvegici quoque veteres naucleri ob tale Reginæ decretum, Groenlandico abstinuere littore. Regina vero rebus implicita Suecicis Groenlandicam in posterum neglexit profectionem.

Episcopi Gardienses.

Refert Chronicon Danicum circa annum 1406, Episcopum Drunthemiensem *Eskildum* expedivisse navem in Groenlandiam, ea qua prædecessores sui motus sollicitudine, misso simul Andrea quopiam, sive successuro, Henrico, casu quo diem obierat suum, sive aliqui ipsi relaturo certi. At postquam Andreas eo profectus, sciri non poterat, qui cum ipsi evenerit, tum quid Henrico actum esset. Hicque est ultimus Præsulum è Norvegia in Groenlandiam missorum. Idem Chronicon successores Margaretæ usque ad Christianum quartum describit, notatque singulorum cum conatum reperiundæ Groenlandiæ, tum desideria saltem.

Reges Daniæ & Norvegiæ.

Ericus Pomeranus successor Margaretæ, cum esset extraneus, non adeo ejus rei sollicitus erat, adeo ut ne de nomine quidem Groenlandiæ percunctari curaverit.

Christophorus Bavarus, Erici successor, totum regni sui tempus, in debellandis Vandalis, sive Pomeranis absumpsit. Stirpsque Oldenburgica, quæ in præsens Danica tenet sceptra, regnare cœpit anno 1448. Christianus ejus nominis gentisque primus, borealibus curis posthabitis, mentem vertit in Meridiem, profectusque Romam obtinuit à Papa Ditmarchiam pro Danico Regno, jusque fundandæ Vniversitatis Hafniensis.

Ejus successor Christianus secundus, dum inaugurararetur, solemniter quidem juravit se omni sollicitudine res curaturum Groenlandicas, at pro eo quod à prædecessoribus suis amissa repeteret, amiserat fere ipse propria. Dominatus namque suus crudelis, Suecos, à Margareta Danico junctos regno, rebellare fecerat; ipse è Suecia in Daniam profugus, cum trucem non mutaret animum, à Danis tandem deturbatus Regno. Hinc inter Reges Danicos, sceptro in manibus fracto, depingitur. Hujus regis Cancellarius Ericus Valcandor, nobilis Danus, ejecto Rege, factus fuit Archiepiscopus Drunthemiensis, homo cum insignis virtutis, tum magnorum spirituum. Hic cum se in suum recepisset Archiepiscopatum sollicite curabat, ut postliminio reperiret Groenlandiam. Hunc in finem lectis omnibus de Groenlandia scriptis, consultisque cunctis cum mercatoribus, tum veteribus naucleris, rei maritimæ in Norvegia apprime gnaris, curavit hujus profectionis tabulam confici. At cum propositum suum intendit exequi, anno 1524, accusatus à Magnate quopiam Norvegiæ, non Archiepiscopatu modo, sed & Regno cedere, Romamque confugere, ibique diem obire coactus est.

Fridericus Primus, patruus Christierni, occupato Danorum, Norvegorumque regno, nondum Christierni extincta factione, veritusque Valcandorum, eo jam è Norvegia ejecto, sodalitatem etiam dissipavit Groenlandicam ab Archiepiscopo institutam.

Christianus Tertius, Friderici primi successor, conatus quidem reperire Groenlandiam, at missa classe cum nil explorari potuerit, coactus fuit severam prædecessorum suorum tollere inhibitionem, cunctisque iter absque scitu suo permisit in Groenlandiam. Norvegi tamen ea tempestate adeo navium inopes, ut hanc periculis, sumptibusque plenam, non valuerint tentare profectionem.

Magni Heigninzen profectio.

Fridericus Secundus sceptri conatuumque patris Christiani tertii hæres, expediverat eo Magnum quempiam cognomento *Heigningzen*, ad inquirendam Groenlandiam, experiundumque, an res ita sese haberet, uti Chronicon asserebat; esse scilicet secretum, sive causam quampiam occultam, qua regionis hujus impediretur notitia. Dictus Magnus post errores, periculaque plurima, tandem in conspectum venit Groenlandiæ, excendere tamen nequiit, eo quod mox à regionis conspectu, navis sua mediis hæserit in fluctibus, magno sane cum stupore, eo quod nec ventus esset adversus, nec glacies obvia, undæque maris sat profundæ. Cumque ultra progredi nequiret, coactus est repetere Daniam, narraturus id quod sibi acciderat, magnetis scilicet fundo maris hærentis vi, navem constitisse suam. Si natura piscis Remoræ sibi fuisset nota, in ipsam sane conjecisset causam. Accidit hoc anno 1588, aut circiter, regnante Friderico Secundo. Nostrum Chronicon, quod cursui præcise inhæret annorum, historiam quampiam prolixam inserit, inter regnum Christiani, ac Friderici, expeditionis cujuspiam à Martino Forbeiser, Capitaneo Anglo in Groenlandiam susceptæ anno 1577, unde plus lucis hauriri poterit, cum quo ad naturam regionis, tum incolarum ejus mores, quam ex aliis hactenus à nobis visis scriptis, sicque sonat:

& Martini Forbeisser.

Martinus Forbeisser ex Anglia profectus in Groenlandiam anno 1577, in conspectum quidem ejus venit, eo tamen anno excendere in continentem nequiit, cum ob continuam noctem, glaciemque, tum quod præventus esset hyeme. Redux ergo in Angliam, Reginam Elisabetham profectionis suæ certiorem reddidit; quæ fide dictis adhibita, in terram hactenus incognitam jus acquisivit sibi. Primo vere datis sibi tribus à Regina navibus, Forbeisser venit in Groenlandiam, excenditque in continentem ad orien-

Barbarorum astus,

orientalem regionis plagam. Loci incolæ visis Anglis fugere, relictis tuguriis, ut se quo cuique promptum absconderent. Horum aliqui terrore perciti, ex altissimis rupibus præcipitavere sese in mare. Angli cum barbaros ad se allicere nequirent, ingressi sunt relicta ab ipsis tuguriola. Hæc erant tentoria facta è pellibus vitulorum marinorum, sive balænarum, extenta supra grandiores perticas, consutaque dextrè eorundem nervis piscium. Cuncta hæc tentoria duo habebant ostia, unum occasum, alterum austrum versus, remotæque ab Euro, atque aquilone, qui has maxime infestant regiones. Intra tentoria hæc nullum reperere hominum, præter deformem quampiam vetulam, unamque juvenculam gravidam, quas abduxere secum, una cum infante quem ipsa gestabat brachiis. Abstraxerant hos, juvenculam scilicet cum infante, è manibus vetulæ ejulantis horribiliter. Profecti inde navigarunt versus ortum, videruntque monstrum in aquis bovis magnitudine, quod ad radicem rostri habebat cornu unam ulnam cum dimidia longum, quod putabant Vnicornem esse. Navigarunt inde versus boream, visaque terra quapiam sibi commoda, eo excenderunt. Casuque quo tellus hæc continentis esset pars Groenlandici, appellarunt tamen eam *Anavarich*, ut ejus sub altero vere adire possent possessionem vocabulo. Animadversum autem est tractum illum terræ subjectum esse terræmotui, adeo ut grandes quoque scopuli jactarentur in præceps, habitationemque loci illius plenam esse periculo. Aliquantulum ibi commorati sunt, eo quod viderint ibi glaream, sive sabulum, in quo copiosum relucebat aurum; unde trecentas implevere tonnas. Omnem adhibuere curam, ut barbaros sibi conciliarent loci incolas, qui signis idem sibi placere simulabant, addito si Angli ulterius progrederentur intra mediterranea, reperirent quod quærebant. Forbeisser signis respondit sylvestribus eo se proficisci velle, expositisque aliquot in scapham militibus, reliquas tres sequi se jubet naves; cumque prope ripam procederet sursum, animadvertit magnam barbarorum in scopulis multitudinem, simulque dolum. Barbari vero qui eum supra ripam conduxerant, viso ejus pavore, ut animos ipsi facerent, expediverunt ad inferiorem aggeris crepidinem tres suorum comptius vestitorum, meliorisque aspectus; qui signis eos ad excensum invitarent amicis. Forbeisser bona procedebat eo fide, cum non nisi tres eorum ad portum starent, reliqua barbarorum multitudo scopulis à longe sitis hæreret. At barbari sub crepidine aggeris retro absconditi, mox ac Forbeisser ipsis in ripa visus, præcipites concurrere ad portum. Quod intempestivum barbarorum factum, tempus ipsi sese præbuit recolligendi. Barbaris tamen instantibus, Anglosque jactis magno numero in ripam crudis pellibus, quasi commercii cum iis causa, allicientibus ad sese advenas; quibus propius non audentibus accedere, talem barbari commenti sunt astum. Ægro quopiam, sive ægritudinem simulante, ad ripam exposito, extra conspectum abiere, rebantur enim Anglos more extraneis usitato ægrum venturos invisum, adjutumque, sive interpretis habendum loco. At Angli dolum suspicati, substiterunt, exploso supra ægrum sclopo, qui confestim cursu sese proripuit ad reliquos. Quo facto barbari innumerabiles fero è suo in Anglos aggere projecere infinitam lapidum, telorumque vim, fundis, arcubusque. Anglis id ridentibus, viceque versa, scloporum, bombardarumque jactu in eos tonantibus, quo facto in momento fere dissipati sunt Barbari.

Barbarorum astus,

Barbari hi cum dolosi sunt, tum feri adeo, ut nec blanditiis, nec donis cicurari valeant. Pingues sunt, agilesque, coloris spadicei. Opinio est reperiri inter eos atros quoque uti Æthiopes; vestiuntur pellibus canum marinorum, nervo consutis. Fœminæ eorum fasciculis quibuspiam, seu nodis sese intorquent, sicque exornantur. Capillos infra auriculas rejiciunt, ad aperiendam faciem, quam cæruleo, flavoque inficiunt colore. Præcinctorio nostratium fœminarum more non utuntur, at caligis pluries superinductis, è pelle piscium consutis. Quodlibet caligarum harum suam habet crumenam, ubi cultelli, fila, acus, parva earum specula, reliquæque asservantur nugæ, quas cum ab advenis comparant, tum ripa maris legunt, ubi eo profecti fecere naufragium. Interulæ cum virorum, tum fœminarum ex intestinis fiunt piscium, subtilioribus consutæ nervis. Vtrorumque habitus amplus est, capaxque, quem adstringunt loris, è pelle piscium detractis. Fœtidi sunt fœdique, ac salaces. Lingua ipsis mappæ loco, ac sudarii inservit, nec obscœnum illis putatur, quod cæteris pudori esset. Opulenti ii apud eos putantur, qui arcubus, fundis, lintribus, remisque abundant. Arcus eorum breves sunt, sagittæque graciles, ad calcem armatæ osse, sive cornu acuminato. Dextre admodum suos tendunt arcus, fundasque, ut & pisces sub aquis scite trajiciunt lanceis. Parvi eorum lintres cooperiuntur pellibus canum marinorum, nec nisi unius capaces sunt hominis. Scaphæ eorum grandiores conficiuntur ex arboribus, inter sese compactis, juncturis, sive cuneis ligneis; cooperiuntur pellibus balænarum majori nervo consutis. Scaphæ hæ viginti ferme hominum capaces sunt, vela, eadem qua interulæ constant materia, intestinis scilicet piscium, subtilioribus consuta nervis. Et quamvis nihil apud eos ferri videas, adeo tamen valida eorum sunt navigia, probeque compacta, ut summo etiam intrepide committantur mari. Nulla illic venenata bestia est, præter araneum; Hepiali tamen muscarum genus his infestum est regionibus, adeo ut earum puncturis deformentur vultus. Aqua dulci carent Groenlandi, præterquam è nive collegere liquefacta. Historici asseverant, nimio regionis gelu, obserari terræ venas, ne scaturiant fontes. Canes ibidem stupendæ reperiuntur molis, quibus curriculo alligatis, caballorum instar utuntur. Hocque totum ex prædicta haustum est relatione.

Indoles,

forma, color, vestitus,

mores,

& arma.

Redeamus jam ad Christianum Quartum, Friderici II filium, patremque Friderici Tertii modo regnantis. Is cupidus, patris, avique prosequendi conatus, expeditionem cordi sumpsit Groen-

Groenlandicam. Huic fini curat ex Anglia advocari Capitaneum quempiam, maris hujus, itinerisque apprime gnarum. His factis adornata trium validarum navium classe, cui *Gotske Lindenaw* nobilem præfecit Danum, primo vere anno 1605 solutum est è freto Danico. Tres naves hæ aliquo simul procedebant tempore, at cum Capitaneus Anglus attigisset altitudinem poli, quam quærebat, vertit se versus corum, glaciem veritus; utque eo facilius extra periculum contingeret Groenlandiam. Iter autem hoc concordat in cunctis, cum vetere illo Islandico monito, supra à nobis allegato. Danicus tamen Thalassus, ratus Anglum non recte profectum, versus corum, ibat versus boream, solusque sua parte pervenit in Groenlandiam. Qui vix ibi ancoras jecit, mox magno barbari numero, qui ipsum è ripa viderant, conscensis lintribus, visuri advenas appulere ad navem. Quibus ille, ubi propenso eos suscepisset animo; vini potum exhibuit, at non delectati eo barbari, corrugata gustarunt fronte, visoque balænarum succo, sive adipe, magno poculo, grandique evacuarunt gustu.

Profectio prima, jussu Christiani IV.

Attulerant secum barbari pelles vulpinas, ursinas, vitulorumque marinorum, magnamque quantitatem cornuum, quæ ab historicis pretiosa appellantur, quorum partim frusta, partim extremitates erant, permutaruntque ea, aciculis, cultellis, speculis, uncinulis, cæterisque scrutis Danicis. Ridebant ii auream, argenteamque monetam, sibi oblatam, summamque viceversa monstrabant voluptatem erga artefacta chalybea, quæ ipsi cunctis præponunt reliquis, comparantque ea carissimis sibi rebus vice versa oblatis, ut sunt arcus ipsorum, sagittæ, lintres, remique. Cumque quod dent non habent amplius, detrahunt sibi interulas, illasque offerunt. *Gotske Lindenaw* commoratus est ibidem triduum integrum, nec si Chronico fides, excensum eo fecit. Non ausus procul dubio descendere, ne paucos suorum evidenti committeret periculo, infinitæ barbarorum multitudinis eo loci repertæ. Levatis ergo ancoris, quarto post solvit eo die, duobus intra suas naves retentis barbarorum, qui vi conabantur magna manibus sese extricare Danorum, seque jactare in pelagus, adeo ut necessum fuerit vinculis eos adstringere. At pro ripa consistentes barbari, viso levari vela, suosque retineri, post inconditos clamores, innumeram in Danos jecere quantitatem lapidum, sagittarumque. Dani tamen explosa semel bombarda cunctos abegerunt à se. Thalassus hic solus rediit in Daniam, uti solus sua parte contigerat continentem.

Anglus autem Capitaneus alia vectus navi Danica, attigit Groenlandiam, uti Chronicon narrat, eo terræ puncto, quod occasui obversum est, quod non potest esse aliud, præterquam *Faruel*. Constat etiam ingressum ipsum fuisse sinum Davis, attigisseque continentem sinus hujus orientaliorem. Reperit is ibidem commodos portus, tractusque terræ, cum herbosos, tum habitationi aptos. Barbari loci illius usi sunt cum eo, commercio, eo plane modo quo præfati cum *Lindenaw*. Barbari hujus regionis longe meticulosiores erant illis, nec adeo fidebant advenis, subito enim receptis, quæ fuere licitati, refugere in suos lintres, quasi fuissent insequendi, spoliandique. Dani cupidi excensus faciendi in aliquem portuum horum, manum armavere suorum. Regio visa illis commoda, eo quo exscenderant loco, at arenosa, petrosaque ad instar Norvegiæ. Cumque fumos regio crebros edat, rati sunt reperiri ibidem mineras sulphuris. Reperere quoque ibidem magnam vim lapidum mineras argenti continentium, quos detulere secum in Daniam, ubi de centum saxorum pondo, viginti sex argenti extractæ sunt unciæ. Capitaneus hic repertis tot eo tractu portubus, nomen loco indidit, Danicum, tabula Geographica priusquam inde solveret, confecta. Curavit idem quatuor melioris notæ barbarorum capi, quorum unus adeo ob id factus rabidus, feroxque, ut necessum fuerit, cum non mitesceret, nec asportari valeret, scloporum eum trajici ictibus; quod factum adeo tres residuos consternavit, ut sponte sese ab duci sinerent. Eodem momento accurrit multitudo barbarorum, cum vindicatura mortem unius, tum reliquos ereptura Danis. Obsesso igitur itinere mare inter Danosque in continente relictos, adornabant conflictum, impedire cupidi eos qui in navibus erant, ne suis auxilio venirent periclitantibus. At Dani in continente stantes, sclopos, naves vero adeo tempestive, commodeque exoneravere machinas, ut barbari horrendo bombardarum boatu, flammisque attoniti, qua data via, diffugerint, libero Danis in navem sese recipiendi relicto spatio. Qui reduces in navigium levatis ancoris rediere in Daniam, una cum tribus barbarorum, quos Regi, hero obtulerunt suo, quos ille civiliores illis, quos Lindenaw secum asportaverat, reperit, cum vestitu, linguaque, tum diversos moribus.

Commercia.

Rex ubi prima sibi satisfactum profectione, secundam adornat anno 1606, misso eodem Lindenaw, datis ei quinque navibus validis, qui 8 Maji solvens è freto, duxit secum tres barbarorum, ab Anglo intra sinum Davis captorum, ut eorum cum conductu, tum interpretatione uteretur. Miseri hi cognito se redire ad suos, ingenti gestitant voluptate, horum unus inter navigandum ex ægritudine decessit, projectusque in pelagus. Lindenaw illo, quo Anglus, profectus itinere versus nempe sinum Davis, caputque Faruel; cumque una è quinque navibus, crebra tempestate, à reliquis aberrasset, quatuor residuæ pervenere in Groenlandiam tertia Augusti. Ad primam stationem, ubi jactare cœperant Dani ancoras, barbari magno numero accurrere ad ripam; at nullis cum Danis uti volebant commerciis; cumque non fiderent Danis, nec Dani sese ipsis concredebant; unde progressi paulo altius, reperere portum priore commodiorem; at & barbaros pariter, deterioris longe prioribus erga se affectus; intuebantur enim barbari torve Danos, quasi conflicturi cum eis, casu quo excensum tentarent. Dani cum nec his, uti prioribus se concredere vellent, navigarunt ulterius. Quandocumque autem Dani terræ applicare volebant, barbari quoque suis cum lintri-

Profectio secunda.

Barbarorum diffidentia.

bus

bus eo sese vertebant. Dani tamen aliquot vicibus, circumventis barbaris, sex eorum una cum lintribus, suppellectileque in suas rapuere naves. Accidit ut terna statione Dani jacerent ancoras, famulus quispiam Lindenavii miles animosus, ac industrius instaret admodum, ut sibi permitteretur excensum facere soli, experimenti cum barbaris capiendi gratia. Cumque obtinuisset, addito, ut barbaros, sive mercibus, quas secum asportarat, alliceret, sive se in tutum, ubi periculum animadvertisset, reciperet. Victus erat instanti militis prece herus. At non prius pede terram contigit miles, cum obsessus à barbaris, cæsus, in frustaque discerptus fuerit, quo facto barbari extra jactum Danicarum sese recepere machinarum.

Barbarorum crudelitas,

Cultri, lanceæque barbarorum horum constant cornibus, sive dentibus piscium, dictorum Vnicornium, quæ acuuntur scopulis, nec minus tamen scindunt, quam si ferro, chalybeve facti essent. Lindenaw viso nullum sibi iis in locis relictum negotium, rediit in Daniam. Vnus autem captivorum Groenlandicorum dolore relinquendæ patriæ, abjecit sese in mare, submersusque est. In reditu reperere quintam, quæ cum eo irent, tempestate fuerat à reliquis disjecta. Quintiduum solum licuit ipsis navigare simul, nam atroci coorta tempestate, adeo cuncta ab invicem disjecta fuerant navigia, ut nisi intra mensis spatium conjungi potuerint. Pervenere tandem Hasniam (exhaustis plurimis mari periculis) quinta Octobris sequentis.

& arma.

Daniæ Rex tertiam adornavit eo profectionem, duabus magnis navibus, Capitaneo cuipiam Holsato, nomine *Karsten Richkardson*, assignatis, additisque ei nautis Norvegicis, ac Islandicis, qui eum conducerent. Ait Chronicon solvisse eum è freto 13 Maji, non apposito anno; de quo mihi nullatenus constare potuit. Octava Iunii conspexere cacumina montium Groenlandicorum, at excendere non potuere ob crebram glaciem, compactam adhuc, quæque procul à continentis ripa procurrebat in mare, erat supra glaciem hanc alia quoque, adeo ut rupis præseferret speciem. Notarunt historici, accidere quandoque, ut ne æstate quidem solvatur tota glacies in Groenlandia. Holsatus re infecta redire coactus; accedebat quod navis altera tempestate fuerit à se disjecta, solusque esset cum contingeret glaciem illam. Ejus excusationem Rex habuit ratam.

Profectio tertia.

Quod captos illos duabus profectionibus concernit Groenlandos. Rex Danus assignatis qui eos custodirent, singularique prosequerentur cura, adeo ut liberum illis esset, quo vellent, exspatiari, cibabantur lacte, butyro, caseo, carnibus, piscibusque crudis, eo prorsus, quo nutriebantur in patria modo, eo quod nullatenus ad nostrum potuerint assuefieri panem, cibosque coctos, tanto minus ad vini potum, non enim putabant libenter, nisi rude oleum canabinum, seu lineum, aut succum balænarum. Convertebant crebro vultum in septentrionem, suspiriis amore patriæ ex alto ductis. Cum custodia esset aliquando laxior, conscenderunt aliqui clam suos lintres, raptisque remis tentabant trajicere

De barbaris historia,

Victus,

Arcticæ pelagus. At fluctibus (ad decem, vel duodecim à freto progressi leucis) rejecti erant ad oram Scaniæ, ubi ab incolis intercepti, reductique Hasniam. Quo facto arctius custodiebantur; unde ægri animo obiere.

Quinque adhuc ipsorum residui erant, tum cum Hispanicus appulisset Hasniam Legatus, ad quem Rex oblectandum, curavit advocari captivos, suosque in freto experiri lintres. Lintres hi decem, aut duodecim pedes longi sunt, crassi unius circiter digiti, compacti ossibus balænarum, extus, intusque tecti corio vituli marini, consuti nervis. Similes sunt lintribus è tilia vulgo confectis. Machinula autem hæc quasi ovalis figuræ est, in cujus medio foramen hominis capax, desinitque linter in duo ex utraque parte acumina, seu angulos, proportione angulorum ducta, ad capacitatem foraminis in medio relicti: vis hujus machinæ tota consistit in duobus sibi oppositis acuminibus, in quibus dicta balænarum ossa probe colligata sunt. Foramen dictum centri vicem obtinet, ad cujus circumferentiam ossa colligata coëunt, adeo ut inferior circulus, superiori annexus sit instar ansæ vasi suo adhærentis. Imaginandum est ossa hæc, per medium quasi tendere circuli, coireque cum lateralibus, adeo ut totum probe compactum colligatumque sit coriumque dextre extensum, ut ob suam cum levitatem, tum futuram commodam, habeant fluctibus obsistere pelagi. Barbari immittunt se in hos lintres, per foramen dictum, extensis ad aliquem angulorum pedibus; obturantque reliquum in circuitu foraminis, interulis suis è pelle canum, sive vitulorum marinorum confectis, quas extendunt supra, adstringuntque eas ansulis, seu uncis ad interulæ oram pendentibus, ad oras circuli illius, seu foraminis; adeo ut quamvis impetantur fluctibus, quod contingit crebro, aqua tamen non ingrediatur per lintrem, vel per indumenta. Inter navigandum summum semper petunt fluctum; adeoque dextre sese tempestati subducunt suis lintribus, ac ii qui grandi vehuntur navigio. Remo utuntur exiguo, quinque aut sex ad summum pedes longo, plano, latoque, ad utrumque angulum dimidium circiter pedem. Tractant illum manu prehendentes medium, quod rotundum est, quodque ipsis æquilibrii instar deservit, duplicisque remi loco, ad utraque parte impellendum lintrem. Non incommode lintres hos assimilaveris nostratibus, à naviculariis construi solitis. Quorum sub calcem libri figuram proponemus; non enim hi quamvis scite admodum fabricentur, rectius tractari possunt, iis quos dextre admodum conficiunt Groenlandi. Iucundum sane Legato Hispanico quinque illi captivi suis in naviculis exhibuere spectaculum. Adeo dextre hac, illacque sese rotabant, volitabantque in freto, ut momento fere conspectui sese subducerent adstantium, nec tamen inter sese collidebantur. Rex experiri cupidus lintrium horum pernicitatem, præceperat scapham sedecim admoveri remorum, certaturam cursu cum barbaris; at toto quamvis impulsa nisu, vix à longe consequi poterat hos lintres. Legatus cuilibet captivorum exhiberi curavit nummos, quos ipsi in vestitum

& lintres.

Iucundum spectaculum.

tum impendere Danicum. Comparatis ergo cristis ad pileos, calceati, calcaribusque more Danico armati. Regi professi sunt, se in ejus equitatu militare velle.

At non diuturna hæc erat ipsorum alacritas, in solitam enim ob desiderium patriæ recidere animi ægritudinem, cumque non aliud agitarent animo, quam media ad suos sese proripiendi; duo eorum, qui alias idem jam infeliciter tentarant, rejectique ad Scaniam fluctibus erant, quique minus suspicionis dabant, utpote par non experturi periculum, facta clam suorum lintrium copia, pelago versus aquilonem sese commisere. Conatus quidem adhibitus est in persequendo, jamque fere ad ostium oceani prope ipsos emissarii applicuerant, assequi tamen eos nullatenus poterant, quin non elaberentur. Periere ergo procul omne dubium fluctibus hausti maris, nec credibile est eos attigisse Groenlandiam. Horum unus notabatur semper illacrymari, tum cum infantem quempiam Matris, seu nutricis dependentem videret ulnis; hinc præsumptio erat, conjugatum eum fuisse, desiderioque consortis, infantisque relictorum, laborasse. Residui captivorum horum, arctiori solito tenebantur Hafniæ custodia; quod majus ipsis cum patriæ suæ ingessit desiderium, tum ægritudinem, ob præcisam omnem spem redeundi ad suos.

Obiere ergo cuncti fere mœstitia confecti, duobus tantum superstitibus, qui decem circiter aut duodecim à suorum decessu supervixere annos. Dani quidem conati sunt persuadere ipsis, ut præsenti contenti viverent statu, quodque amicorum instar, indigenarumque haberentur loco, quod quidem ipsis non displicebat; conatum est, convertere eos ad fidem, ut nunquam idiomati potuere assuefieri Danico, nec possibile ipsis erat sublimia, alias Christianorum instillare mysteria. Qui eos curiosius observabat, notabat sæpe eos levatis sursum oculis orientem adorare Solem. Horum duorum unus ægritudine corporis decessit Koldingæ in Iutlandia, cum hyberno tempore piscatus fuisset uniones. Observandum hic obiter est conchas Danicas plenas esse unionibus imperfectis; quique iis vescuntur, non aliud sæpius dentibus premunt, quam glaream quampiam unionum materiam.

Vnionum piscatio.

Copiosa est concharum harum piscatio in flumine Koldingensi. Contingit quandoque capi aliquas perfectas, minores tamen magna copia, quandoque etiam grandiores, ac rotundas. Groenlandus hic significaverat institui similem unionum piscationem in patria quoque sua, seque hujus peritum esse. Goldingensis ergo Præfectus eo secum abducto, piscatui eum hoc in flumine præfecit unionum. Stupori is hac cunctis in parte erat, ibat enim subtus aquam instar piscis, nec redibat nisi perfectam secum apportasset concham. Præfectus persuasus, si ea continuaretur piscatio, uniones se versaturum modio; at ingens ejus aviditas, spe eum frustravit sua; hyeme enim ingruente, cum non expectaret æstatem, continuandæ huic piscationi commodam, misero adeo abutebatur Groenlando, ut crebro sub glacie coactus fuerit sese immergere, unde ægritudine corporis contracta, obiit.

Cujus socius obitu sodalis dolore saucius, primo vere nactus clam suum lintrem, inscensoque eo transmisit fretum, priusquam fuisset animadversum. Insequuti quidem sunt eum Dani, at non nisi post triginta, sive 40 leucas reperere in alto. Reducto innuebant signis, non potuisse eum, iter reperire in Groenlandiam, fluctibusque obruendum fuisse; quibus ille signis pariter respondebat, se observaturum fuisse oram Norvegiæ, quoadusque ad eam poli devenisset altitudinem, quæ suæ correspondet regioni, quod stellarum patriarum sequutus fuisset ductum. Reductus ergo Hafniam, contracta ægritudine, periit.

Huncque tandem consequuti sunt finem miseri illi Groenlandi. Similes erant Lapponibus, statura modica, crassioresque, coloris spadicei, seu suffusci, grandibus labiis, ac tumidis. Lintres eorum cum remis, uti & arcus cum sagittis vestituque, conservantur in Dania.

Societas Groenlandica.

Interea Rege Daniæ curam intermittente Groenlandiæ, Mercatores aliqui Hafnienses ei successere, condita sodalitate, quæ hucusque extat, appellaturque Groenlandica, cui plures potioris notæ sua dedere nomina. Sodalitas hæc anno 1636 duas eo expediverat naves, quæ versus sinum Davis profectæ, novam attigere Groenlandiam, ad præfatum porrectam sinum. Vix illæ ancoras jecerant, cum barbarorum octo suis ad eos appulere lintribus. Consistebant Dani in navi ex una parte, cultellos, specula, aciculasque ostentantes barbaris; barbari vero ex altera pelles vulpinas, caninas, vitulinasque, magnamque cornuum quantitatem, quæ vulgo Vnicornium dicuntur, reciproce offerentes; cum semel (more inter bibendum comprecandumque solito) nautica exoneratur bombarda, quo facto barbari fulminantis fragore consternati machinæ, hac illacque proripuere sese, à navi, nec nonnisi post trecentos demum ab ea respexere retro passus. Moti hisce Dani, signis barbaros, ne paverent, monebant, utque tuto redirent, invitabant, quod & factum est. Rediere ergo ad naves barbari, postquam sese è pavore recollegere, fumusque à pulvere concitatus pyrio, evanuerat. Modus eorum mercandi hic est; seligunt è mercibus advenarum ea quæ sibi placuere, reponuntque in cumulos, facto pari earum rerum cumulo, quas viceversa pro acceptis dare statuerunt, addito interim, vel detracto toties, quoadusque utraque satisfacta fuerit contrahentium pars. Eodem plane tempore quo Dani hic licitabantur cum barbaris, videre è navi, piscem illum qui vulgo appellatur Vnicornis, incubabat ille ad ripam herbæ, æstu in sicco relictus maris. Vulgo dicitur vitulos quoque idem factitare marinos, ut & pisces bovis magnitudine, eandem obtinere consuetudinem. Barbari hoc viso, agminatim eo insiluere, mactantes, cornuque, seu dentem, in frusta concidentes, quod eadem Danis distraxere hora. Piscis hic si extrahatur in terram, sive prope ripam in vadosa, invalidus est sese defendendo, at in pelago ferox admodum est. Idem ille balænæ est, quod elephanto rhinoceros; congressus enim ferit eam cornu, sive dente, quem natura sibi lanceæ præbuit loco. Fertur aliquando cornu

Modus mercandi.

Vnicornis.

nu

nu hoc adeo valide impegisse navi, ut aquam admiserit, fueritque demersa.

Expeditionis intentum. At scrutorum horum cum barbaris commercium, non erat princeps expeditionis hujus intentum; nauclerus ergo conductor navium, reperta illo tractu ripa, scatente, sabulo auri ramenta referente, quodque pondere suo indicabat metallum; accursu ergo ad ripam hanc facto, implevit is suam sabulo navem, addito, cunctos suorum opulentos jam redditos, sicque Daniam repetiit. Summus Regni Præfectus, qui caput quoque Sodalitii hujus est, quique illud ad explorandas illas instituerat regiones, eo venit, ut reduces inviseret naves, causamque tam festini indagaret reditus; Nauclerus, animo gestiens, cursuque fatigatus ubi accurrisset, montem se secum auri dejerabat advexisse. At cum in hominem non usque incidisset credulum, allatum est sabulum, factoque ab aurifabris Hafniensibus periculo, ne unicum inde auri educi potuit granum. Summus regni Præfectus, postquam nauclerum hunc miserum, delusum professus esset, præcepit ei confestim redire in fretum, ubi navis stabat in ancoris, levatisque velis proficisci in Balthicum, ibique cum opes illas, tum suam sepelire imperitiam; nec ullam ea de re posthac mentionem facere. Nauclerus quidem morem Præfecto gessit; at sive veras se jacturum in pelagus ratus opes, sive quod spes eum decollasset sua, brevi post diem obiit suum. Summo quidem regni Præfecto dolebat postmodum tam præcipitis in naculerum resolutionis; repertum enim paulo post simile in Norvegia sabulum, unde peritus quispiam minerarius, qui tum venerat Hafniam, præstans eduxerat aurum, ducta proportione sabuli. Tam præcipiti Præfecti mandato, imperitia præbuerat ansam aurifabrorum eorum, qui non plus auri excavare potuissent è mineris Peruanis, ac ex illis Groenlandicis. Hæcque est ultima expeditio in Groenlandiam novam, unde simul advectum fuerat cornu illud, quod Moscicus ille Medicus non Vnicornis, at dentem retulerat suo Principi, piscis. Videre frustum hoc ejus hodieque Hafniæ, æstimaturque sexcentis imperialibus.

Dani hi priusquam hac vice reliquissent Groenlandiam, duos secum retinuere barbarorum, vinculis constrictos, quos deinde solverunt in alto. At illi amore relinquendæ æstuantes patriæ, ubi data copia, jactavere sese in pelagus, natatu patriam repetituri. At fluctibus periere proculdubio, cum tam longe à navi processissent, ut conspectui sese subducerent.

Idque totum est quod cognoscere, cum de veteri, tum nova potui Groenlandia; veterem quidem primi incolebant Norvegi, novam vero iidem cum Danis, Anglisque reperere, cum postliminio requirerent veterem. Iter illud sive vetus ex Islandia in Groenlandiam trajectum verisimile est crebra fuisse occlusum glacie, sibi subinde super accrescente, quam vehens illis partibus hyems, impetusque aquilonis coagulaverant. Hinc est quod cum naucleri eo uti non possent, coacti fuerint versus caput tendere Faruel, sinumque Davis, cujus ripa, respiciens ortum, dicta est nova Groenlandia. Credibile igitur est veterem illum ex Islandia in Groenlandiam deperditum fuisse trajectum. Addit Chronicon Islandicum evidentiorem hujus rei probationem, capite de hac navigatione; ubi refertur in medio, ab Islandia, Groenlandiam versus itinere, repertas esse *Gundebiurnesker*, quæ sunt parvæ, scopulosæque Insulæ, hoc sparsæ mari, ab ursisque habitatæ, hic glacies verisimiliter conglobantur, nectunturque inter sese, cum à sole fundi nequeant, successuque temporis adeo durescunt, ut scopulorum referant speciem, hinc clauso hac parte trajectu, regionum quoque deperierat commercium, nec sciri deinde potuit, quid actum sit Norvegis, primis illis Groenlandiæ veteris habitatoribus. Suspicio est peste illos periisse nigra illa, quæ anno salutis 1348, toto fere grassata est Septentrione, quæque eo quoque creditur à Norvegia deportata. Probabile quidem esset, quod Gotske Lindenaw, qui prima illa sua in Groenlandiam, expeditione, iter suum aquilonem versus direxerat, attigerit veterem Groenlandiam, quodque illi barbari, quos abduxerat secum fuerint priscorum illorum posteri Norvegorum; quorum nunc residuum inquirimus: at cum innumeri fere eos Hafniæ viderint, cumque eis conversati fuerint, affirmantes, eos quemadmodum nec alteros illos ad sinum Davis captos barbaros, lingua quamvis moribusque dissiderent inter sese, nullam tamen eos habuisse communionem cum idiomatis, tum morum, cum Danicorum, tum Norvegicorum. Quodque idioma barbarorum horum adeo dissonum esset à Danico, Norvegicoque, ut nihil mutui inter eos esset intellectus. Addit Chronicon Danicum, tres illos barbaros ab Anglo nauclero è sinu Davis adductos, adeo præcipitasse loquelam, decurtasseque voces, seu potius semesas eas enunciasse, ut distincte nil pronunciarent, præter duas illas *oxa indecha*, nulli unquam cognitas. Liquet interim id quod nos veterem appellamus Groenlandiam, particulam solum esse regionis ad septentrionem sitæ, à nobisque toties memoratæ, quod illa fuerit proxima continentis ripa trajicientibus ex Islandia recta in Groenlandiam; nec Norvegi veteres ejus cultores, ausi sunt longius à ripa intra mediterranea progredi; uti nec ii fecere, qui novam reperere Groenlandiam; qui ripas solum, portusque attingebant, nec excensum uti dictum est facere ausi sunt. Dani ultima anni 1636, profectione in Groenlandiam, instructi signis à Groenlandis habitatoribus, quibuscum frequentabant commercia, reperiri ibidem populos non dissimiles ipsorum ultra montes, qui in medio eminent regionis, decem aut duodecim à ripa leucis; addebantque per signa barbari, plures ibidem reperiri homines, quam in capite suo pilos, ultra montes illos videlicet; statura grandi, quique uterentur arcubus, sagittisque grandioribus, quibus cunctos ad se accedentes conficerent. Interim cum hominum illorum, tum regionis nulla hucusque, cuiquam notitia fuit, nec ex ulla comperire est historia. Constat tamen certo totam Groenlandiam longe majorem esse, eo quod cum à Norvegis, Danisque tum ab Anglis repertum est. *Alia profectio.*

Duo

Duo notabilia.

Duo hic notanda veniunt, primum non constare an Groenlandia ex parte Tartariæ, annexa sit Asiæ. Secundum, quod sit continens Americæ. Quo ad primum certum est, nondum potuisse penetrari glaciem ad Novam Zemlam, eo fine, ut reperiretur trajectus in oceanum orientalem; quod tentatum frustra aliquoties est etiam ab expertissimis quos vidimus naucleris. Iter hoc quod peritissimos quosque ultra progredi non sinit, terminum suum habuit ad Spitzberg, qui intra Groenlandiam refertur à Danis, ubi magna balænarum piscatio, quoque cum Dani, tum Hollandi, singulis fere proficiscuntur annis.

Summus regni Danici Præfectus habebat à servitiis nobilem quempiam Hispanum Leoninum dictum, rerum naturalium apprime gnarum, curiosumque; quem expediverat in Spitzberg. Vt in reditu de omnibus quæ vidisset, cognovissetque, informaret sese. Quo eodem referente didicimus, regionem illam altitudinis esse 78 graduum, meritoque vocari Spitzberg, ob montes in acumen desinentes, quique supra quasi seminati, seu plantati sunt. Montes hi constant fere glarea, modicisque lapidibus planis, qui similes sunt petris ardosiæ, coloris grisei, uno alteri illigato, seu innexo. Formantur montes hi ex his exiguis lapillis, sive glarea, vento in cumulos agitata, sive alio quopiam vapore sursum eos agitante. Evidens est eos crescere, augerique; singulisque annis à nautis eo profectis inveniuntur multiplicati. Leoninus satis longe in mediterranea progressus, nil aliud præter similes acuminatos reperit montes, quibus tota operta est regio, nec toto eo itinere obvium sibi quippiam fuit, præter capreas feras ibidem pascentes. Stupori tamen ipsi fuit videre in culmine montis cujuspiam longe à ripa siti, frustum quodpiam mali nautici cum antennis ad latera pendentibus; cumque is à nautis requireret, quisnam illud eo deportasset; nescire se responderunt, quodque id semper ibidem viderint. Credibile est montem hunc mari aliquando continuum fuisse, idque reliquias veteris alicujus esse naufragii. Reperiuntur ibidem prata, herba tamen adeo brevi, ut vix incurrat in oculos, proprie enim ut loquamur, tellus hoc non terra est, at coagulum quodpiam sabuli, quod inter ac herbam enascitur muscus, nostratibus adnasci arboribus solito non absimilis, quo præfatæ pascuntur capreæ, cervique; eaque evadunt pinguedine, ut laridum exhibeant quatuor digitos latum. Regio hæc inhabitabilis est ob gelu nimium. Licet enim quadrimestri integro sol hic non occumbat, sexque hebdomadarum spatio non demittat sese infra horizontem ad tres ulnas amplius, ut more loquamur Danico, seu Virgiliana cæli mensura. Hoc est quamvis sub noctis medium, (si nox illa dicenda sit) sol intra dictas sex septimanas ad occasum vergens, non se ultra undecim cum dimidio demittat infra horisontem gradus. Quo gelu intensius hic est, eo sol resplendet clarius, in promptuque causa est, aëre enim tum subtili, soli quoque eum penetrandi copia datur major. Nemo diu prope montes illos consistere valet, qui cum non sint solidi, vaporem quempiam adeo gelidum exhalant, ut cuncta eo, brevi inficiant tempore; utque tam acre evadatur frigus, necessum est occupare loca soli undiquaque patula. Magna hic ursorum alborum copia est, quique magis aquatici, quam terrei sunt. Videtis eos crebro mari innatantes, in crustasque glaciei insilientes.

Mare hoc Spitzbergam alluens, magna balænarum scatet copia. Capiuntur eæ ducentos pedes longæ, lateque magnitudinis ducta proportione, mediocres earum centum triginta, imo & sexaginta exæquant pedes. Dentibus illæ carent. Cum vasta earum aperta sunt corpora, reperiuntur ibidem decem, aut duodecim glomi parvarum, nigrarumque aranearum, quæ è corrupto maris hujus procreantur aëre; ac paululum herbæ viridis è maris fundo rejectæ. Opinio est balænas has, nec herba illa, nec araneis vesci, at aquis pelagi sustentari, quæ cum araneos, tum herbas producunt. Mare hoc adeo cooperitur quandoque hoc insectorum genere, ut reddatur atrum; signumque est infallibile copiosæ futuræ piscationis. Balænæ enim consectantur aquas, insectis hisce scatentes. Capiuntur tum cum grandes balænæ, tum ea copia, ut nautæ universam earum una vice non valeant asportare secum pinguedinem, unde futuræ eam relinquunt in ripa profectioni. Nec timor est, ut putrescat hic aliquid, corrumpaturque his tam gelidis in oris. Cadavera quoque ante annos triginta sepulturæ mandata, adeo integra adhuc, plenaque succi conspiciuntur, ac eo, quo condita fuere tempore. Constructa ibidem jam à longo tempore tuguria quæpiam, ad coquendum balænarum adipem; perdurantque ea, illa plane integritate, qua cum ædificarentur, erant, lignaque ædificii vegeta sunt hucusque adeo ac si paulo ante è nemore cæsa essent. Vt verum fatear, plaga hæc borealis commoda est vita functis, at superstitibus satis adversa. Experimentum huic rei dedit Leoninus, qui ex itinere hoc adeo gelu percitus rediit, ut brevi post diem obiverit suum. Volucres regionis hujus, omnes fere aquaticæ sunt, nec unica earum, quæ in terris victitat, reperitur. Anates hic magna copia sunt, ut & reliquæ plurimæ, speciei nobis incognitæ, rostro illæ, plumisque psittacos, pedibusque repræsentant anates. Qui has cepere aves, constanter asseverant, eas adeo suavem edere concentum, ut cum simul canunt, gratissimam supra mari audiri symphoniam.

Mirabilia.

Volucres.

Naucleri, qui in Spitzbergam piscationis balænarum ergo proficiscuntur, accedunt eo mense Iunio, disceduntque Augusto. Si enim vel venirent maturius, vel solverent tardius in itinere præpedirentur glacie. Reperiuntur enim in hoc pelago crustæ glaciei, adeo vastitatis prodigiosæ, ut sexaginta, imo septuaginta exæquent brachia. Aliquibus etiam locis mare hic congelatur à fundo, ad summitatem usque, hinc glacies innatat aquis ea crassitie, qua mare profundum est. Crustæ hæ pellucidæ sunt, vitri instar, id quod navigationem hic periculosam reddit, est, quod vortices ibidem reperiantur rapidi, sibique adversi, quos inter ubi media devenerit glacies, momento dissipatur, resolviturque.

Nemini mirum videbitur, cur certo definire non

non audeamus, sitne Groenlandia continua Asiæ, Tartariæque nec ne? causam huic perplexitati præbet, cum distantia nostri à glaciali pelago, tum incertitudo, ubi tandem glacies illa desinat; æstus item maris vehemens, nulla notitia securi eo trajectus, loca passim inculta, & quod colophonis est, nullum his in desertis refugium, subsidiumque, siquid inter navigandum adversi contigerit. Cuncta hæc simul sumpta incommoda, obstaculo sunt etiam cupidissimis indagandi, auferuntque ipsis omnem modum, veritatis penitius inquirendæ. Eadem plane concurrunt incommoda, quominus alterum quoque determinetur illud, an Groenlandia scilicet conjuncta sit Americæ. Referam hic factum Danici Capitanei Iohannis Munck, qui uti supra retuli; tentaverat trajectum in orientem, per plagas hasce septentrionales, inter Americam scilicet ac Groenlandiam. Non divertar à proposito, hoc narraturus iter; narratio illa respicit semper in Groenlandiam, Insulasque sibi adjacentes.

Rex Christianus IV injunxerat præstao Capitaneo, ut inquireret in trajectum in Indias Orientales, per illam plagam, pelagumque, qui Americam dividit à Groenlandia. Capitaneus quispiam Anglus dictus *Hotzon*, districtum illum, uti & mare, paulo ante repererat; eodem plane intento; at periit in profectione illa, nec cuiquam constat, qualiter. Si Icareas ille in expeditione illa habuisset alas, prius illæ tam audaci incepto congelatæ fuissent, quam calore solutæ. Casus ejus, Icareo, in eo similis est, quod districtus ille, una cum adjacente mari à suo appellatus fuerit nomine, tractus Hotzsonius, mareque Hotzonium. Capitaneus ergo Munck cum solvisset à freto Danico 16 Maji, 1619, una cum duabus à Rege sibi datis navibus, inerant majori earum 48 hominum, sedecimque minori, appulit is 20 Iunii, ad caput *Faruel*, idiomate dictum sic Danico, quasi caput Vale, dicas in Latino, ideo proculdubio appellatum, quod qui ultra illud proficiscuntur, in alium pene tendant orbem, longumque dicant amicis vale. Caput hoc altitudinis est sexaginta ac dimidii graduum, adjacens terræ montosæ, nivibus gacieque coopertæ. Incommodum esset ob crebras, vastasque nives hanc delineare regionem, cum nimio nivis candore perstringantur oculi. Capitaneus Munck cum præfatum attigisset caput, vertit ab occasu in septentrionem cursum, ut ingrederetur tractum illum Hotzonium, ubi magnam glaciei reperit copiam, aqua nullam tum passus noxam, eo quod alto navigaret pelago. Monet idem eos qui hac navigare volunt, ne se nimio longius provehant versus occasum intra tractum hunc, eo quod glacies ibi crebra sit, frequentesque, ac impetuosi vortices ex parte Americæ. Refert enim, quod cum circa diem VIII Iulii in hoc proveheretur mari, adeo densa ibidem deciderit pruina, adeoque sævum fuerit gelu, ut funes seu rudentes cooperirentur glacie, tam dura, compactaque ut nulli usui essent; additque, sequenti die tertia post medium diem hora, usque ad occasum adeo ingentem supervenisse æstum, ut ad interulas usque sese denudare fuerint coacti omnes, adeo promptius solis tolerandum ardorem.

Hotzoni exitium.

Fretum Hotzonium.

Muncki profectio.

Attigit ille districtum illum Hotzonium, tractumque eum appellavit Christianum, de nomine Regis, herique sui, excensuque facto in Insulam quampiam supra plagam Groenlandiæ decima septima ejusdem mensis; misitque aliquos exploratum locum. Qui vestigia quidem humana, at nullos eorum se vidisse retulerunt. Sequenti die occurrerunt barbarorum agmini, qui cum se primum visos animadvertissent à Danis, præcipites, ac nullo ordine arma quæ portabant, deposita post tergum collis petrosi, vicinique sibi absconderent; quo facto amice resalutarunt, salutantes se priores Danos, ita tamen ut caute se intra locum continerent, ubi sua reposuerant arma, ac inter Danos. Dani tamen adeo dextre eos circumducebant, allectabantque, ut potiti fuerint colle illo, ubi ingens ille acervus arcuum, nervorumque, sagittarumque erat barbaricarum. Barbari ob amissa arma conturbati, conjurabant, obtestabanturque Danos, per signa supplicantes, ut sibi ablata repetere liceret. Significabant gestibus, se non nisi venatu victitare, hisque armis; quodque sua ipsis dare parati essent vestimenta pro repetendis amissis. Dani misericordia moti, reddidere ablata; barbarique ad eorum accidentes genua, pro tanta grates reddebant benevolentia. Humanitas Danorum adversus barbaros non hic constitit solum; explicatis enim suis mercibus obtulerunt ipsis dono aliqua scruta; quæ barbaris admirationi erant, recipiebantque ea summa cum voluptate, oblatis vice versa Danis, magna volucrum, laridique piscium copia. Vnus barbarorum cum in speculum respexisset, seque intus viso, adeo obstupuit, ut raptum id intra sinum gestiens reposuerit, profugeritque, Danis factum id ridentibus, cum barbari cuncti fere sodalem quisque suum amplecterentur, quasi à longo se ignotos, tum primum agnoverint tempore; quod nempe viderent se capillos habere nigros, fusci coloris faciem. Capitaneus vela solvit ex Insula hac die sequenti 19 Iulii; cumque ultra procederet, coactus redire ob glaciem, in eandem Insulam portumque, nullum tamen Insulanorum (quam ob causam ignoratur) videre potuit. Dani quidem repererunt ibidem funiculos ad crepidinem ripæ extentos, quibus appenderunt suos cultellos, specula, reliquasque barbarorum illicias, at neminem eorum elicere poterant, fieri potest, ut prohibitum illis à judice suo fuerit, sive Insulæ Magistratu, ne ullum cum exteris posthac haberent commercium. Munckius non repertis ibidem hominibus, reperit grandi numero cervos, caprasque intra Insulam, quam *Reinsund* appellavit, sive Insulam cervorum, portumque ubi constitit *Munckeneshau*. de suo vocavit nomine. Insula hæc altitudinis est sexaginta unius gradus, ac viginti minutorum. Curavit ibidem arma sui Regis cum nomine poni, abiitque inde vigesima secunda Iulii. At tantum hic periculi expertus in mari, cum ob æstum vehementem, tum continuum, atrocemque glaciei insultum, ut vix se potuerit vigesima octava dicti mensis subducere intra duas Insulas;

Fretum Christianum.

Reinsund.

ad quas omnibus jactis ancoris, navibusque terræ valide alligatis, vix tamen in ipso portu atrocem maris sustinere quivit impetum. Refluxus maris in sicco naves relinquebat, qui rapide redux, tantam glaciei inferebat copiam, ut non dispar pereundi ipsis in portu immineret periculum, ac si alto fluitarent in pelago, nisi magna sibi de remedio providissent sollicitudine. Erat ibi intra duas hasce Insulas, grandis admodum glaciei crusta, viginti duorum brachiorum crassitie; quæ cum solvisset à ripa, in duas scissa erat partes, quæ ubi duobus mersæ essent profundo locis, tantam cadendo in præceps commovere tempestatem, ut periculum esset, ne scapharum una absorberetur fluctibus. Nullos intra duas hasce videre homines Insulas, præter vestigia, signaque eorum evidentia, quod ibi, vel tum, vel aliquando fuerint ante. Reperere tamen ibidem mineras, interque eas talcum, quo corraso, aliquot implevere dolia. Erant ibidem aliæ quoque ad duas illas Insulæ, pariter habitatæ hominibus, in quas tamen excendere nequiverunt Dani, eo quod ripa earum adeo sit inaccessa, inhospitaque, ut similem nuspiam viderint. Insulæ hæ altitudinis sunt sexaginta duorum graduum, ac viginti minutorum; ac quinquaginta leucis à mari distant Christiano. Munchius sinum illum, sive tractum maris quem attigit, appellavit *Hasesunt*, id est sinum, sive tractum leporum, eo quod magna hisce in Insulis eorum copia. Posuitque ibi monimentum cum nomine Christiani Quarti Regis Daniæ, quod tali exprimere moris erat charactere C4. Reliquit has Insulas nona Augusti, profectusque est versus occasum, corumque, vento usus boreali, seu aquilonari; decimaque hujus attigit australia tractus Christiani, qui est ad Americæ plagam. Progressus inde grandem reperit Insulam ad corum, quam appellavit *Schnelandt*, sive terram nivis, eo quod nive eam opertam reperit. Vigesima Augusti vertit vela ab occasu versus septemtrionem; tuncque, narrat Relator, tenebam legitimum iter, sexaginta duorum elevationis graduum, vigintique minutorum, at nives tam vehementes erant, ut nullam videre potuerint regionem, quamvis latitudo districtus Christiani non fuerit his in locis, sedecim capacior leucis. Id quod nobis suspicionem parit latius ipsum alibi sese extendere. Ingressus tractum illum, intra mare Hotzonium, cui mutato vocabulo, quemadmodum tractui quoque eidem fecerat, indidit duo pro uno vocabula; appellavit id enim Mare novum, quod Americam respicit, mare vero Christianum, quod Groenlandiam; si modo plaga hæc venire queat Groenlandiæ appellatione. Retinebat ille quantum poterat lineam illam occiduo-borealem, quo adusque attigit altitudinem poli sexaginta trium graduum, ac viginti minutorum, quo loco glacies eum remoratæ sunt, coactusque est hybernare ad oram Groenlandicam ad portum, quem vocavit *Munckenes Winter haven*, sive portum hybernum Munchii, totumque illum tractum Novam Daniam appellavit. Nil è relatione illa sua colligi potest, per quæ transierit in eundo eo loca, promiserat enim se itineris sui facturum tabulam, ad quam remittit lectorem. Nulla ibi mentio, nisi duarum solum in mari Christiano insularum, quas ille *Sorores* appellavit; quarum quæ majoris notæ est, quæque versus novum porrigitur mare dicta est *Dixes-Eylandt*. Monet eos quibus navigare contigerit intra mare Christianum, ut quo ad possunt, medium ejus teneant, eo quod ibi plena sint cuncta vorticibus cum contrariis illis, tum rapidis, qui partim hac, partim altera imminent parte, ob adversos duplicis maris refluxus, oceani scilicet marisque Christiani; quorum glacies ultra morem crassæ, tanto ad naves alliduntur impetu, ut periculum sit, ne fatiscant. Addit ibidem fluxum, refluxumque Christiani maris regularem esse, intra quinque scilicet reciprocantem horas, quod fluxus ejus lunæ consequatur cursum.

Insulæ desertæ.

Insula nivium.

Nova Dania.

Insulæ Sorores.

Munckius præfatus attigit septima Septembris *Munckenes Winterhaven*, ubi cum sibi, tum suis concessit refrigerium. Reduxerat paulo post in tutiora suas naves, retro scopulum quempiam glaciei, intra portum quempiam priori vicinum, quo in loco quantum potuit, reparari eas curavit. Comites ejus ante omnia solliciti erant de tecto, intra quod eo anni tempore, quo præventi fuerant, ab injuriis sese reciperent cœli. Portum hunc ostium quodpiam fecerat fluminis, nec dum Octobre etiam congelati, quamvis mare ipsum plurimis gelu constrictum esset in locis. Refert idem Capitaneus, quod septima mensis hujus conscenderit scapham, ut interiora perscrutaretur fluminis, quodque ultra leucam unam ac dimidiam in adversum flumen navigare non potuerit, ob crebrum, qui obstipabat flumen, silicem; cumque ultra flumine non posset progredi, militum, nautarumque terra expedivit manum, ad tres, quatuorve intra mediterranea leucas, ad requirendos homines, at neminem ii reperere. Alio reversi itinere, reperere lapidem sublimem, latumque, supra quem picta erat imago repræsentans cacodæmonem, suis uncis, cornibusque horrentem. Prope saxum hoc area erat quadrata octo pedum per circuitum, structa parvis saxis sibi superpositis, ad cujus areæ latus unum acervus quispiam erat è silice plano, musco vulgari glutinis instar commisso, structus. Ad alteram quadri hujus partem, saxum erat planum figuram præferens altaris, duobus aliis superstans saxis, supra quod duo parvi carbones, unus alteri superpositi. Et quamvis præfatus Capitaneus nullum ibidem hominum viderit, pluribus tamen similia offendit altaria locis, ad quæ vestigia inerant humana. Inde conjectura, congregari eo solitos incolas ad sacrificia, sive igne igni dedicarentur, sive fierent per ignem. Vbicunque vero humana occurrebant vestigia, reperiebantur ibidem ossa arrosa, quæ præsumuntur fuisse ferarum, sacris adhibitarum, quasque barbari canum instar crudas lacerantes dentibus, vorare solent. Notabantur ibidem in nemore arbores incisæ ferro, sive chalybe. Occurrebant quoque ibidem loci canes frænati, sive lori instar innexi vinculis, ex arbore detractis. Quodque vel maxime fidem eis faciebat reperiri eo loci habitatores est, quod vestigia ibi visa fuerint tentoriorum, seu tuguriorum diversis in locis

Barbarorum sacrificia.

locis structorum; reperiebanturque ibidem pelles, cum ursorum luporumque, tum canum quoque, vitulorumque marinorum, qui tegumenti tuguriolis hisce instar erant, evidens hinc erat populos hosce Scytharum more victitare, Laponumque instar perpetuo suas mutare sedes.

Dani ergo provisis in hyemem tectis, magnam lignorum etiam coacervavere copiam, cum ad frigus sese armandos, tum victitandum è ferina. Primus sua manu Munkius confecto urso albo, carne ejus una cum comitibus usus est, quam palato reperit gratam. Iidem magna copia lepores, perdices, aliasque mactavere volucres, quas etsi singulatim non nominet, in Norvegia tamen vulgo reperiri dicit similes. Addit, cepisse eos, quatuor vulpes nigras, nonnullasque sibellas, quod toto passim septentrione dari solet vocabulum præstantioris notæ Martibus.

Mira in cælo visa. Singulare id visum Danis, quod in cælo regionis illius notarant, quodque non facilè occurrebat in Danico. Nam referente Capitaneo, vigesima septima Novembris tres distincti apparuere ibidem soles, inde colligebatur aërem loci illius crassum esse admodum. Simile accidit vigesima quarta Ianuarii sequentis, qua duo alii non minus distincti apparuere. Decembris autem decima, quæ vigesimæ stylo correspondet novo, luna ibidem eclypsim passa, circa octavam vespertinam; eademque nocte circumdata fuit circulo quopiam admodum splendido, intra quem apparebat crux, in quatuor lunam secans partes, idque duas perduravit horas spectaculum. Meteorum hoc prænuncium erat malorum, quæ miseros manebant Danos, cladisque totalis fere, ut patebit ex consequentibus.

Hyems atrox. Cumque atrox admodum sæviret hyems, adeo ut glacies trecentos, imo & sexaginta ultra crassa evaderet pedes; potus hinc omnis cum cervisiæ, tum vini quoque Hispanici congelaretur, vinum quoque adustum à summo ad fundum usque gelu adstrictum esset; eodem rumpebantur vasorum quoque vincula, sive circuli, ipsaque crepabant dolia; relicta cervisia, vinoque adeo in glaciem durato, ut uncis id necessum fuerit comminuere ferreis, sicque ad ignem liquefactum potare. Vasa stannea, cupreaque, ubi incuria sub vesperam relinquebantur aqua repleta, rumpebantur mane sequenti, eo loci ubi aqua congelata fuerat. Tam aspera aëris inclementia quæ metallis non parcebat, multo minus parceret hominibus. *Danorum calamitas.* Miseri ergo Dani, correpti ægritudine, quæ crescente bruma, augebatur & ipsa; vexabantur ventris fluxu, nec remittebat mali vis donec eos confecisset. Obiere ergo unus post alterum, tam crebris, subitisque funeribus, ut sub initium Martii coactus fuerit ipse Capitaneus sui custodiam agere tugurioli. Ægritudo hæc, pro eo, quod primo remitteret vere, exasperata fuit etiam. Mense Majo, ultimum eorum, qui obiere illic, tanto aggressa est impetu, ut præter reliquas cæteris communes mali molestias, fluxum quoque pateretur sanguinis, doloremque nervorum tantum, ut videretur sibi puncturis compungi cultrorum. Corpora ægrorum notabiliter exsiccabantur, truncabanturque miseri brachiis, tibiisque, lividi atique toto corpore, quasi ictu aliquo cunctis fracti fuissent membris. Morbum hunc si exacte describere volueris, à scorbuto eum non multum differre asseverabis, qui universum fere vexare solet septentrionem. Qui ægritudine obierant, sepulturæ tradi nequibant, eo quod non esset, qui hoc ipsis præstare valeret officium. Panis quoque jam defecerat residuos. Coacti ergo erant, subtus fodicando nives, victum sibi parare; & reperere quidem rubos, sive mora, quibus sese sustentabant utcunque. Eodem plane quo colligebant, edebant ea tempore, nec in longum ea asservare poterant, eo quod cum sub nive illa nativum conservent succum, tum extracta, flaccescant. Narratio illa meminit duodecimæ Aprilis tanquam diei cujuspiam fasti, eo quod tum primum his pluit in oris, quodque septem integros non pluerit menses. Primo ergo vere, plurimæ avicularum eo advolavere species, quæ tota non apparebant hyeme. Dani tamen ægri, animo fere deficiebant, cum non valerent eas præ debilitate virium capere. Circa medium circiter Maji videre illic erat anseres agrestes, cygnos, anatesque, innumerabilesque alterius speciei minores gestientes, uti hirundines, perdices, gallinagines, corvos, aquilas, falcones. Capitaneus tandem ipse decubuit æger quarta Iunii, mansitque intra suum tectum quatuor integros dies oppressus doloribus, absque eo quod egrederetur, vel cibum caperet. Qui mori paratus, testamento condito, precabatur eo venturos, ut suum sepulturæ mandarent corpus, utque relationem traderent sui itineris Regi Daniæ hero suo. Quarta tandem post die, sensit se habere melius, recollectisque viribus egressus est tentorio, ut sodales sive vivos, sive mortuos inviseret. E sexaginta quatuor eorum quos secum adduxerat, duos reperit superstites. Miseri illi duo, gestientes gaudio, quod suum foris vidissent Capitaneum, accesserunt duxeruntque eum ad focum suum; ubi dum consideret, recepit vires. Animæquiores ergo, mutuoque sese solati; contra vim luctari resolverunt sese mortis; at vitæ deerant subsidia. In nive ergo rupsabant, herbamque effodiebant comestui. Bono ibi reperere omine radices quaspiam, quibus victitabant, quæque adeo eorum restaurabant vires, ut paucos intra dies perfectæ redditi fuerint sanitati. Glacies quoque eodem rumpi cœpit tempore, quod erat decima octava Iunii. Piscabantur ergo in flumine trutas, salmonesque, passeresque. Postquam autem piscatu, venatuque recollegissent vires; consultabant, an suas possent repetere naves, totque exantlandis futuro in Daniam reditu suffecturi essent periculis. Cœperat jam eodem tempore frigus remittere, auraque flare tepidior, pluviaque cadere; unde tanta muscarum provenit copia, ut nescirent quo se verterent miseri, ut eam evitarent pestem. Relicto igitur navigio majori, insçensaque minori decima sexta Iulii, solverunt inde vela, eo ex portu, in quem curaverant, uti dictum est supra, naves suas reduci, nempe retro montem glaciei; portu, dum solverent, à Capitanei sui nomine, appellato *Iens Munckes Bay*, seu Munkiano portu. Cum in mare

reveniſſent Chriſtianum, glacie illud opertum reperere fluitante, ibique amiſere ſcapham, navi ægre defenſa, cumque gubernaculum eſſet fractum, tantiſper navim alligarunt ſcopulo glaciali, qui innatabat pelago, donec illud refeciſſent utcunque. Poſtquam ſcopulus hic ſolutus fuiſſet, ulteriuſque progreſſum, reperta tandem decima poſtquam amiſerant die ſcapha. Hoc tamen rerum ſtatu, non diu iis gaudere licuit, mare enim denuo glacie obductum erat; at paulo poſt ſolutum; per viceſque crebras congelabatur una, ſolvebaturque die altera. Tranſmiſſo tandem mari Chriſtiano, pervenere ad caput Faruel ingreſſique ſunt Oceanum, ubi Septembris tertia, ingenti fere perierunt procella; Capitaneus enim duoque ſodales adeo laſſi erant laborando, ut intermiſſo ulteriori conatu, fluctui navem, ventiſque permitterent. Malus erat fractus, vela rupta, dejectaque in portum; in ſumma omne genus experti hic incommodi. Remiſit interim dies aliquot tempeſtas ac vigeſima prima Septembris venere in portum quempiam Norvegiæ, ubi navi, ancora firmata, quæ ipſis unica remanſerat, extra omnem periculi ſeſe autumabant aleam. At procella eodem incumbens die, adeo eos afflixit in portu, ut nunquam hactenus tam evidenti pereundi fuerint in periculo. Evaſere tamen exitium, eo loci, quo aliis certa immineret pernicies, intra duos nempe ſcopulos; ubi excenſu in terram facto, reſumpſere vires. Pauloque poſt ſua celoce appulerunt in Daniam. Capitaneus relatione ſui itineris Regi facta, ſic humaniter ab eo eſt exceptus tanquam ſi à morte redux conſpiceretur.

Munckii reverſio,


Exiſtimaret quiſpiam finem hunc eſſe jam malorum, quæ præfatus exantlaverat Capitaneus. At conatus ejus tantis circumſeptus difficultatibus, ulteriorem merebatur gloriam, novumque experimentum. Commoratus is aliquot in Dania annos, meditatuſque ſecum diverſos præterita in expeditione commiſſos defectus, ob locorum tractuumque ignorantiam, ſimulque poſſibilem per plagas illas in orientalem trajectum oceanum; novam aggreſſus eſt inſtituere eo navigationem. Cumque ſolus ei non ſufficeret negocio, magnæ cum nobiles quoſpiam, tum cives notæ in eandem ſecum induxit mentem, qui facto ſodalitio, duas in tam longam inſtruxere naves profectionem, ſub dicti Munckii auſpiciis. Inſtruxerat ille ſe, ſuoſque in omnem caſum, eventumque cunctis ad id neceſſariis, jamque prope erat ut ſolveret; cum Rex Daniæ perquiſito ab eo profectionis die, inter colloquendum culpam in eum conjiceret præteriti itineris, damnorumque perpeſſorum, ille autem Regi paulo moroſius reſponderet, hoc facto indignatus Rex ſcipione eum pulſaverit in pectus ſuo; Munckius accepta tam inſigni à Rege contumelia æger animo, conturbatuſque in morbum incidit, ex quo, præ animi anguſtia, & fame, decima poſt die deceſſit.

& obitus.



I N SULAE
I A N - MAJANAE
D E S CRIPTIO

Nomen.



Nsula *Ian* ... *hanne Ma* ... versus M ... Hitlandia ... ut aliis pl ... Septentrionem unico radio, & versus Zephyrum dimidio. Hujus terminus Septentrionalis est mons admodum excelsus, Mons Vrsorum, vulgo *Beeren-berg*, appellatus. Hic versus Septentrionem bifidus, versus Orientem pariter & Occasum rotunditatem præ se ferens, pede suo ubique ad littus prorupit, nisi quod latus ejus angulare, quod rupes est valde depressa, si cum ipsa terra excelsa compares, & versus arctapelioten tendit, aliquanto amplius se se exerat, atque ita planitiem quandam, seu terram aliquanto humiliorem efficiat. Hinc milliari fere versus austrum in littore plano ostendunt sese tres montes glacie concreti, quos usque ad Oceanum descendere videas. Hi ex aqua nivali, à summitate montis interdum defluere solita, in tantam altitudinem congelantur. Duo littoris termino Septentrionali quam proxime adjacent.

Terminus Montis Vrsorum versus notapelioten vergens, tam præceps, ac scopulosus est, ut terram inibi conscendere vix possis. Quibusdam locis est altior, aliis depressior, inæqualis plerumque.

Ex opposito hujus Termini scopuli quidam videntur, ubi magna avium multitudo degit; hi littus non attingunt, ita ut circumcirca navigare possis. Post hunc terminum itidem conspiciuntur scopuli aliquot in littore, qui portum quendam cum exiguo sinu arenoso conficiunt, ubi scaphas absque ullo negotio extrahere potes. In hoc sinu optima, ac tranquilla, aquis ac ventis sævientibus, navium statio est. Neque portum, vel sinum videre licet, priusquam intra scopulos sit ventum.

Milliari ab his scopulis, versus Occidentem, situs est *Magnus lignorum sinus*, à ligno veteri ac contuso, in littore illo nigro, ac plano abundante, sic nominatus. Iuxta hunc sinum in locis mediterraneis sese offerunt diversi montes ex terra nigra, & paucis lapidibus, in altitudinem planam exsurgentes. Et hæc terra arctissima est, cum in hisce montibus stantes ab uno Insulæ termino ad alterum sibi invicem fere præsentiam suam clamore significare possint. Non procul ab hoc sinu rursus conspicitur alia planities, quæ Parvus lignorum sinus audit.

Non procul ab hoc sinu, Meridiem versus, ru-

...longe a ripa dissitæ, quæ & ipsa aggeribus rupibusque cincta est: quas inter, Circium versus, insignis spectatur specus, ab Vrsis, Vrsorum specus, denominata; saxeo fundo, & quatuor orgyias profunda; adeo ut naves facilem hic stationem obtinerent, modo anchora tuto figi posset.


Sesqui hinc milliari à rupe, quam navem referre supra diximus, & alia ejusdem plane formæ visitur, in eo saltem discrepans, quod non sit tam-acuminata: pilæ tantum jactus bombardicæ à continenti separata: nec saxea admodum, nec inæqualis: avibus scatens in nidulis hîc suis ova excludentibus.

Locum hunc & Vrsorum specum inter, in maris margine, collis videtur pomontorioli instar, asper plus satis & horridus, qui quidem introitu, ceu canalis, non destitutus; at tali, qui navibus recipiendis minime sit idoneus. Meridiem versus in altas eminentesque rupes Terram paulatim exsurgere videas. Exterior angulus, Euronotum versus, in quantum se Oceani ripa extendit, terram saxis aggeribusque arenosis plenam coopertamque habet: Interior nonnisi rupes & prominentes montes. In aliquibus tamen locis, ad horum montium ima, necessitate flagitante, naviculis statio aliqualis præberi posset.

Dimidio abhinc milliari saxosam plane offendas viam: Meridiem versus, rupes præaltas, horroremque incutientes, Oceano proximas: qui quinquaginta, sexagintave orgyiarum altitudinem habet.

Tertio ab angulo Meridionali milliari, Oceanus tres duntaxat orgyias profundus, rupem quadram occulit, nautis admodum periculosam. Occidentem versus oculos hinc si flectas, fundum orgyiarum circiter 35 aut 37, cavernosumque admodum videas. Hinc porro Terram versus si spectes, orgyiarum 36 maximam animadvertas profunditatem: at vero à ripa tormentariæ pilæ jactu si moveas, 80 orgyiarum offendas, molliuscula & argillosa contectam terra. Dictæ rupis fundum quod attinet, undiquaque id arenosum est. Cujus rupis scopulis illisus aliquando Middelburgensis celox, adversa tempestate, periit.

Ex Nicolai, Theodori Heynii filii relatu accepimus, anno 1616. XI aut XII ab angulo hujus Insulæ Meridionali milliaribus, Cæciam versus, maris profunditatem fuisse orgyiarum 35



Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
OCEANUS SEPTENTRIONALIS.
BEEREN BERGH
Muyens 2e Cruys hoeck
Heynste Ysbergh
1e Cruys
Mary Mus Bay
Noordthoeck
Oosthoeck
1e Ysbergh
2e Ysbergh
3e Ysbergh
Zuydoost hoeck
Groote Hout Bay
Eyer Eylandt of Vogel klippen
Cleine Sand bay
Walrusch gat
Brielsche Toorn
Noorder ofte Engelsche Bay
Houtbay
Cleyne Hout bay
Klip als een Seyl van een Schip
Rooberg
Vogel klip
Suyd bay
Klip als een Seyl
Boeht van Guinea
Laene Suyd hoeck ofte Hoogbergh
Zuyd hoeck
Milliare Germanicum.

2

aut 36. cujus fundum nigricante arena, intermixtis lapillis, esset coopertum. Ioan Sibrandus Paelman exploratò asserit, circa angulum lateris Meridionalis, duabus circiter Euronotum versus à Terra leucis, fundum omnino inæquale esse, rupibusque obductum: habuisseque passim orgyias 30, & alibi pene sexaginta.

Proxime Angulum Meridionalem Libonotum versus, supra aquas alte elevata visitur rupes, cui complures minores assitæ, dictæ vulgari vocabulo Quinque-rupes. Quas inter, re sic exigente, facile navigari potest.

Ab harum Quinque-rupium imo ad maris ripas usque invenitur orgyis 25 profunditas decrescere: ipsis ripis nonnisi orgyias quinque habentibus.

Exigua ab Angulo Meridionali leuca Cæcieliotem versus, Angulum sic satis eminentem Terra exhibet visendum; dictum vulgo *Angulum Meridionalem Humiliorem*, ubi tanquam speculâ excubias agunt nautæ. A latere Anguli hujus Meridionalis Septentrionali, rupes aliquas conspicimus, quarum nonnullæ eminent, ut oculorum lumine dignosci facile queant; aliæ vero sub undis ita latitantes ut navigantium obtutum effugiant.

In latere hujus Insulæ versus borrholibycum vergente *Sinus* est *Guineæ*, in angulo quodam, non procul à scopulis quibusdam eminentibus. Ab hoc sinu versus mesoboream se offert sinus meridionalis, admodum parvus, ubi Hollandi, anno 1624, decem tentoria ad oleum ex balænis coquendum exstructa possidebant, ex quibus hieme sequenti tria Amstelodamensium, cum tredecim scaphis, doliis, & alia ejusmodi supellectile, imo ipsum littus, ab aquis absorbebantur. Subsequenti autem æstate, terra maximo labore abscissa, ac in alium locum delata, aliam planitiem confecere, atque in ea duo nova tentoria erexere.

Non procul ab hac planitie in alio loco, Hollandi, Selandique rursus ejusmodi habent tentoria ahenis instructa. Et hic est, quem omnium hactenus notorum commodissimum, ac præcipuum ad ejusmodi quæstum tradidere. Nec multum abest ab hoc loco *Sinus Marrimusi*, à *Marri Mus*, Mercatore Roterodamensi, qui primam navem huc ablegavit, sic appellatus.

Tempore autumni in latere Orientali hujus Insulæ paucissima conspicitur glacies: in boreali autem, quod nunquam supra decem milliaria absque glacie invenitur, circa idem tempus, Insula glacie penitus quasi obruta, & obstructa deprehenditur.

Primo Augusti, anno 1625, sol in termino In-

gyis major profunditas. Leuca, aut circiter, ab hoc Meridionali Sinu, Orientem versus, minorem angulum, conspicias, à quo in sinum alium facile deduceris, qui tutam navibus, belluis hisce marinis capiendis destinatis, præbet stationem; *Hoep-stocks-bay* nautis dictum. Computridas hinc sibi colligunt lignorum strues.

Cis Sinum hunc angulus, scopulorum suorum acuminibus spectabilis, animadvertitur, quos vulgari vocabulo *Rudsen* nominant. Et exinde ad Montem Rubrum usque, maris oras non nisi saxis & arenosis aggeribus, præcipitiis fastigiisque suis horridis, contectas videas. Vno ab his Rupibus *Rudsen* dictis, milliari, Euronotum versus, alius spectatur angulus, *het Walrussen gat* nuncupatus; belluarum marinarum, quas *Walrussen* vocitant, specus, proxime Turri Brielensi adjacens. Hos inter scopulos ingentem Natura efformavit sinum, *Borealem* dictum; locum omnium, qui hisce in oris sunt, præcipuum, imprimisque Balænarum extrahendæ pinguedini opportunum.

Trans easmet rupes vix semihorulæ inde spacio, Mare, à lignis cognominatum, cursum suum transversim dirigit; in cujus extremitatibus Terra eminentior Oceani abyssis occulitur, & præcipitanter quasi absorbetur.

Hinc ad angulum, *'t Walrussen-gat* vulgo, campus visitur, utcumque planus, quo Hollandi Zeelandique æstivis mensibus tentoria, ahenaque sua erigunt.

Sinus hic plano & arenoso fundo, orgyias 15 & 16 profundus, quo anchora haud difficulter figitur. Pilæ bombardicæ jactus hinc intervallo, navigia, æstatis initio, 8 & 9 orgy. anchoris firmari solent.

Pone Brielensem Turrim, Terra in Orientem se extendit, ubi planities, secundum ripam Maris, ambitu suo milliare pene complectens cernitur, navium speculis istic collocandis commodissima.

Vna trans locum hunc leucâ, inæqualis saxosaque invenitur Terra, cujus extremitates vix indagari possint. Tormentariæ hinc pilæ jactu, rupes detegitur, vel potius moles saxea, Turris instar à Natura efformata.

Ab Orientali sinuosi hujus marini flexus latere, montem videre est aquis pominentem; ab Occidentali vero, nonnisi eminentiora Saxa, fragosaque & præalta loca animadvertas.

Quadrantis abhinc horæ spacio, Aquilonem versus, offendimus oram, in planitiem vergentem; ubi Tumbæ superimposita Crux non ita pridem visebatur.

Hos inter montes Terra supra modum incurvatur: fundumque margini proximum, saxosum [illegible] vero arenosa, quanta est, planities to- [illegible]que admodum, pluribus in locis, [illegible]gendis tuguriis.

[illegible]rciter, pilæ bombardicæ à Terra [illegible]me sinum hunc, Maris brachium, [illegible] & 17 orgyiarum altitudinem ha- [illegible]: tribus hinc jactibus, arenosum [illegible] commodissimum: sed ab orgyia- [illegible]dine, ad 50 usque profunditatem, [illegible] hic offenduntur, ergo, loca peri- [illegible]jectare merito licet.

Ab

Ab isto, quo diximus Crucem videri, loco, ad monticulum usque glacie obductum, vulgo *de Heynste Ysberg*, (quo glacialem, situ proximum, montem denotant,) milliaris quadrantis spatio, planities arenosa spectatur; & alicubi saxosa, aggeribusque obducta.

Quadrantis ab hinc horæ intervallo, Aquilonem versus, Promontorium visitur Euro-Aquilonare: quod inter & prædictum montem, æqualis est margo; & navigiorum pharis speculisque percommodus. Acutum simul, altumque hîc occipit fundum: nec opportunum omnino tutæ navium stationi.


Ab angulo Euro-Aquilonari Orientem versus, saxosam videas ripam, & quasi suspensam; ibique exiguum Sinum sic satis ahenis erigendis aptum, pinguedinique monstrorum marinorum extrahendæ. Sed non usque adeo procul hinc, trecentas altitudinis orgyias continet. Vnde facile conjicere liceat, locum hunc incommodum, quin imo periculosum esse navibus anchorâ firmandis.

Hinc, Orientem versus, ripa se in dimidiam usque leucam extendit, ubi sinulum conspicis aheno collocando, oleoque percoquendo non inidoneum; etiamque navigiorum excubiis non ineptum. Sed vix hoc loco excesseris, quantum pila ferat tormentaria, quin trecentarum orgyiarum altitudinem reperias.

Mediâ hinc horâ ad angulum, Orientem qui spectat, Terra Oceanum pertingens, saxosa, inæqualis, & præcipitiis horrida est.


Verus ex Hetlandia vel Scetlandia ad hanc Insulam Trajectus, est ad Euro-aquilonem, paulove amplius Occidentem versus, pixidum nauticarum beneficio, Hollandorum more. Occidentalem tamen frequentius sequimur oram, ut ab Occidentali adpellamus latere, piscaturæ ergo. Quandoque enim in Orientalem delati casu plagam, Borealem, (ubi aut summa maris tranquillitas; aut ex Vrsorum Monte subito erumpentes venti impetuosissimi, & maxime periculosi) adeoque aliud Orientis latus petere, non sine discrimine, cogimur. Verno tempore, nihil, aut parum admodum aquarum glacie obductarum ab Oriente patescit: à Septentrione autem, totus eâ Oceanus contectus: & quantum æstivi superfuerit temporis, decem circiter milliaria, glacie nulla apparente, altum Mare facile petimus.

Libonotus climatis hujus ventus ut plurimum ordinarius est. Luna, Cæciâ & Thrasciâ ventis spirantibus, æstum efficit marinum in sinu Meridionali: ab Austro ad Boream fluit ille: in contrarium plane refluxus vergit. Angulus Septentrionalis sub elevationis gradu 71 min. 23. Insula se in Cæcieloten, & Euro-Austrum decem lata leucas. *Ioannis Maji* insula, à *Mauritio* cognomen etiam sortitur: Mons Altus: &c. anno 1614 ab Hollandis, quos inter tum Capitaneus Ioannes Iacobi Maji, à quo denominatur, detecta est.



SPITZBERGA.

Situs.



Pitzberga à montibus asperis, ac jugis acuminatis littus regionis hactenus cognitum ubique exasperantibus sic nominata, à 76 gradu ad 80 usque, & amplius, versus Polum arcticum se extendit. An continens sit, an vero insula mari circumfluo cincta, ambigitur. Hactenus enim nihil certi de limitibus partis Septentrionalis proditum est, cum eo usque nondum penetraverit nauta. Pars ejus austrina Arctoi orbis parti adhæret, atque sic Finmarchiæ promontoria, *Nord-caap*, & *Nord-kyn*, recto intuitu aspicit: occidua vero Grœnlandiæ littora Orientalia; & Orientalis extremum novæ Zemblæ apicem prospectat. Primi inventores ac detectores hujus regionis celebrantur Iacobus ab Heemskerke, Guilielmus Barentsonius, & Iohannes Cornelii Ryp, Hollandorum in rebus nauticis exercitatissimi. Quicquid enim de hac Regione nobis innotescit, idipsum horum prudentiæ, ac diligenti investigationi, suscepta in hos tractus anno 1596 primitus navigatione, pariter ac sumptibus Amstelodamensium, nos debere fatemur. Hi primo adventu Grœnlandiam, aut ejus saltem partem esse existimantes, postea experientia edocti longe aliam ab illa esse terram. Angli eandem novam Iacobi Regis Terram appellantes, inventionis gloriam Hugoni Willugby, ejus nationis Capitaneo, circa annum 1573, ascribere ausi sunt; cum tamen Anglorum navigatio ultra Seynam Insulam, duodecim adhuc milliaribus Spitzberga distantem, atque ita altius ad Polum arcticum, tunc temporis minime penetraverat, quemadmodum Fœderati Belgæ anno 1612,1613,& 1614, contra Anglos, idipsum satis sufficienterque demonstrarunt.

Qualitas regionis.

Regio hæc, quæ ex meris, inque monticulos quasi accumulatis lapidibus constat, arboribus plane destituitur, imo nec fructus, nec herbas, nec vix gramina profert; nisi quod interdum solem versus, denudatus quidam nivibus brevis, ac crassus conspiciatur muscus subflavus, cœruleos ostendens flosculos, ac in quibusdam locis genus quoddam cochleariæ, lactucæ crassæ, ac capitatæ, nasturcio sapore respondentis, item oxalidis aut acetosæ, in fimo gaviarum, aut larorum crescentis. Aliàs excelsos & acuminatos montes pariter, ac valles intermedias, perpetuis nivibus obtectos videas. Littus itidem ut plurimum arenosum, nive glacie admista ubique fere obtegitur. Vbi vero luteus sub glacie fundus, ibi littus adeo lubricum est, ut pedibus vix superari possit. Iuxta terram ipsam tanta ubique conspicitur glaciei multitudo, ut ægre eam adire liceat. Omnis enim tractus ille Polo arctico vicinus, & ad Spitzbergam pertinens, sub Zona frigida situs est, quam Zonam veteres, ob frigus intensissimum, inhabitabilem credidere. Hoc enim in hisce locis tam horridum, ac continuum est, ut vix credi possit; imo æstas adeo brevis, ac propterea plane invalida: licet Sol æstivo tempore per dimidium anni nunquam occidat, ac continua luce diem continuum, omni nocte exclusa, æque ac mensibus hybernis sese penitus subducens, noctem continuam ac perpetuam, hic efficiat. Anno 1613, idibus Iunii, glaciei solis calore nondum dissolutæ maxima copia, omnemque exsuperans fidem, Spitzbergæ littora, & Sinus maritimos undiquaque ita obsederat, ut navibus Hollandorum, balænarum piscatus causa adventantibus, aditus plane occluderetur. Imo nix ipsa pluribus in locis per totam æstatem integra manens, nec in convallibus jamdum liquefacta, Rangiferis pastum denegabat, ita ut misera animalia macie fere conciderint. Causa tanti adeoque continui frigoris, ac brevissimæ æstatis est sol, 33 tantum gradibus, & 40 minutis, horizontem superans, radiosque non nisi obliquos à latere in hæc loca conjiciens. Hinc quoque est, quod, terra calore debito non calefacta, vapores, ac nebulæ exinde erumpentes aërem caliditate decenti destitutum indefinenter referciant, ac nunquam consumantur: ita ut naves in Oceano Spitzbergam alluente, sæpenumero adeo densis vaporibus, ac nebulis obruantur, ac implicentur, ut qui in puppi versantur, in prora consistentes oculis ægre percipere possint.

Animalia.

Animalia, quæ hic inveniuntur, sunt albis, subalbis, ac interdum quoque nigris, ac cæruleis fere pilis vestitæ vulpeculæ; item rangiferi, quibus prædictus muscus pastum præbet, & trimestri spacio tantam pinguedinem conciliat, ut ea trium, vel quatuor digitorum altitudinem in costis excedat. His visi principio homines nullum plane timorem incutere solebant; sed globo petiti tanto in jaculatorem impetu ferebantur, ut in terram concideret. Postea autem damno suo sibi ab hominibus cavere didicerunt. Hæc animalia cervis nostris aliquanto minora sunt, ac cornua in fronte hispida gerunt. In littore quoque inventa sunt cornua pulchra, ac longa, quæ monocerotum esse putantur, licet nemini constet, quorum animalium fuerint. Insuper & inibi ingenti numero conspiciebantur ursi albi, boves nostros maximos magnitudine excedentes. Sed longe plures sese offerunt hic ursi aquatici, quam terrestres. Horum cutes longitudinem 14 ulnarum interdum excedunt, ac adeo pingues sunt, ut vix siccentur. Et hinc est, quod quidam opinati sint, quod piscibus vescantur; quippe qui duodecim & amplius milliaria à terra discedentes, in mari natando victum quærere videntur. Aliàs in terra degentes, in latibulis sub nive dormiunt, ob nivis forte mollitiem.

Aves.

Quin & hic affluentia mirabilis est avium aquas deprædantium, ut gavia-


SPITSBERGA.
Milliaria Germanica
2 4 6 8 10 12
Sep 35 tentrio.
Meri 35 dies.
Occidens.
Oriens.
Moffen Eylandt
Oostlandt
Vlacke hoeck
Vogel hoeck
C. Siettoe
Swartehoeck
Engelsche Bay
Groenhaven.
Groenhaven
Laes Voorlandt
Wybe Jans Water
Clock rivier
Rhoen Eylandt
Hoopen Eylandt
St. Iacob
Ronde klip
t'Hol van een Schip

rum, larorumque, & mergorum duorum generum, aliarum item avium aquatilium, rostris subrufis, quas cantus admodum sonoros edere dicunt, imo anserum, & anatum, quæ duplo majores nostratibus, ac magna admodum ova pariunt; anserum item minorum, qui pullos suos hic excludunt.

Balænæ. Ante portus, & Sinus littoris fluitare, & vagari quoque solent magno numero, ac ingentis magnitudinis cete, & balænæ, quarum quædam 200, aliæ 170, & 180 pedes, prout ætas ipsorum vel major, vel minor, longitudine sua colligunt. Tanta pinguedine abundant, ut lardum eorum fere omne in oleum coquendo mutari possit. Partim nigri sunt, & plani; cutis enim, quæ aliquantulum rugosa ad modum corticis arborum, obducta est membrana, panno serico lævitate, & nigrore non absimili; partim subflavi, & scabri; partim colore ad rubiginem accedunt. Hic quoque offerunt se balænæ colore albo, sed in nullo sunt pretiæ. Plurimi horum piscium, qui grandævi æstimantur, per latera, alvum, & juxta nares albedinem quandam nigredine aliquantulum mixtam ostendunt, ita ut versus dorsum, & circa oculos maculosi appareant. Quidam in summitate capitis maculis adeo distincti, ac variegati sunt, ut squamas esse quis putet, cum tamen nihil aliud sit, quam cutis maculata. Quibusdam venter plane mollis. Oculi ad oculos equorum similitudine accedunt, cauda bifida. Pinnas, quibus loco manuum utuntur, ab utraque capitis parte gerunt, æque ac omnes fere reliqui pisces. Caput maxima pars piscis: & rictus, cui nulli dentes insunt, adeo magnus; ut in dextro, sinistrove latere sexcentis, vel 500 pinnis, seu dentibus osseis sit armatus, qua barbæ instar dependent, & instar dentium in pectinibus discreti ordine à minimis ad maximos progrediuntur, anteriores, & posteriores valde exigui, intermedii tanto majores, & longiores; sed ex omnibus quadringenti tantum mercibus utilibus, & lucrosis accensentur. Lingua admodum magna, colore rufo, cæruleo, aut viridi, cum anteriori, ac posteriori parte affixa hæreat, ac medio tantum sit soluta, nullatenus potest exeri, sed in medio tantum tolli, ut aquam eo melius ejicere, aut efflare queant. Hæc rictu clauso pinnis, aut dentibus circundatur.

Nares in quibusdam erectæ, in quibusdam non. Post pinnas grandes pone caput balænæ positas, locus se offert carnosus admodum sensibilis, cui uncum ferreum funi valde crasso alligatum infigere, aut injicere solent piscatores, ut vulnus ex dolore eo citius animadvertat. Hi

Balænarum captura. piscatores plerumque excubias agentes iis in locis, ubi terra in Oceanum excurrit, appropinquanti, aquamque spiranti balænæ duabus, aut tribus scaphis obviam eunt; & jam jaculator uncum, æque ac Græci, & Latini jacula sua, cum stipite, pone pinnam modo dictam infigit. Postea piscis inflicto vulnere modo fundum petit, modo rursus in altum natat; & cum sanguis magna copia in caput se effundit, tunc idipsum cum aqua, per nares superiori capitis parti insidentes, tanto in auram impetu ejaculatur, ut quasi per ingentes canales expulsa in eam altitudinem effundatur, quæ summum altissimi cujusdam mali apicem exæquare, aut attingere queat. Hoc natandi labore, quo uncum corpori inhærentem excutiat, tandem adeo debilitatur, ut viribus collapsis omne robur amittat, ac fortitudine sua penitus excidat. Eo animadverso, piscatores funem unco piscis cuti inhærenti illigatum paulatim ad se trahunt, & piscis dolore vulneris victus consequitur, ita ut rursus ex fundo, in quem se post multos labores frustraneos recepit, ascendere cogatur. Denique à nautis jaculo valde acuto, quod incurvatæ scapitis parti summa vi jaculando impingitur, cum reliquo corpori lethale vulnus infligi nequeat, interficitur. Posthæc duodecim plerumque scaphis trahitur in littus, ubi lardum cultris baculo alligatis à costis abscindunt, & in frusta dissecant. Ex hoc lardo in Mauritii Sinu, vulgo *Mauritius-bay*, ahenis injecto oleum, seu pinguedo coquendo elicitur. Cæterum notandum, quod balænæ illæ in dorso pinnis armatæ, atque adeo circa rictum iis destitutæ, cum celerius natando Scapham facili negotio in fundum trahere possint, minime capiantur. Genus quoddam pisciculorum nigrorum cancris parvis minorum, qui ex aëre infecto nasci videntur, his animalibus nutrimento sunt. Eos inter natandum rictu aperto capiunt, & deglutiunt. Vbi ejusmodi pisciculorum maxima sese offert copia, ibi dives admodum sperandus est balænarum piscatus, qui varios Europæ p opulos navigationi assuetos singulis annis in hosce tractus allicere solet. Balænæ enim in illis locis, ubi ejusmodi pisciculi magno numero degunt, semper, ac admodum libenter commorantur. Hujus Piscatus causa superioribus annis in Belgio Fœderato, imprimis Hollandiâ, Selandiâ, Frisiâ, Societas instituta est, quæ à Grœnlandia, Orbis Arctoi regione, quam antehac navibus petere solebant, Grœnlandica dicitur. Hæc Societas singulis annis certum navium numerum in Spitzbergam ablegat, quæ mense Majo, ex Hollandiæ Insulis Lacus australis exitum obsidentibus solventes, illa adeunt loca, ac finito piscatu, mense Augusto, vel Septembri in patriam revertuntur. Anno 1633, jussu hujus Societatis, septem socii navales, à Kalendis Septembris, ubi naves domum redituræ Spitzberga discesserant, usque ad 6 kalend. Iunii subsequentis anni 1634, quo Cataplus Hollandicus in illa loca iterum delatus est, per totam hiemem in hac regione Spitzberga, in Mauritii Sinu, commorati sunt, quo temporis hyberni naturam, & proprietates iis in locis observarent. Nomina eorum, qui voluntario ausu commorationem tantis involutam periculis moliri haud reformidarunt, sunt hæc:

Iohannes Henrici Konst, Zieric-zeensis, ex Selandia, Victor.
Christianus Andreæ, Friderico-Politanus, Holsatus.
Iacobus Seegersen vander Brugge.
Alef Guilielmi, ex Geldria, Coquus.
Martinus Iacobi Tandel, Dantiscanus.
Adrianus Rutten Goud ex Terra Goes, Faber lignarius.
Marcus Pauli, Amstelodamensis.

Ex

Ex horum Diario ſequentia Lectori curioſo inſolita, & haud ingrata huc transferre operæ præcium judicavi, ut à propoſito non aliena. Omnibus alimentis, & aliis ad hiemis inclementiam declinandam rebus, neceſſariis ipſis proviſum, ac præmium quoddam præter ordinarium ſtipendium promiſſum erat, quod tanto periculoſo tentamini operam navare fuerint auſi. Idibus Octobris anni 1633, ultima vice ſol apparens, poſtmodum radios ſuos penitus ſubduxit, ita ut toto hyberno tempore in conſpectum nunquam redierit. 6. Kal. Novembris per ſeptem, vel octo horas lucis reflexionem, & diei ſplendorem obſcuriorem animadvertentes, oculorum opera adhuc uti poterant, quamvis ſecundum tabularum ſinuum, tangentium, & ſecantium ſupputationem, ſol circa meridianum tempus uno gradu Horizonte inferior eſſe deberet. A Kal. Novembris primæ in cœlo conſpectui ſeſe obtulere ſtellæ, quæ poſtmodum per totum hiemale tempus conſpici poterant. 4. Idus Novembris primam cepere vulpem: quod de vulpibus illis, qui in nova Zembla hybernavere, obſervabatur, quod nempe ſole decedente ex mediterraneis veniant, & redeunte ad mediterranea recedant, hoc etiam hic obſervatum & annotatum eſt. Vulpium ejuſmodi coctarum carnem comederunt, eamque ſcorbuto, morbo nautis familiari, remedium præſentiſſimum eſſe experti ſunt. Menſe Octobri in montem non procul ab habitaculo ſuo, in quo commorabantur, aſcendentes, in lactucam illam, quam ſupra nominavimus, capitatam, naſturcioque ſapore non abſimilem, inciderunt, quam cum oxalide, aut acetoſa inibi quoque inventa ſumma cura collectam repoſuerunt, ut hiſce herbis ob frigus aſperrimum ſemper recentibus, & viridibus ſe hyberno tempore refocillarent. Frigus horridiſſimum quovis vento ingruente intenditur, ac glacies cum nive tanta violentia concreſcit, ut horrendo ſtrepitu, ac tumultu congelationem ſuam prodant, ac omnibus audientibus, ac neſcientibus, horrorem incutiant. 8. Kal. Februarii lucem diei à nocturnis tenebris ſex, vel ſeptem horarum ſpacio diſcernere, ac circa meridiem in quovis libro legere poterant. Sequenti die ſudum erat cœlum ac aër ſerenus, adeo ut circa meridiem nullas amplius ſtellas, ſed lucem diei revera conſpexerint. 8. Kal. martii ex montium excelſorum umbris ſolis ortum conjiciebant; poſtero vero die ex monte conſcenſo diu expectatum illud cœli lumen, horizontem aſcendendo ſuperare deprehenderunt.

Sequenti 1634 anno ſocietas Groenlandica, rurſus aliquot naves Spitzbergam verſus ablegavit, ac inſimul mandavit, ut illos ſeptem ſocios navales, ſubſtitutis aliis ſeptem, quibus inibi commorari placeret, in eorum locum, in patriam reducerent. Atque ſic cataplo illo Groenlandico in hancce regionem appulſo, ſeptem illos ſupra nominatos ſocios navales, integra adhuc valetudine gaudentes, repetierunt, electis in eorum locum aliis ſeptem; nimirum,

Andream Ianſſonium, Medioburgenſem,
Cornelium Teiſſen, Roterdamenſem,
Ieronem Karkunium, Delfshavenſem,
Tibbe Iellis, Friſium,
Nicolaum Floriſſonium, Hornenſem,
Adrianum Ianſſonium, Delphinatem,
Fetjum Ottes, Friſium.

Ex horum diario Lectori itidem geſta præcipua huc transſcribimus, qualia ſunt:


Vndecimo Octobris anni 1634, naves Hollandicæ ex Spitzberga rurſus diſceſſere: 20 & 21 Octobris, primum ſeſe occultavit ſolis luminare, radios ſuos penitus ſubducens: 24 Novembris, ſcorbuto laborare inceperunt; ita ut maxima quidem diligentia vulpes, & herbas virides quæſiverint, ſed nullas invenerint: 23 Decembris, primus eis in conſpectum venit urſus, quem quidem perſecuti ſunt, ſed capere minime potuerunt. 14 Ianuarii, 1635 diem ſuum obiit Adrianus Ianſſonius: hunc 15 ſecutus eſt Fetje Ottes; 17, Cornelius Teiſſen. 28, primam vulpeculam conſpexerunt, quam tamen non capere poterant. 29, mactabant ſuum canem, eumque præparabant in cœnam. 7 Februarii, primam cepere vulpeculam, ac interdum 3, 4, 5, 10, imo 12 urſos, acervatim incedentes conſpexere; ſed illi adeo invalidi erant, ut neque currere, neque tubum tormentarium dirigere potuerint. 24, Sol rediens illis prima vice apparuit. Vigeſimus ſextus ultimus erat dies, quo extremam ſuam invaletudinem, ac infirmitatem ſcripturâ ſignificare poterant, ita ut abſque dubio brevi poſt hunc diem tempore, morte omnes conſumti ſint. Atque ſic proverbium illud, quod mortui in hoc tractu Septentrionali optime valeant, viventes autem ægri, ac invalidi evadant, reipſa veritatem ſuam comprobavit. Nam quod in hiſce locis horridis nihil corruptioni, & putredini obnoxium ſit, teſtantur corpora mortuorum ante triginta annos ſepulta, nec jam corrupta, ſed plane integra, ac inconſumpta, æque ac ſi hoc ipſo temporis articulo ſpiritum emiſerint. Id ipſum quoque indicat lignum, & omne illud, quicquid ex eo ædificatum eſt, cum in æternum durare videatur.

Loca Spitzbergæ maritima, ac præcipua ſunt, *Apex P. Monier* urſorum terræ, *het Beeren-land* dictæ, oppoſitus; *Cornuum ſinus*, vulgo *Hornſont*, à monocerotum, aliorumque animalium cornibus ſic appellatus; & *Glaciei ſinus*, vulgo *Ys-ſond*; Hinc littus ad *ſinum Magdalenæ*, vulgo *Magdalenen-bay*, proripit, ac tandem ad ſinum Hollandorum, qui jam *Mauritii ſinus*, vel *Maurits-bay*, dicitur, defertur; in quo modo dicti ſeptem ſocii navales, hyberni temporis intervallum commorando contrivere.

In hoc Mauritii ſinu Amſtelodamenſes, Mittelburgenſes, Roterodamenſes, item Dani, ſuas poſſident ædes neceſſariis ad piſcandum inſtrumentis, ac ſupellectile debita, ahenis nempe, aliiſque ejusmodi adornatas, cum munimento bellico defenſionis gratia exſtructo.

NOVÆ ZEMBLÆ,

Navigationumque in illa loca deſcriptio.



Rgonautas magnam olim gloriam, & exiſtimationem aſſecutos fuiſſe ex Hiſtorijs notum. Sed multo majorem, & operoſiorem hodierno tempore Hollandis competere, res ipſa loquitur; quippe qui non ſolum Indiam utramque occuparunt, verum etiam longe remotiores orbis regiones miro tentamine adire, ac detegere conati ſunt. Hi nacto tranſitu meridiem verſus per vaſtum Oceanum, uſque ad Aſiæ fines, cujus navigationem hodie tam celebrem, ac frequentiorem reddidere, quam illam Hiſpanicam, vel Italicam; operam quoque navarunt aliam, brevioremque viam quærere, & ſueta illa circum Africæ regiones relicta, novam verſus Norvagiam, Moſcoviam, & Tartariam, Mari, ut vocari conſuevit, glaciali, Fretoque Vadigathi permeato, tentare. Et licet omnium negotiorum, quæ unquam ſuſceperunt, unicum hoc irritum, & omnis utilitatis expers dici poteſt, cum in aliis naturam pariter ac artem ſemper ſuperarint; tamen idipſum magnam eis famam conciliaſſe minime negari poteſt, præſertim cum hæc navigatio pluribus prodigiis, & caſibus obnoxia ſit, quam ulla alia, quæ verſus Orientem, Occidentem, & Meridiem confecta eſt. Non elogia elogiis maxime debitis addam; neque dicam, quod Oceanum navibus ſuis innumerabilibus tumefaciant, quæ omnes regiones, ubi appelluntur, divites reddunt, imo omnes divitias ex Aſia colligunt, ut eas univerſo terrarum Orbi diſtribuant: non dicam, quod multo potentiores ſint, quam in conſpectum veniant, & quod iis, licet militari natura præditis, pacis tamen dulcedo magis arrideat, quam armorum ſtrepitus: imo non dicam hæc omnia, neque multo plura, quæ mihi imaginor, de eorum virtute, & aptitudine. Sed deſcribam tantummodo celeberrimam illam navigationem, quam tribus diverſis temporibus, per Oceanum Septentrionalem, in Novam Zemblam, & glacialem Oceanum, tranſitus cujuſdam ſub arctico in Orientalem Indiam inveniendi cauſa, inſtituerunt.

Amſtelodamenſes de inſtituto *Balthaſaris Moucheronis*, ejuſque ſociorum certiores facti, ac demonſtrationibus Petri Plancii, Coſmographi celeberrimi eo inducti, itidem ſollicitarunt, ut iis navem quandam exſtruendi, tranſitumque per Septentrionem, alia tamen via, quærendi, iiſdem conditionibus immunitas concedatur. Plancius enim eos perſuaſerat, hanc viam, quam circumnavigata Nova Zembla, ſub polo arctico, ſuſcipere decreverant, longe expeditiorem, faciliorem que navigatu eſſe, ac illam per Fretum Vadigathi, ſeu Novam Zemblam, & mare Tartaricum. Poſt hæc, permiſſu Superiorum adepto, navem omni commeatu adornarunt, eamque Guilielmo Barenſonio Schellingenſi, navigandi peritia admodum claro, regendam commiſere, addita adhuc navicula Schellingenſium piſcatoria, itineris ſocia. Atque ſic ſolutione Texelia, die 5 Iunii, anno 1594, facta, Quillodunum, Lapponiæ oppidum, 23 menſis ejuſdem, appulere. Vbi reliquis Societatis navibus repertis, atque iterum relictis, pacta tamen prius conventione, ut hoc ipſo loco ea pars, quæ cæteros redeundo anteverteret, uſque ad ultimum Septembris expectaret, ulterius progrediebantur. Quarto Iulii primum ſe viſui obtulit regio illa, quam Ruſſi *Nove Zembli*, hoc eſt, Novam terram, appellitant. Nocte ſubſequente in oblongum, in mare excurrens promontorium incidere. Hic terram conſcenſi nullos invenerunt homines, tamen veſtigia eos adfuiſſe conſpecta. Atque ſic ulterius navigando pervenere ad ſinum *Lomsbay*, à multitudine avium hujus nominis his in locis degentium, ſic appellatum. Hæ aves, ſeu potius monſtra, magnum gerunt corpus, & alas exiguas, ita ut maxime mirum, quomodo tam breves pennæ tantum pondus portare valeant. In montibus altiſſimis nidificant, ubi ab inſultibus ferarum tutus eis datur receptus, & non niſi unicum ovum ponere, & excludere ſolent. Nullos timent homines, ut cæteræ aves ſolent, imo facile permittunt, ut manibus quis contrectet, & appropinquet. Hic anchoram gurgiti 6 vel 8 orgyjarum immittentes ſcapha terram petunt, ubi malum inveteratum, ibique inventum aliis impoſterum adventantibus pro ſigno erigunt. Ab hoc ſinu qui ſub 74 gr. & 20 min. ſitus eſt, iter ſuum, Inſulam Admiralitatis præternavigando, uſque ad Inſulas Wilhelmi, Crucis, & Berenfort, felici ſidere continuarunt. Nono Iulii juxta Berenfort, Wilhelminæ Inſulæ proximum ſe ſiſtunt. Vbi pugnandum illis erat cum incolis ejuſdem inſulæ, quæ nullos alios alebat, quam urſos, & hos tam ſtupendæ magnitudinis, ut leo cum eis comparatus agnis annumerari poſſet. Ab initio furioſiſſimus quidam eos invadit, quem jaculo lædebant, ita ut ſaucius aquam peteret, ubi eum perſequentes ſcapha laqueo capiti applicato, remigando ad navem trahere conabantur. Animus erat vivum capere, ut ſpectaculum tam prodigioſæ feræ popularibus exhiberetur: ſed tantum illis negotium creabat, ut occiſo illo cuteque detracta tandem contentos eſſe oporteret. Ea peſtis captam & petitam ſe ſentiens, uſque ad gubernaculum aſcendebat, in ſcapham ſe vibratura, ita ut omnes, qui remos ducebant, retrofugere coge-

cogerentur. Procul dubio vulneribus eos affecissent, nisi laqueus forte fortuna ferro cuidam se implicuisset, ubi ursus tanquam suspensus hærebat, ita ut facile jugulato exuvias detraherent, secumque Amstelodamum portarent.

Berenford, & Insula Wilhelmina prætérlectis, insulam Crucis adibant; ubi in portum quendam exiguum, quem detexerant, navigiolo descendebant. Hæc insula sterilis, & scopulis plena, ab Oriente versus occasum ad semimilliare sese extendens, duobus à terra firma distat. Appellationem ei dederunt duæ magnæ cruces, quas inibi erectas quondam conspicere licuit. Hac perspecta, & cognita, versus promontorium Nassavicum vela faciebant, & ab hoc promontorio ad terram quandam, quam versus caurum conspiciebant, nec longe dissitam esse putabant. Verum tribus, vel quatuor milliaribus jam superatis, auster tam impetuose flabat, ut omnia vela contrahere cogerentur, mare item tantis fluctibus excitabatur, ut minori quam sedecim horarum spacio, octo milliaria, absque velis navigando, perfecerint. Postero die scapha eorum ictu undæ marinæ submergebatur, ita ut nullo modo restitui posset, quamquam quærendo eam aliquot horas insumerent. Interim ex improviso primæ glaciei involvebantur. Decimo tertio quippe Iulii in tantam glaciei multitudinem inciderunt, ut malo conscenso vix finem conspicere liceret, atque sic continue vel juxta illas glaciei massas, vel glacie perforata, navigabant, donec tandem, 29 Iulii, in septentrionalius Novæ Zemblæ inciderint promontorium, Glaciale vocatum. Vbi littus conscensi, lapides quosdam aureo colore invenêre.

Figura animalis Walrus dicti, & pulli ejus.



Trigesimo primo Iulii sole lucente, ac tempestate amœna, inter terram, & glaciem navigantes, Insulas Arausionenses adibant, ubi juxta alteram earum ducenti pisces haud exiguæ magnitudinis, quos *Walrussen*, vel *Morsen* appellant, in sabulo apricantes illis apparuerunt. Hæc monstra marina, quæ magnitudinem bovis excedunt, nec minus valida sunt, cutem ad similitudinem canis marini gerunt, pilis brevibus, rictuque leonino. Sunt quadrupedes, & carent auribus, unicum vel duos generant pullos, ut cervæ. In glacie solent volutari, & piscatoribus obvenientibus pullos suos statim in aquam conjiciunt, postmodum invadunt scapham, ut invasoribus suis obstaculo sint. Hoc quoque accidit nostris Hollandis, quorum scaphæ monstrum ejusmodi tam pertinaciter adhæsit, ut terrorem illis injecerit, cujusmodi tamen illi unà incessit ex clamore, quem edidere nautæ, dum crederent se perituros, ita ut, scapha relicta, cum pullo suo fugam capesseret. Hic piscis duobus præditus est dentibus, qui ab utroque latere rictus in longitudinem duorum circiter pedum eminent, & albedinem, munditiemque elephantinorum facile imitantur. Alii interea terra ubi se non defendere posse putabant, hastis, harpagonibusque eos persequebantur, ut dentes illis eruerent, sed tanto labore

Pisces Walrussen.



NOVA ZEMLA.
Septen trio
Meri dies.
Occi dens
Ori ens
MARE GLACIALE.
OCEANVS SEPTENTRIONALIS.
TARTARICVM MARE.
Fretum Nassovium
HOLLANDIA NOVA.
WESTFRISIA NOVA.
Staten Eylandt
Colgoy
I. Tonar
I. Mauritius
I. Oranjen
Swarte Clip met een Crups
Milliaria Germanica communia.

bore nihil fere effectum, cum vix unicum obtinuerint dentem. Idcirco repetiere navem, ut unum atque alterum sclopetum afferrent: ne tamen præda prorsus destituerentur, ingentem ursum in via dormientem occiderunt, & hastæ glaciei infixæ alligarunt, quo redientes secum ducere possent; sed propositum hoc ventus quidam vehemens ex improviso ortus, una cum glacie, ita discussit, ut à præda capienda prorsus desistere cogerentur.

Sic Barentsonius socios navales laborum, molestiarumque pertæsos, ac omnem transitus spem concidisse videns, primo Augusti reditum parat, ac retortis ad fretum Nassavium velis, prope Mauritii, Oraniæ, & Novæ Walchriæ Insulas, naves socias Enchusanorum, & Selandorum 5. Augusti, obvias habuit. Enchusana, quæ *fretum Nassavium* perruperat, cæteros certiores fecit, quod in *Tartaricum Oceanum* perlati nullam amplius glaciem animadverterint, atque sic quinquaginta vel sexaginta milliaria versus occidentem in illo mari progressi, deprehenderint, quod regio Tartarica sese incurvet, & Caurum versus procedat; imo quod ad *Promontorium Tabin* quam proxime accesserint. Hoc promontorium, quod est angulus ejusdem oræ eminentissimus, se declinat versus regnum Cathajæ ad Africum, & postea ad Austrum. Sic munere eorum non aliud requirente, quam ut situm regionis, & vias maris antehac incognitas perscrutarentur, & ante hibernum tempus domum peterent, velis junctis, 18 Augusti, reditum in Patriam parant; ita ut omnes simul, duodecimo Septembris in Texeliam redierint. Barentsonius decimo sexto Amstelodamum venit, ubi piscem quendam ex illo genere, quod *Walrussen* vocant, Dominis Senatoribus dono obtulit.

Classe itaque hac re infecta domum redeunte, Hollandi animum infatigabilem nullo modo despondebant, sed subsequente anno septem alias naves sumtibus Reipublicæ confœderatæ instruxere, ut secunda vice conatus tam plausibilis tentaretur. Verum cum cursum suum per Vadigatham, seu fretum Nassavium, quod suo loco descripsimus, direxerint, hac vice solummodo dicemus, quod ista navigatio haud meliorem obtinuerit successum, quam præcedens, & quod incredibilis glaciei multitudo, quæ ex Tartariæ fluviis indesinenter fluctuabat, eos per fretum Nassavium, & ad lares domesticos remeare coëgerit. Non tamen propterea credendum, Oceanum hunc septentrionalem non navigabilem esse, si cursus aliquanto altior teneatur; & illis non satis sanum extitit judicium, qui scripserunt, quod supra tercentum milliaria circa polum, horridi frigoris causa, non navigari possit. Experientia istis auctoribus antiquis quotidie contradicit, cum in Albo mari, quod multo magis versus septentrionem vergit, piscatura non minus frequens exerceatur, quam alibi, & quod à polo usque ad circulum arcticum, per gradus viginti tres, & dimidium, frigus non pari passu ambulet. Neque magis mireris multitudinem glaciei, quæ tam spissa littus Tartaricum indesinenter obtinet; quam nivem istam, quæ nunquam liquescit, in Alpibus, & montibus Pyrenæis, quibus sol multo propior est, quam Novæ Zemblæ. Ratio hujus rei satis naturalis occurrit, cum nempe nix altis montibus ita obumbretur, ut radiis solaribus vix pateat: sic massæ glaciei in tantam altitudinem cumulantur, ut sol, qui in hac terrarum parte minus elevatur, penetrare non possit. Ita ut facile credi possit, quod hæc glacies frigus supra modum horridum in his locis nutriat, & quod minus tale sit in ulteriori maris parte versus polum. Vt ut sit, nostri Hollandi, perlustrare volentes omnes regiones & tractus, cum altum mare haud petierint, semper inter ingentes glaciei montes hærebant, ita ut navis eorum inibi permanserit, & adhuc maneat, quemadmodum ex descriptione tertii & ultimi itineris, quod ad Novam Zemblam susceperant, apparebit.

Ambabus hisce navigationibus absque ullo fructu perfectis, Ordines Generales, negotio accurata mentis lance examinato & perpenso, conatu ejusmodi supersedere consultum existimarunt, ita tamen, ut navigationis hujus suscipiendæ, & propriis sumtibus tentandæ unicuique mercatorum, aliorumque subditorum suorum immunitatem permiserint, addita insuper præmii admodum luculenti pollicitatione, quo remunerandi essent, qui tantæ rei tentamine facto voti compotes futuri essent. Amstelodamenses igitur, qui maximis conatibus primo semper loco se spectandos præbuerunt, (quod ipsum splendore & divitiis suis etiamnum abunde testantur,) hanc conditionem minime negligentes tertio conatu rem experiri voluerunt. Idcirco in exordio anni 1596, duas naves parari curarunt, iisque viros nauticarum rerum peritia excellentissimos, quique cælibes essent, ut eo alacriori & audaciori animo huic itineri vacarent, & recordatione mulierum, & infantum à proposito non retraherentur, præfecerunt. Nauticæ turbæ stipendium duplici conditione paciscebatur, quantum scilicet cuique tribuendum, si navigatio ex voto succederet; aut si successu sperato careret, quam tum quisque laboris sui, licet irriti, compensationem accipere deberet. Vnius curam commiserant Guilielmo Barentsonio, ac Iacobo Heemskerkio, Commissario, & Nautæ; alterius Iohanni Cornelii Reypio, cui etiam mercaturæ negotium commiserunt.

Figura

Figura admirandi meteori.



manus incideret. Hujus carnem minime ſanam deprehendebant, pellemque duodecim pedes longam Amſtelodamum ferebant. Hic cum urſo conflictus nomen poſtea huic inſulæ dedit, ita ut adhuc Vrſorum Inſula appelletur.

Anſeres, rotganſen.

Vigeſimo primo Iunii rurſus anchoram gurgiti immergunt, ante regionem quandam, ubi multitudinem ovorum generis cujuſdam anſerini collegerunt, & comederunt; hos appellare ſolent *Rotganſen*, ob clamorem propr , quem fugientes *rot rot* edunt. Hucuſque ignoratum erat ubi anſeres ejuſmodi ova ponerent; ia nempe ante Barentſonium nemo han regionem adiverat, quæ ſeptuageſimo ſexto gradui ſubjacet. Et certe maxime notandum eſt, quod hæc terra, quam Groenlandiam eſſe præſumimus, ſub octuageſimo gradu, herbas, & gramina, cum beſtiis inde viventibus, alat; & quod Nova Zembla ſub 76 ſita, omnibus arboribus, & dumetis deſtituatur, quodque beſtiæ ejus nimirum urſi, & lupi, carnivoræ ſint, & altera alteram devoret.

Decimo ſeptimo Iulii Novæ Zemblæ littus illis apparuit. Decimo nono Inſulam Crucis accedunt, ubi poſtero die naves ſiſtere coguntur, ob maximam glaciei copiam. Hic ſcapha terram conſcenſi Crucem alteram adeunt, ubi duos urſos, corpore in adventum eorum erecto, animadvertunt, ita ut ſcapham inermes repetere cogerentur. Quinto Auguſti, glacie prorſus deſtituti, rurſus vela expandunt, ac 7 ejuſdem Angulum ſolatii attingunt, ubi navem maſſæ cuidam glaciei alligant, cujus denſitas 36 orgyjas ſub aqua, & 16 ſupra eam capere videbatur. Nono Auguſti urſus quidam horridus viſu navem audaci niſu conſcendit, at globo petitus in fugam vertitur. Poſt glacie ubique circumcinctos ſe vident, eaque tam denſa, tamque horribili, ut omnem de tranſitu ſpem amitterent. Attamen glacie hac, fragore ſupra modum horrendo, in plura quam 400 fruſta confracta, ubi navis in maximo hærebat periculo, rurſus ab una maſſa ad alteram pergunt, ita ut 15 Auguſti Inſulas Arauſionenſes attingerent. Vbi rurſus glacie circum... de timeba...

Vrſus.

Glaciei moles.

annituntur; ſed omnis labor prorſus incaſſum ibat, & prora impetu glaciei ita elevabatur, ut puppis culminis inſtar eſſet. Vigeſimo nono attentant variis inſtrumentis glaciem frangere, ſed fruſtra. Itaque in hac extremitate, 2 Septembris, ſcapham per glaciem in terram proximam trahebant, ut & omnem ſupellectilem, ea intentione, ut caſam quandam ædificarent, contra rigorem frigoris, & impetum urſorum. Et hic providentia divina procul dubio factum, quod terram pererrantes, in fluvium quendam aquæ dulcis inciderint, ubi arbores, & truncos ex Tartaria, vel Moſcovia forſan, futuro miſerorum uſui glacies per Oceanum fluctuans protrudendo convexerat: cum per totam Inſulam aliàs nec arbores, nec frutices ullos invenire quis poſſet. Occaſio hæc inopinata deſperatis quaſi ædificandæ in hoc deſerto caſæ materiam ſuggeſſit, & in ſpem de vita conſervanda, ac reditu ſequenti anno in patriam promovendo erexit. Hinc ſeduli, & laborioſi arbores & ædificationi, & foco inſervientes in trabes ſecare, ramenta foco excitando diligenter colligere, omnia neceſſaria ſummo ſtudio parare, atque in locum manſioni deſtinatum convehere: poſtmodum trabes ex arboribus aptatas, & erectas conjungere, atque alteram alteri arctiſſime inſerere, parietis autem, & tecti exteriora aſſeribus, & tabulis de ſuperiori navis parte deſumtis probe tegere, duobus foraminibus, uno pro camino, altero pro janua, relictis. Sic non obſtante ventorum, & nivium impetu, inſultuque urſorum continuo, tandem opus ſuum perfecerunt, & commeatum, cibum, potum, ſtrata, ſupellectiliaque cætera ex navi in ædes novas tranſtulerunt. Interea temporis faber eorum lignarius fatis conceſſit, quem in rimam quandam montis ſepeliverunt: terra enim glacie ſic indurata erat, ut impoſſibile eſſet ullo inſtrumento ferreo eam perfodere. Dum recularum ex navi in caſam hanc transferendarum laboribus diſtringuntur, multis ac variis divexati ſunt infortuniis. Navis in qua cerevisia reſervabatur, ex frigore finditur, imo ipſa ligamenta fer- ... aliquando do-

Fluvius aquæ dulcis.

Vrſorum infeſtatio.

Fabri lignarii obitus.

rizontem non amplius transcendebat, ita ut à quarto Novembris die, usque ad vigesimum quartum Ianuarii, tribus ferme mensibus plane latuerit in abscondito. Luna vero die nocteque nunquam occidit, cum jam signum suum altissimum intrasset.

Adversitates variæ.

Per hoc tempus, referens horresco, maxima pertulerunt mala, cum nempe glacie, & nive quasi sepulti essent. Rypius una cum suis reliquerat Barentsonium juxta Insulam Vrsorum: & maxime mirandum erat, quod duodecim illi homines, quibus rigor frigoris, & furor bestiarum pepercerat, in tanto deserto, ubi omnibus humanis auxiliis destituebantur, imo lumine solis, qui omnibus rebus vigorem addere solet, privabantur, conservati sint. Hic enim maximas inter incommoditates vivebant, & licet foco excitando incontinenter operam darent, tamen frigus illud horridum depellere vix ac ne vix quidem valebant. Octavo Novembris, prima panum partitio inter eos accidit. Vbi quisque per octiduum quatuor pondo, & decem semiuncias accepit. Carnibus, & piscibus salitis adhuc abundabant, at cerevisiæ virtus frigore maximam partem consumpta erat. Vigesimo Nov. tempestate tum serena, indusia sua lavarunt. Hæc ex aquis calidis vix exemta ita congelarunt, ut foco admota conversa tantum pars regelata sit, aversa vero rigore firmiter quasi indurata manserit. Imo frigus tam horridum erat, ut etiam glacies, qua parietes domicilii, imo ipsius cubilis quasi obductæ erant, duos digitos densitate excederet. Horologium quoque ex frigore inutile redditum plane consistebat. Septimo Decembris, ingravescente jam tempestate horrida, focum struebant ex lapidibus carbonariis, vel carbonibus fossitiis, ut eo melius calefieri possent. Sed janua, & omnibus foraminibus ubique clausis, quo frigus aperto marte nusquam penetrare, aut intrare posset, tantus eis incessit angor, ut omnes procul dubio suffocati fuissent, nisi qui validissimus erat januam, & caminum aperiisset, ita ut frigus, eorum maximus inimicus, mortem tunc repelleret. Duodecimo, frigus tam penetrabile erat, ut facies pustulas, & tubera contraheret, si quando exiguum solummodo tempus extra ædes commorarentur. Sæpissime contigit, ut ædibus altissima, & densissima nive tectis, per ostium exitus non pateret, & si pateret, tamen summo labore nivem foramine, aut cuniculo fere perforare, imo multoties inquilini exituri per caminum ascendere, atque ita domo egredi, cogerentur. Interdum quoque frigoris violentia, ac nivium, quibus ædes obruebantur, multitudo tanta erat, ut triduum, quatriduum, aut plures dies domi desidentes pedem extra limen efferre non potuerint. Decipulæ, quas capiendis vulpibus, quæ in locum ursorum, absente sole, cesserant, & in delitiis habebantur, ante casam suam erexerant, sæpenumero nivibus ita cooperiebantur, ut singulis fere momentis necesse haberent, nives repellere, & operam dare, ut liber eis pateret exitus. Circa finem Decembris, & initium Ianuarii frigus tam horridum erat, ut vinum Hispanicum ipsum gelasceret, ita ut nix liquefacta solummodo iis potum præberet. Non dicam de fame, quæ eos ferme suffocabat, & interdum tam intolerabilis erat, ut igne melius caruerint, quam illa laboraverint. Tandem quoque ligno carere cœperunt, ita ut necesse haberent trabes ædium in ramenta secare, iisque focum excitare. Ex consilio Chirurgi balneo tepido utebantur, quod eos maxime juvit. Interea temporis bis, vel ter visitaverunt navem, quam glacie tam firmiter circumcinctam, & obrutam quasi invenerunt, ut omnem spem retrahendi eam ex his vinculis perdiderint. Singulis vicibus inibi vulpem quandam super foros obambulantem vivam ceperunt. Glacies horrendum in modum altera alteri inhærebat, & in tantam altitudinem surrexerat, ut faciem altissimorum montium, vel urbium turritarum præ se ferret. Interdum austris dispersa animum recuperandi navem eis addidit; sed haud diu post tempestate ex Septentrione orta repulsa, plane desperare eos fecit. In tantis tamen miseriis ingentem recepere lætitiam, dum 24 Ianuarii pars quædam facis solaris illis apparuit, quamquam hic ortus cum Astronomorum, & Cosmographorum calculo consueto non conveniens, nimis maturus videatur, & quatuordecim diebus serius contingere debuisset. Post triduum, 27 nempe dicti mensis, integram solis faciem supra Horizontem elevatam conspexerunt. Luce remeante ursi quoque ex latibulis suis reversi, eis iterum tantas, ac tam diversas creabant molestias, ut eorum violentos impetus vix retundere possent. Et licet solis lampade jam uterentur, tamen calor ejus ad liquefaciendam glaciem, frigusque pellendum minime sufficere poterat. Imo mille molestias sub ista casa eos sufferre oportebat, antequam 28 Maji de discessu cogitare inciperent. Cum Majo jam finito, de nave glaciei insidente adhuc nulla spes concipi posset, eam glacie liquefacta liberatum iri, ut futuro in patriam reditui inserviret; duas scaphas ædificare constituunt, quibus 400 milliaria superarent, usque ad Lappos nimirum, ubi terra in patriam remeare poterant. Sic omnibus conatibus statim opus propositum adeunt, & ex navi omnia, quæ illis inservire poterant, accersunt. Vires singulorum ita diminutæ erant, ut sæpissime desperarent se opus suum ad finem perducere, & scaphas suas in aquam patentem pertrahere posse. Attamen necessitas urgebat eos vel ad mortem obeundam in tali deserto, vel ad recuperandas vires; at animos sibi invicem addentes, tandem omnia obstacula superarunt, ac scaphæ, quam repararunt, naviculæque quam ex asseribus navis, & casæ lignis fabrefecerunt, ultimam manum imposuere. Postea quoque ex navi reliquam supellectilem, & aliquot fasciculos mercium in scaphas suas transportarunt, viamque, qua scaphæ per glaciem ducendæ erant, ingenti labore planam reddiderunt. Sic scaphas suas duabus cistellis pecunia refertis, sex fasciculis panni, unico lintei, duobus doliis parvis olei, totidem vestibus impletis, sex vini, duobus aceti, tredecim panum, unico caseorum, addito dimidio porco, onerarunt. Ante discessum Navarchus totam

Frigus intensissimum. *Nives densissimæ.* *Ligni defectus.* *Solis jubar.* *Altera ursorum infestatio.* *Præparatio reditus.*

totam historiam navigationis suæ compilavit, cui undecim socii navales, qui superstites erant, subscripserunt; & postmodum quoque Guiliel-mum Barentsonium, cum altero ægro, in scaphas suas transportarunt. Sic subsequenti die, 14 Iunii, anno 1597, ex hoc horribili Novæ Zemblæ deserto, favente Favonio discesserunt. At vix quinque milliaria navigaverant, nempe usque ad Angulum Insulæ dictum, ubi rursus tanta glaciei multitudine cingebantur, ut coacti essent descendere in terram, sarcinamque ibi exponere. Hic aves, & ova inventa cibum lautissimum præbebant. Cæterum frigus, glacies, mare, & ventus impetuosissimus eos rursus infestos habebat. Nempe decimo septimo Iunii, juxta Angulum glaciei, glacies tanto impetu contra eos fluitabat, ut in extremum periculum cucurrissent, nisi socius quidam navalis, arrepto fune nautico, scaphaque relicta, per massas illas fluitantes rependo ad massam firmam se recepisset, & dictum funem inibi alligavisset, cujus auxilio postmodum reliqui scapham suam attrahere poterant. Circa hoc tempus, & hunc Angulum, fatis cessit Barentsonius, cum altero illo ægro, Nicolao Andreæ, uno, eodemque die, quod eos maxime afflixit, quippe qui videbant se ad tam parvum numerum redactos esse. Huic malo haud multo post, nempe primo Iulii, accessit & hoc, quod altera scapharum impetu glaciei tum furiosissimo contunderetur, ita ut refectionis opus haberet. Refecta hac, cursum suum propositum, terram glaciemque juxta continuarunt, ubi scaphas sæpe maximo labore supra glaciem ad centum, & quod excurrit, pedes transportare necesse habebant, donec tandem ad sinum S. Laurentii pervenerint, ubi duas scaphas Russicas triginta circiter hominibus onustas invenerunt. Hi primi hominum erant, quos tredecim mensium spacio viderant, imo illi ipsi, qui anno præcedente in navi sua fuerant, in itinere Vadigatham versus. Qui supra modum attoniti, quod tam male procinctos conspicerent, quos antehac magna navi instructos salutaverant, miseris cibos quosdam confortativos obtulerunt, & ab illis viceversa panes quosdam bis coctos, & haustus aliquot vini receperunt.

His amicitiæ testimoniis peractis, sese separarunt, & Hollandi cursum suum terram legentes continuarunt; sed rursus in glaciem incidentes, coacti fuerunt retronavigare usque ad Insulam quandam, ubi herbam, Britannicam nomine, invenerunt, quæ scorbuto, qui eos jam affligebat, medetur, cujus folia comedentes postero die sanitati pristinæ se restitutos esse senserunt. Tandem mille molestias passi, ac sic sejuncti, promontorium Candenoes præternavigantes, altera scapharum Mare Album quadraginta milliaria latum, triginta horarum spatio superans, flante Cauro, oræ Lapporum, nempe Occidentali Maris hujus littori, appropinquavit. Hic in littore tuguria quædam piscatoria offendentes amice recipiebantur. Piscatores tredecim erant, qui valde tenuiter vivebant, & pisces, panis & cibi loco comedebant. Ab his pisces ementes comederant quousque satiati fuerunt, postquam per multos dies ingentem passi essent famem, cum quisque tantum tres vel quatuor panes biscoctos pro sua portione accepisset. Finito fere hoc prandio duos homines monte proximo descendere videntes, pro suis reputarunt; (à scapha enim altera ante triduum separabantur,) quare summo gaudio perculsi eos amice receperunt. Postero die cæteri cum scapha ipsa quoque accesserunt, quos eduliis merularum à Russis emtarum laute tractabant.

Sic iterum conjuncti, & noviter instructi summo cum gaudio navigationem suam continuarunt, & insulas quasdam adierunt, ubi rursus aliquot piscatores inventi eis indicabant, quod Colæ quasdam naves ex Belgio vidissent. Postero die Quillodunum apparuit, dum vela facerent inter Insulam, & terram firmam. Navarchus terram conscendit, ubi quinque invenit casas, ex Lappis quæsivit, an terra ista, quam conspicerent, sit Quillodunum? Hoc affirmantes addiderunt, quod alteri de navibus Belgicis dixerant, & quod hæ postridie Cola sint discessuræ. His auditis scapham suam protinus repetentes, velis expansis Wardenhusium tendere constituerunt. Verum vento nimis impetuose flante inter duos scopulos intrare coacti sunt, ubi tres homines in casa quadam viventes, nostrosque Hollandos benevole recipientes, offenderunt. Hos Lappos rogabant, ut socio cuidam navali ex suis viam Colam versus terrâ monstrarent; sed illi ædes suas tamdiu relinquere nolentes, eos ad proximum montem solummodo duxerunt, ubi alios Lappos in eum finem conduxerunt. Interea Hollandi scaphas suas in terram trahentes, singulis unicum tantum socium navalem dederunt, qui non multo post in summum vitæ periculum se expositos vident; maris enim fluxus, qui nimis alte surrexerat, scaphas ex improviso aqua replevit. Sed Deus, qui eos ex multo majoribus periculis traxerat, ex his quoque trahere non negavit. Elapsis fere quatuor diebus Lappus solus rediens literas attulit à Iohanne Cornelii Rypio, qui præterito anno navi sua itineri huic interfuerat, & jam ex Hollandia mercium petendarum gratia huc advenerat.

Postero die Rypius ipse scapha vectus, cum socio, quem miserant, eos visitans varia edulia attulit, inter cætera dolium cerevisia Rostochiensi repletum, vinum, aquam vitæ, panes, carnes, lardum, saccharum, & alia, quæ animos & vires eorum rursus erexerunt. Sic stationem hanc protinus relinquentes cum Rypio usque ad fluvium Colensem navigando perrexere, ubi à sociis navalibus tanquam ex regno mortuorum reversi quam amicissime recipiebantur. Sequenti die scaphas suas, quibus 381 milliarium iter per Oceanum proxima littora præternavigando confecerant, permissu Gubernatoris, in itineris hujus tam memorabilis memoriam, Colæ in domo mercatoria suspenderunt, & Rypii nave conscensa patriæ suæ incolumes redditi, 4 kal. Novemb. Mosam Hollandiæ fluvium ingressi sunt, atque inde pedestri itinere profecti kal. Novemb. cum omnium stupore, & admiratione Amstelodamum redierunt, ubi Patribus civitatis totam historiam itineris sui explicuerunt.

FRE-

MONITUM.

SUperius, pag. 29, dictum est, juxta Diarium peractæ ad Novam Zemblam navigationis, Hollandos, qui quidem illic hyberna fecerant, Solis conspectum amisisse die 4 Novembris, & recuperasse 24 Ianuarii sub eadem Poli borei elevatione: quod viros scientiarum Mathematicarum peritissimos non parum commovit; quippe quod viderent rem in medium proferri omnino impossibilem, sociosque navigationis istius in suo computo prorsus aberrasse; eapropter operæ pretium mihi visum est hic inserere Belgica lingua Latinas factas litteras ad p. m. Parentem meum Guilielmum Blaeu missas à Roberto Roberti filio, homine in scientia navali exercitatissimo, in tantum ut hanc etiam artem alios edoceret; unde prudens Lector possit perspicere quæ gesta sint in disputatione ab illo cum suis auditoribus habita, qui prædictæ navigationis non solum socii fuerant, sed & illius seriem scripserant, inque lucem emiserant.




Micissime Guilielme,

Quam petiisti summam colloquii inter me & discipulos quondam meos Iacobum Heemskerk, Gerardum de Veer, & Ioannem Cornelii Rijp, compluresque alios, paucis accipe. Ii cum versus boream vela fecissent anno 1596, regna Sinæ Cathaiæque lustrandi gratia, regressi postmodum anno 1597, ad me venerunt miranda navigationis suæ narraturi. Illud vero præ cæteris maxime notatu dignum ipsis videbatur, (quod multas post editionem Diarii sui, uti mones, inter omnes pene doctos turbas dedit) quarta scilicet Novembris anni 1596 Solem sibi disparuisse, rursusque vigesima quarta Ianuarii anni 1597 rediisse, sub eadem 76 graduum Poli elevatione, sub qua in Nova Zembla domunculam ædificarant. Quod cum audirem, quæsivi primùm, cum perpetuam nullaque nocte temeratam transegissent decem hebdomadarum diem, neque tanto temporis intervallo sic serenum semper fuisset cœlum, ut quotusquisque Solis circa terram circuitus posset ad amussim observari, num certo scirent, fuisse quartam Novembris, cum Solem è conspectu amiserunt, præsertim quod eo tempore Sol plusquam quindecim gradibus, ultra lineam Æquinoctialem versus Austrum, declinaret; Responderunt, sua se semper horologia, necnon & clepsydras præ oculis habuisse, adeo ut hac de re non possent ullatenus dubitare. Quæsivi rursus, numquid non quandoque sua errassent horologia, aut exhaustæ fuissent clepsydræ, quotusque Lunæ dies curreret cum Sol illis apparere desiit. Nullus eorum ad hæc quidquam respondit; unde conjeci illos non exacte dies observasse, & erroneum fuisse eorum computum, quo quarta Novembris die Solem ipsis occultatum fuisse notarunt. At supponamus, inquam, vos in calculo non aberrasse, & justè cunctos æstatis dies dimensos fuisse; unde tanta vobis confidentia, ut nec in hyemalium dierum supputatione ne tantillum quidem errasse vos audacter affirmetis, cum tunc temporis nox ad hebdomadas undecim protraheretur? eaque tempestate vestris tuguriolis tanquam sepulti latitaretis, neque ob frigus nimium, ingruentesque nivium turbines, extra prospicere quisquam vestrûm auderet, nec proinde aut Solem, aut Lunam, aut Stellas intueri copia fieret? Ad quæ respondit Gerardus de Veer, stellam Polarem ab ipsis perpetuo visam per caminum, per quem etiam distincte admodum singulos majoris Vrsæ circa hunc polum circuitus annotarant; in conspectu etiam semper habuisse clepsydras & horologia, quibus quotidie summa sollicitudine invigilabant. Ego quidem his de rebus cum illo nequaquam contendere volui; attamen ipsius ratiunculis non potui ullatenus acquiescere, cum nihil omnino verisimile mihi suaderent; vix enim æstivis mensibus semetipsos ab ursorum incursione tueri poterant, ut sponte fatebantur; per hiemem autem vulpium venationi intenti erant, adeo ut nec assidue cælestium observationibus vacare, neque sua dirigere horologia per otium liceret, saltem quantum mente possum assequi; & forsan sæpenumero suas defecisse clepsydras, aut hæsisse horologia præ rigore frigoris invenerunt. Tum Iacobus Heemskerck me affatus inquit, Credis ergo, mi Roberte, ut tuis ex verbis conjicio, nos nostro in computo supra modum hallucinatos fuisse? Non id solummodo suspicor, inquam, sed & constantissime persuasum habeo, tam longe vos à vero deviasse, ut neque scire potueritis finisne tunc esset Ianuarii, an initium Februarii; nam, etsi pluribus eos interrogassem, quibusnam cæli partibus Lunam, Planetas, & Sidera deprehendissent, & qua ratione eorum altitudines 24 Ianuarii die dimensi fuissent, ipsa nimirum, qua Sol se videndum ipsis denuo exhibuerit; & an hora sextâ vesperi, an nocte concubiâ, aut sextâ mane, quòque in rhombo apparuisset? Ad hæc omnia muti tanquam pisces; nam tunc temporis talia observare ne quidem ipsis in mentem venerat. Quapropter collegi in illorum computo decem circiter aut undecim dies desiderari. Die subsequenti omnes ad me redierunt, ut monerent, se pro certo comperisse, qua cæli parte 24 Ianuarii die Luna extitisset: tunc ego subjunxi, illos paucarum horarum spatio, perlectis quibusdam ephemeridibus, doctos evasisse, è quibus tam cito edidicerant quod pridie, cum eos super hac re interrogarem, ignorabant. Sed & Gerardus de Veer, qui peractæ ad Arctum navigationis, rerumque in ea observatarum scriptor fuerat, multos adhuc futiles, prioribusque haud absimiles mecum habuit sermones, quos à principio scriptis mandare decreveram, sed abstinui, cum ipsum viderem mordicus suæ opi-

opinioni adhærentem, prædictis de rebus Diarium edidisse, in quo totam hanc prolixe enarrabat historiam pag. 34 & 35; verum aliis, quo magis emineret, caracteribus notatam, prout in ipso volumine Amstelædami impresso anno 1598, videre est, ubi velle se libenter dictorum suorum rationem reddere conceptis verbis significat. At non me latet, quænam sit illa ratio, quam ad Martinum Everardum Brugensem, in urbe Leidensi tunc temporis commorantem, transmiserit, ab ipso antea ut id faceret per epistolam rogatus; quippe illam mihi Gerardus de Veer communicavit, postulans, ut quid sibi hac in re agendum foret sententiam meam aperirem; cui sincero ex animo consilium dedi, suum ut errorem agnosceret, fatereturque lubens, se suosque socios, perseverante prælonga illa æstatis die, in computo dierum singulorum errare potuisse, ut & incumbente quoque longissima hiemis nocte, quo temporis spatio, illis non advertentibus, elapsæ minutulæ quædam dies fuissent, cum tunc nimio algentes frigore, somno premerentur; sed surdo narravi fabulam; neque enim Diarium in lucem emiserat, ut postmodum illud emendaret; atque ita ad ultimum usque vitæ diem in errore perstitit, certissimas suas esse observationes asseverans; sicque idem ipse Gerardus de Veer, in suo Diario 56 dies inclusit inter 24 Ianuarii, & 21 Martii, quo scripsit Solem supra horizontem 14 dumtaxat gradibus tunc altum fuisse, cum tamen harum 56 dierum spatio, super eundem horizontem 19 gradus ascendisse debuisset. Hoc autem inde concludo, quod Gerardus de Veer, 13 aut 14 dies supra convenientem numerum incluserit intra idem temporis spatium, quod à 24 Ianuarii ad 21 Martii intercurrit, quas etiam suo Diario inserere non dubitavit, ut hac ratione suam opinionem firmaret; sed declinationem silentio prætermisit: adeo ut primæ meæ conclusioni semper institerim, perseverante nimirum prælonga illa hiemis nocte, quæ 12 hebdomadibus continuis perduravit, illos sæpius somno fuisse obrutos, tantoque tempore obdormivisse, ut sexta aut septima Februarii tunc extiterit, cum quartam & vigesimam esse Ianuarii arbitrarentur; quos quidem dies deditâ operâ inter 24 Ianuarii & 21 Martii pro lubito inseruerunt, ut egregiis illis observationibus gloriabundi doctis illuderent, controversiæque materiam exhiberent circa Diarium Gerardi de Veer. Iudicent alii, quod sibi visum fuerit; at mihi Gerardus de Veer sacristæ illi similis videtur, qui cum horologium ad præfixum Solis tempus horam non pulsasset, & quænam hujusce erroris causa fuisset interrogatus, respondit, Solem quidem errare posse, non tamen illud quod ipse moderabatur horologium: ita & Gerardus de Veer suum videtur errorem potius in splendidissimum illud Sidus, Lunamque & Astra voluisse rejicere, quam illum, vita adhuc superstite, confiteri. Hisce, vir honoratissime, abunde satis petitioni tuæ responsum existimo; neque enim unquam adduci potero, ut credam, Solem, die quarta Novembris, cum quindecim ultra Æquatorem ad Austrum gradus remotus fuerit, supra Horizontem minime videri, & tamen eodem loci apparere vigesimaquarta Ianuarii, cum novendecim gradibus distaret à prædicto jam Æquatore versus Austrum; invenirique præcise 14 graduum altitudine supra eundem Horizontem vigesimâ primâ Martii; unde quod suo in Diario pag. 39 scripsit Gerardus de Veer, naturæ omnino rationique contrarium est. Itaque rursus assero, in longa illa æstatis die, de qua jam præfati sumus, illos non supputasse quasdam Solis revolutiones, ut & in prægrandi nocte hiemis præ sopore haud exiguum temporis spatium in computando omisisse, nec ad eum certitudinis gradum suum adduxisse Diarium, ad quem reducerent, qui mane & vesperi, tempus 24 horarum in diem ac noctem distinguere possent, neque cunctos sigillatim dies computasse; quod his navarchis ad Arctum euntibus, prorsus impossibile fuit, quibus itaque hac in re condonandum: sicque huic epistolæ finem impono. Die 15 Septembris, 1627.

FRETI WAIGATS, SIVE NASSAVICI,

Hollandorumque expeditionis in illa loca DESCRIPTIO.



SI Romani cum ſerpentibus aliiſque beſtiis venenatis pugnaſſe, eaſque deleviſſe; ac victorias ſuas uſque ad montem Atlantem, quem tamen ſuperare nequiverant, protuliſſe gloriati ſunt; ſi Hannibal igne, & aceto præruptas Alpium rupes perfregiſſe, ac perfodiſſe; imo Macedones regiones ſabuloſas, ubi certo tempore, ac certo vento viæ arenis ita obrui ſolent, ut non ſolum tranſitus denegetur, ſed etiam ingentes exercitus opprimantur, pertranſiiſſe, magnificis jactitarunt verbis: Hollandis certe multo magis convenire videtur has ſuas expeditiones tam mirabiles, ac tam audacter ſuſceptas, ut abſque ſuſpicione adulationis minime deſcribi, neque abſque ſtupore legi, neque abſque admiratione credi, imo nonniſi cum incredulitate quadam ſuſpici poſſint, prædicatione longe juſtiori efferre. Hæc etenim Natio actionibus ſuis indefeſſis, ac ſumme ſplendidis tantam ſibi conciliavit gloriam, ut ea vix digne deſcribi poſſit: quippe quæ ad ſummum honoris faſtigium tendens, ac lucri ſtudioſiſſima, veſtigia optimorum ſequitur bellatorum, ignaviam fugit, arma ſumma tractat voluptate, choreas ſpernit, luſus odit, & nil niſi potentiam ſuam ſummo conatu propagare intendit; imo non niſi laboribus inhians gemmas emittit, non niſi ſudoribus madefacta viret, & non niſi per mare excurrens floret. Et hæc natio de ſe ipſa ſublatius eloqui poteſt, quod dominatum ſibi in has duas, frigoris nempe, & caloris, extremitates aſſeruerit; & hujus quidem, cum ſæpenumero ſub linea, per intenſiſſimum ſolis ardorem, navigaverit; illius autem, cum trajectum in Chinam, & Indiam orientalem, per ſeptentrionem, verſus Polum Arcticum, & Novam Zemblam, diverſis vicibus tentarit.

Hic trajectus per ſeptentrionem à quibuſdam Belgii Fœderati mercatoribus, tempore glorioſiſſimi Arauſionenſium Principis, Guilielmi I, Ordinibus Generalibus primum examinandus propinabatur. Illis enim perſuaſum erat, breviori temporis, ac ſumtuum compendio, per haſce frigidas regiones in Cathajam, Chinam, Iaponiam, & reliqua Indiæ Orientalis regna, penetrare poſſe. & ad hoc eos maxime incitaverat relatio Cornelii Nepotis, Plinii, aliorum Hiſtoriographorum, qui in libris ſuis mentionem fecerant tranſitus cujuſdam ex Septentrione in illa regna, & quod per hunc ipſum Indi, tempeſtate exorta, ſæpiſſime depulſi ſint in Norvagiæ, & Germaniæ littora. Verum enim vero civilibus ac inteſtinis motibus in Fœderato hoc Belgio tunc temporis nondum ſopitis, arduum illud negotium uſque ad tempora Principis Mauritii differebatur. Hic audacia pariter, ac animoſitate optimum Parentem æquans, demum effecit, ut Ordines Fœderati, precibus *Balthaſaris Moucheronis*, Mercatoris Middelburgenſis, ejuſque ſociorum annuentes, anno 1593 duas naves exſtrui, ac in illa loca ablegari mandaverint.

Prima harum navium, cui *Cygnus* nomen, inſtruebatur in Seelandia, opera, ac conſilio modo dicti *Moucheronis*, & Theſaurarii *Iacobi Vlackii*; altera vero, nomine *Mercurius*, Enchuſæ, juſſu Conſilii maritimi Hollandiæ Septentrionalis, ac cura Doctoris *Franciſci Maleſonii*, Senatoris Enchuſani, maximi navigationis promotoris. Commiſſarii munus obibat *Iohannes Hugo à Linſchoten*, civis Enchuſanus, rei nauticæ maxime peritus; & ſummi Nautæ, *Cornelius Cornelii Nay*, littorum Moſcovicorum peritiſſimus. Interpretes erant *M. Chriſtophorus Spindlerus*, ex Slavonia oriundus, qui tunc temporis Leydæ ſtudiis operam navabat; & *Franciſcus de la Dale*, Moucheronis ſupra dicti conſanguineus, qui in Ruſſia, ac Tartaria mercaturam per aliquot annos exercens, Ruſſicam addidicerat linguam. Atque ſic has duas naves commeatu in octo menſes ſufficiente, ac quinquaginta hominibus onerarunt.

Conatui huic promovendo ope ſua acceſſit etiam *Petrus Plancius*, Coſmographus nobiliſſimus, qui adhortationibus ſuis Amſtelodami effecit, ut Conſilium ejus civitatis maritimum, cum mercatoribus quibuſdam, hiſce duabus navibus tertiam ejus rei explorandæ cauſa adjunxerint, ita tamen, ut tranſitum per alium tractum tentaret.

Plancius enim in ea erat opinione, quod impoſſibile eſſet tranſitum quendam invenire per Fretum Waigats, inter 68, & 71 gradum, nempe inter Novam Zemblam, & Tartariæ continentem, prout duabus prioribus navibus inveſtigare injunctum erat. E contra ſuſtinebat, quod Polus arcticus, quoad ejus fieri poſſet,

FRETVM NASSOVIVM
Vulgo
DE STRAET NASSOV.

quàm proxime accedendus, & inibi, Nova Zembla circumnavigata, patens aliqua via inquirenda; quam multis ac ſpecioſis rationibus demonſtrabat.

Duæ priores naves, *Olor*, & *Mercurius*, anno 1594 nonis Iunii, quibus navis Amſtelodamenſium, cum adjuncta Liburnica Schellingenſi, eas conſequebatur, ex Texelia expanſis velis ſolventes, & Norvagiæ, ac Finmarchiæ littora legentes, 9 Kal. Quintilis *Kildunum*, oppidum Inſulæ ejuſdem nominis, juxta oſtium fluvii *Kol*, à *Kola*, Lappiæ oppido, deſcendentis, ut in mare labatur, applicuere. Dehinc Amſtelodamenſes, poſtquam cum cæteris navibus convenerant, quod in reditu ſe invicem uſque ad ultimum Septembris, juxta Inſulam Kildun, expectarent, ut conjunctim in patriam remeare poſſent, 3 Kal. Quintilis, navigationis promovendæ cauſa, itineri ſe commiſere, & Novam Zemblam prætervecti, curſum ad Polum arcticum tenuere, ubi duæ illæ Inſulæ Naſſavicæ, quæ navigationis plerumque terminus, detectæ. Reliquæ duæ, Selandica nempe, & Enchuſana, 6 nonas Quintilis Kilduno diſcedentes, recto curſu Fretum Waigats petiere. Tertio poſt diſceſſum die aberant ab Inſula Colgoja viginti milliaribus, & à Nova Zembla quadraginta quinque, verſus argeſten. Haud longe poſt conſpexere Oceanum glacie quaſi obrutum, cujus ſpiſſitudo extra aquam ſurgens trium, vel quatuor orgyiarum, apparebat. Hic terram cernere putabant, ſed nihil erat, niſi vapor, & nebula. Sol inibi ultra Auſtro-africum tendit, antequam altiſſimus evadat. Qui tamen depreſſam valde altitudinem obtinet, reſpectu noſtri, cum ejus umbra eandem habeat longitudinem, ac in Hollandia, hora ſeptima, vel octava matutina, diebus æſtivalibus. Glacies in quibuſdam locis rupta erat, in aliis continua. Per hanc unicum milliare progreſſi ita undique involvebantur, ut nullam aperturam cernerent, quam eam, qua ingreſſi erant. Nullam quoque videbant terram, niſi ſæpenumero vapores, & nebulas, in terræ ſimilitudinem ſurgentes, ac faciem hic illic mutantes, unde facile conjicere poterant terram non eſſe. Tandem cum ulterius progredi non poſſent, directo verſus Oceanum curſu regrediebantur. Septimo Iulii terram videbant planam, in altitudinem quandam ſurgentem, quam Candenuſiam eſſe putabant. Sed eam accedentes brachium quoddam in mare excurrens, ac in eo crucem in promontorio ſtantem, deprehenderunt. Non procul ab hoc brachio regionem quandam montoſam, aſpectuque ſatis pulchram obſervabant, quæ exhalationes tanto impetu, ac tam calidos vapores emittebat, ut fornacem quandam calefactam putaſſes. Hinc vela faciebant verſus corum, ubi eos fragmenta glaciei impetu prorſus horribili vexabant. Maſſas inibi videre licebat tantæ altitudinis, ut ad dimidiam velorum partem pertingerent. Aliæ perforatæ, ac excavatæ aquas horribili fragore percurrentes admittebant. Sic totam noctem vela facientes nil niſi glaciem videbant. Die 9 Iulii rurſus ad littus quoddam accedebant, à quo Suetenuſiam 9, vel decem milliaria verſus Zephyrum diſtare putabant. Poſt brachio maris Occidentali Inſulæ Toxar appropinquabant. Decimo Iulii, ob nimium glaciei impetum, intrabant fluvium Piſanam, ubi navem Ruſſicam, quam *Lodding* indigenæ Ruſſi appellant, offenderunt. Hæc ex Mari Albo veniens, Pitſoramque tendens illis indicabat, quod Colgojam circumnavigaverint, ac non intraverint, quemadmodum ſibi ipſis imaginati erant; imo quod antecedenti nocte juxta Inſulam hanc nullam glaciem, mirum Hollandis auditu, offenderint, & quod fluvius iſte, ubi anchoram ejecerint, ſit brachium Orientale Inſulæ Toxar, ubi elevatio Poli 68 gr. & dimidii. Quoad Fretum Waigats, Ruſſus dicebat, quod ex traditione crederetur eſſe Fretum maris ſemper glacie tectum, ac profunditate decenti deſtitutum; & quod, hoc permeato, intrare liceret in Mare quoddam Meri-

Meridionale, & calidum reſpectu Septentrionalis.

Poſtero die idem percipiebant ex aliis Ruſſis, qui in hoc ipſo fluvio tribus navigiis vela faciebant, ac addebant, quod Fretum Waigats transmeari poſſit, ſi modo balænæ, ac equi marini, qui omnes naves tranſitum tentantes in nihilum redigerent, aut retardarent, non obſtaculo ſint. Alii dicebant, quod ob frequentiam rupium, & cornuum littoralium non ſecurum præſtet transitum: & quod Magnus Dux tribus navigiis transitum tentare curarit, omnibus glacie abſumtis.

Duodecimo Iulii in duos inciderunt venatores, ex mari Albo venientes, qui alia, ac Ruſſi, utebantur lingua, quippe ex alia natione orti. Hi dicebant, quod omnibus æſtatibus ſe conferre ſolerent ad flumen Colcocove, tam piſcandi, quam venandi gratia: & quod hæc loca nullis hominibus inhabitentur, neque frequententur, niſi venatoribus quibuſdam, &c. Tempeſtate placida genus quoddam muſcarum ingentium ibi conſpicitur, quæ crabronibus, aut tabanis non abſimiles, homines in ſummo gradu infeſtant, ac graviſſime pungunt.

Maxima glaciei parte jam diſſipata, cruceque nominibus quorundam inciſis in collibus Inſulæ Toxar erecta, ut Amſtelodamenſibus forte fortuna in hunc portum delatis indicio ſit, quod hic fuiſſent, vela faciebant tempeſtate ſerena, ſoleque valde urente, uſque ad fluvium Colcocove; & decimo ſeptimo transnavigabant fluvium Pizanam. Hic maximo cum ſtupore, per nebulas, & vapores, Solem conſpiciebant quaſi ſanguine tinctum: cui inſecuta eſt tempeſtas ſatis horribilis. Decimo nono Pitzoram veniunt, undecim milliaribus à fluvio Pizana diſtantem. & hinc verſus Orientem navigantes ad Fretum Vadigati, Poli elevationem 70 graduum invenerunt.

Vigeſimo primo Iulii, ubi triginta circiter milliaribus Pitzora aberant, viſui eorum primum ſe obtulit *Vadigatum*, ſeu Fretum *Waigats*, anguſtæ illæ fauces, *Novam Zemblam* regionem à continenti avellentes, & ab Occidente aquas Oceani ſeptentrionalis verſus Orientem in mare Tartaricum provehentes. Terra erat dura, & argillacea, gramine, herbis, cochlearia, & parvo porro ſive allio veſtita, ita ut campo amœno & vireſcenti haud abſimilis; arboribus tamen & fruticetis prorſus deſtituta; littora erant rupibus, & ſaxis præruptis obducta. Cum ad primum Angulum perveniſſent, videbant duas Cruces Ruſſicas in tumulo quodam inibi erectas, ita ut conjicere liceret loca illa habitatoribus non eſſe deſtituta. Idcirco ſocii quidam hic terram petebant, ubi primum quidem nulla alia veſtigia habitantium invenere, ſed ulterius progreſſi, viſui eorum ſe obtulit homo quidam quoad faciem, & veſtitum Lappis Kildunenſibus non abſimilis. Hic ſciſcitantibus nihil aliud reſpondebat, quam quod adirent cœtum ipſum. & his dictis tam celeri curſu in fugam ſe recipiebat, ut nullus turbæ nauticæ illum inſequi valeret. Terra hic plana, montibus tamen quibuſdam oblongis, collibuſque interdum conſita, & muſco oblongo, ac teneros floſculos varii coloris protrudente obducta. Nulla alia videbant animalia, quam duos rangiferos, & aliquot fringillas, hirundineſque, in excavatis rupibus nidificare ſolitas. In Occidentali freti latere, ante introitum Occiduum, per quem in fretum ex Oceano ſeptentrionali ingreditur, aqua marina nigrum, aut ſubnigrum colorem habebat, & ubique per undas frutices, rami, radices, & arbores grandes fluctuare conſpiciebantur. Dimidia ab hoc Angulo hora ſinus ſe obtulit valde magnus, in cujus extremitate Crux Ruſſica in colliculo quodam erecta.

Vigeſimo ſecundo Iulii ad alium accedebant angulum, ſeu apicem, qui formam quatuor, vel quinque Inſularum referebat. Hic rurſus duas Cruces ex ligno erectas invenerunt. Tribus abhinc milliaribus occurrebat brachium quoddam maris, cui inſidebat Inſula ſatis longa. In hoc ad 10, vel 12 milliaria ad minimum vela faciebant, periculum facturi, an exitum quendem invenire poſſent. Sed ſpe fruſtrati reditum parabant, & 25 Iulii in Fretum Waigats ſe recipiebant. Hac nocte ſolem verſus cæciam primitus occidere, ſed brevi poſt verſus meſaquilonem rurſus oriri obſeruabant. A decimo enim ſeptimo Iunii uſque ad hoc tempus nunquam occiderat. Hic obortis tempeſtatibus cogebantur ſe recipere in Sinum, unicum tantum milliare latum.

Latus Freti hujus Meridionale, quod terram firmam eſſe putabant, ab initio arenoſum videbatur, ſed poſtmodum ſatis ſcrupoſum & ſaxoſum. Septentrionale, quod Inſulam Waigats eſſe credebant, ubique ſcopulis & declivitatibus obſitum, in ſummitate tamen planitie quadam tectum. In Angulo ultimo hujus freti videbant plurimas cruces ligneas. Sinus in introitu novem, aut decem, deinde quinque, aut ſex, poſtmodum rurſus octo, vel novem orgyiarum profunditatem habebat, cum fundo ſolido, & ſatis apto. Intro navigantibus apparebat littus circumcirca continuum, ita ut ſocios quoſdam navales cum ſcaphis ſuis emitterent, omnia viſitaturos. Verum hi miſeri brevi poſt tanto periculo expoſitos ſe videbant, ut ſingulis momentis vita ſe privari putarent. Ventus enim tanto impetu incitabat fluctus, ut ſcapham ſuam evertere, ac fundo immergere minarentur. Maſſæ item, & moles glaciei ingentes per undas fluctuantes huc illuc impellebantur, ac nonnunquam horrendo fragore ac ſtrepitu in minora fruſta diſſilientes audientibus terrorem pariter, ac ſtuporem incutiebant. Sed tandem ab his inimicis impetuoſiſſimis liberati à meridie ad naves ſuas revertebantur, ac referebant, quod ſperarent, ſe facili negotio hos tractus ſuperaturos, & quod Inſulam quandam, duobus milliaribus ab eo loco diſtantem, vidiſſent, ubi nihil aliud, quam veſtigia quædam rangiferorum, & avium obſervarint; quod profunditas juxta latus Meridionale, & Orientale ejus Inſulæ ſit exigua, ſed juxta Boreale & Occidentale ſatis magna, fundo ubique æquali. Quin & maximam glaciei copiam ex anguſtis his faucibus verſus Oceanum fluctuantem obſervabant.

Aqua

Aqua inibi erat cærulei coloris, & valde salsa. Ad latus Septentrionale Freti rursus Crucem ligneam offendebant, cum reticulis, & laqueis circum expansis ad capiendas martes, vulpes, & zabellos; item plurima cornua, & ossa rangiferorum, quos procul dubio lupi, & ursi devoraverant. Imo hic quoque caput equi marini cum collo integro, & dentibus invenerunt, ac in patriam secum portarunt, ubi adhuc Enchusæ in perpetuam rei memoriam reservatur.

Vigesimo sexto Iulii venti zephyrini, & notolybici tanta violentia excitabant fluctus, ut ineffabilem glaciei multitudinem congererent, quæ terribili sonitu in naves prosiliens anchoræ scapum, seu truncum confregerat; ita ut socii navales coacti essent vela facere usque ad Angulum Septentrionalem, ubi elevatio Poli est 69 graduum, & 40 minut. & hic anchora ejecta commodiorem expectabant tempestatem.

Hæc terra, quæ sclopeti ictu à Freto Nassavico distat, ubique silicibus, & saxis immanibus est cooperta. Angulus Idolorum vel Imaginum vocatur propterea, quod Hollandi trecenta, vel quadringenta circiter idola lignea, partim minora, partim majora, ac tam male efficta, aut formata, ut vix, humanam formam illis repræsentare, conjici potuerit, ibidem invenerint. Facies enim erant admodum latæ, nasi extantes, oculorum loco duo tantum foramina, & unum, quod os repræsentare videbatur. Quædam mulierum, aliæ virorum, ac nonnullæ infantum, aut puerorum similitudinem præ se ferebant. Imo multæ inibi erectæ erant Cruces Christianæ, proculdubio à Russis, Christianis Græcis antiquissimis, qui in ea loca adhuc hodie pellium coëmendarum gratia singulis annis proficisci solent.

Versus meridiem hujus Freti Nassavici sedes, ac domicilia habent *Samojedæ*, quos Moscovitæ *Samiedos* appellant. Hi adorare solent Solem, Lunam, & stellas. Sacrificant quoque pro mortuis suis damas, & rangiferos tam Soli, quam Lunæ, & Lucifero, seu stellæ aquilonari. Hinc etiam Solem, & cœlum digito commonstrant, & quasi testes invocant, quando aliquid serio agentes, aut dicentes juramento confirmare volunt. Qui & ligneis imaginibus, & idolis, quæ inibi ubique in scopulis, angulis, & promontoriis in fauces procurrentibus, facie versus Orientem conversa, catervatim erecta stabant, aut in solo coacervata jacebant, divinum sacrificando exhibent honorem, & deos suos æstimant. Et hinc ante pedes eorum ingentes cornuum, ossium, & cinerum acervi conspiciebantur. In uno eodemque trunco sæpenumero quinque, sex, aut septem vultus, aut facies humanæ effictæ erant, quod forsan totius alicujus familiæ signum.

Hi populi alii admodum parvæ, alii procerioris staturæ, lata, & plana facie deformes, oculis parvis, capite multo majore, quam proportio corporis requirebat, cruribus incurvatis, & valde brevibus, ac genu extorto incedebant. Barbæ pilos ornatus gratia evellentes, imberbi mento vetularum figuram referebant. Crines capitis picem nigredine fere superantes, ultra aures demissi pendebant. Color subniger, & deformis similitudine sua conveniebat cum illorum colore, qui in Hispania *Mulatæ* vocantur. Eo se tingunt hiberno tempore, in suis casulis, aut tuguriolis, vel latibulis aliis, aut cavernis, foco assidentes, & fumum ex lignis exeuntem excipientes. Vestimentis utuntur ex pellibus ferinis confectis, quarum pili tempore hiemis intro conversi corpus tangunt; tempore æstatis autem extra vertuntur. Omnia uno & quasi continuo filo consuta, manicas habent brachialibus, capitia tunicis, calceos tibialibus, & tibialia caligis assuta. arma erant arcus, & sagittæ. Eo pacto vestiti, & armati Hollandis simiæ potius, quam homines videbantur. Currendi, & saltandi agilitate cæteris Europæis nationibus longe præeunt, adeo ut vix credibile sit, aliquem inventum iri, qui Samojedam aut cursu, aut saltu superaturus sit. Artis piscandi rudes fere, sola ferarum venatione sibi alimenta ad vitæ prorogationem necessaria procurant. Aliàs prudentes sunt, & industriosi, sed valde diffidentes, & sibi imprimis cavent ab exteris. Trahis incedunt eleganter exornatis, quæ à Rangiferis admodum pinguibus, & pulchra cornua ostentando superbientibus protrahuntur. Carne ferina cruda, aut in aëre aliquantulum siccata vescuntur. Caput tegunt capitio pelle munito; sed divites utuntur pileo ex castore vel panno confecto, in cujus acumine fastigiato stella ex frustis pannorum tinctorum consutis conspicitur. Caput, detracto capitio, ad terram fere flectunt, cum cuidam honorem exhibere volunt.

Vigesimo nono Iulii massam quandam glaciei horribilem visu, ac semimilliare longam fluctuantem & appropinquantem observabant. Iuxta latus Meridionale Insulæ illius Casam invenerunt idolis repletam, quorum oculi, & mammillarum capitula ex orichalco, imo integra figura multo majore artificio, quam præcedentium, efficta. Interea temporis in conspectum veniebat homo quidam traha, cui tres rangiferi juncti, vectus, & arcu armatus. Hic, visis Hollandis, admodum territus statim magnum excitabat clamorem, ita ut in momento temporis ex valle quadam triginta trahæ prosilientes, Hollandos subito cingerent, qui tamen cursu citato fugam capientes scapham repetebant, & vix reliquerant littus, cum sagittis se peti viderent, sed absque ulla noxa.

Trigesimo primo Iulii scapha rursus inquirere audent exitum hujus Freti Septentrionalem, ubi duobus fere à statione sua milliaribus incidebant in apicem quendam in has fauces exertum, *Angulum Crucis* vulgo vocant, cognomento orto ex Cruce Russica ingenti, quæ in hoc loco erecta occurrebat. Littus hoc boreale usque ad hunc locum sinibus pluribus, præsertim juxta Angulum, ubi anfractus sinuosus haud exiguus, frangitur, & in planitiem depressam subsidens saxosum, & tophis leucophæis obductum est. Ex opposito hujus Anguli in latere Meridionali se rursus offert sinus quidam valde magnus. Tribus abhinc milliaribus se offert in eodem latere Septentrionali *Angulus Litium*, nomine sumpto ab eo,

ab eo, quod Hollandi in hoc primo itinere divisis sententiis hic non conveniebant, dum una pars fauces inibi terminare arbitraretur, altera contrarium statueret. Qua promontorium hoc in fauces se exerit, objectum è regione sibi habet sinum, seu brachium magnum, cui Insula parva prætenditur, quæ vix quartam milliaris partem ambitu comprehendit, ac minoris machinæ campestris ictum à littore separatur, altitudine tamen sua præ cæteris locis circumjacentibus conspicua, *Malsonia* vulgo audit.

Quod profunditatem, aliasque qualitates hujus Freti concernit, notandum est, quod ab Angulo Idolorum, usque ad Angulum Crucis plerumque prope littus Meridionale profundior sit aqua, quam alibi. Abhinc enim usque ad Insulam sequentem profunditas tantum quinque, quatuor, trium, imo duarum orgyiarum. & littus Septentrionale, cum Occidentali valde periculosum est, cum multis rupibus, & pulvinis sit obnoxium, tamen ictum sclopeti ab illo littore satis profundum, & securum est. In hoc tractu Freti navigantes multitudinem hominum in latere Meridionali ad littus descendere conspexere.

Angulo Crucis præternavigato, valde claram, & cæruleam, imo adeo salsam invenere aquam, ut minime dubitarint, se brevi temporis spacio ad vastum quendam Oceanum venturos. Iuxta Angulum litium, ubi vaporibus exortis naves sistere cogebantur, & stipitem longum ac crassum imposito dolio in rei memoriam erigebant; versus aquilonem, & zephyrum, ingentem glaciei multitudinem, à Nova Zembla procul dubio descendentem, viderunt; ita ut se reciperent ad littus Orientale oppositum, ubi duos vel tres homines invenere, quos primum fugientes inclamarunt, ut gradum sisterent. Interim solus interpres cum socio quodam navali descendebat in terram fugitivos allocuturus, qui cum aliis sibi succurrentibus appropinquantes interpreti aures præstabant, sed summa cum diffidentia, dum arcus, & tela semper parata servabant. Quin & quatuor aut quinque satis armatos mittebant ad scapham, ut reliquorum inibi actiones observarent. Interpres eis in primo alloquio offerebat frustum quoddam panis, & casei, quod, tanquam donum multo charius & rarius in hisce tractibus, quam aurum, & adamantes, capitibus ad terram inclinatis, in signum honoris, & gratiarum actionis, acceperunt, & avido gustu comederunt. Hæc amicitiæ testimonium compellebat cæteros quinque socios navales, ut scapha relicta propius accederent, & arcus, aliaque utensilia horum Barbarorum, qui jam quindecim numero congregati erant, contrectarent. quod etiam facile permittebant; sed telis tantummodo exceptis. Hi interrogati ab Hollandis de situ, & qualitate hujus regionis, responderunt, quod tractus ille, ubi navigarent, nihil aliud sit, quam mare exiguum, quo superato, navigare possent in vastum ac valde latum Oceanum; quod decem aut duodecim diebus præterlapsis nulla amplius glacies appareret; & quod æstas adhuc sex, vel septem hebdomades sit duratura. Quin & addiderunt, quod tractus ille multas alat martes, zabellas, armelinas, ursos albos, lupos, lepores, & aves, imo in mari equos marinos, quos Morsen vocant, balænas, & alia monstra marina.

Hæc natio à Petzorensi Ditione (quæ versus borrholybicum Moscoviam, versus Orientem ditionem Dwine, versus Occidentem vero Obdoram, & Samojedas aspicit, & versus Septentrionem usque ad mare glaciale pertingit) usque ad fluvium Obii, nullam certam agnoscit mansionem, sed hinc illinc vagari & commigrare solet. Samojedæ Novam Zemblam inhabitantes (quæ sita est in Septentrionali latere Freti Waigats, sub elevatione Poli 75 gr.) eodem plane modo circumvagantur, & tributarii sunt Moscovitæ, cui singulis annis in singula capita, absque etiam exceptione infantum, qui arcus tractare didicerunt, duas pelles zabellinas solvere tenentur.

Tandem cum Hollandi ab his Barbaris, qui multo magis edocti tractare arcum, quam gnomonem nauticum, & multo aptiores erant rationem reddere de venatione sua, quam de navigatione, omnia, quæ poterant, cognovissent, se iterum ad naves suas receperunt. Sed cum inibi sonitu tubæ illis valedicerent, Barbaris tantum timorem incussere, ut fugam capere inciperent. tamen ubi revocati ab Hollandis, cognoscerent, quod nihil aliud sit, quam signum amicitiæ, & valedictionis, reversi sunt, & juxta littus stantes, capitiis detractis, manibusque in crucis figuram aptatis, se usque ad terram incurvarunt.

Primo Augusti rursus velificabant versus *Angulum Litis*, ubi in angulo Insulæ *Malsoniæ* stipitem satis altum inserto dolio erigebant, *Angulumque dolii* appellabant. Abhinc navigabant versus Orientem, & sic Freto Waigats perrupto, in Septentrionalem Tartariæ Oceanum fidenti animo perlati, nullam amplius glaciem animadverterunt. Hic Oceanus mari Hispanico tam quoad colorem, quam quoad longitudinem & latitudinem adeo similis erat, ut nemo dubitaret, quin verum in Indiam, & Chinam transitum præstare posset. Quatuor abhinc milliaribus occurrebat sinus quidam versus meridiem, ubi rursus ingentes ac stupendas glaciei massas, tanquam rupes, & insulas fluctuantes, fixas tamen & gelu multorum annorum spatio sic concretas, & incrustatas, ut in perpetuum non liquescere posse viderentur, summa cum admiratione observarunt. Regio ubique tanquam campus quidam viridis apparebat, montibusque quibusdam exiguis, & lacunis à liquefactis nivibus sustentatis abundabat.

Subsequente nocte primùm eis apparuit stella versus notolybicum, sed Luna, quamvis tunc plena, adhuc in abscondito hæsit. Nulla flumina, nulli portus, nullæ Insulæ inibi occurrebant, ubi anchora ejecta glaciei impetus vitare potuerint. Quare coacti vastum repetebant Oceanum, ubi postero die undæ tam claræ ac pellucidæ erant, ut fundum, ac in fundo, ubi septem vel octo orgyiarum profunditas erat, carabos repere ac incedere, perfecte cernerent. Atque sic navigabant usque ad meridianum tempus, ubi

ubi glacie rursus circumcincti nullam aperturam videbant, quam qua ingressi erant. Quare coacti regrediebantur, periculum facturi, an alibi commodior transitus pateret. Sic totum diem navigabant per nebulas adeo densas, ut in prora stans vix puppim cognoscere posset. Quin & glaciatis undique massis magis magisque circundati, quæ naves tanto impetu singulis momentis tundebant, ut omnia tremerent. Impetuosos enim earum assultus ob tenebras illas ingruentes declinare minime poterant. Quare velis complicatis consultius judicabant inter glaciem, & cum ea fluitare, & propelli, quam tanto periculo velificare. Tandem nebulis evanescentibus, undisque glacie adhuc circumcirca tectis, necessitate coacti Fretum Waigats, ubi glacies rarescere videbatur, repetiere.

In hoc tractu marino ingens iis in conspectum venit numerus vaccarum, canum, & equorum, vel potius elephantorum marinorum, quos Russi *Morsen*, alii item *Walruschen* appellant, quorum mentio supra incidit. Animalia sunt corporis figura leonibus, aut canibus marinis, quos *See-robben* Belgæ dicunt, haud absimiles. Corpus habent grandius, & vastius, quo tempore æstivo glaciei incumbentes, ut in sole apricentur, saccis lanam continentibus similitudine respondent, ita ut equos Frisios magnitudine antecellant. Ex superiori oris parte dentes duo longi dimidiam fere ulnam longitudine exæquantes, atque cum ebore maximam similitudinem habentes, propendent. Tanta velocitate natant, & adeo dura cute sunt prædita, ut fere impossibile sit & hastis, aut telis occidere.



Tertio die incidebant in Insulam quandam, quam Ordinum dixere. Hæc quatuor milliarium interstitio à Freto Waigats, & dimidii milliaris à continentis ora secedens, in longitudine unicum circiter milliare, & in circuitu duo fere comprehendit, ac facili negotio circumnavigari potest. Introitus Orientalis pergit versus argesten; dehinc incurvat se vastus canalis usque ad latus Occidentale, ubi versus Septentrionem, aquis accurrentibus ita inflatur, ut maris faciem nanciscatur. Qua continenti tractum suum maritimum objectat, diversis sinibus, & quidem quinque, vel sex, navibus stationem, fundo quatuor, aut quinque orgyiarum ad minimum, tutissimam offerentibus, intersecatur. Totum illud latus excelsis, præcipitibus, & instar cinerum coloratis cautibus, saxisque intus, & extra munitur. Solum vero per totam insulam scopulosum, & lapidosum, quibusdam tamen in locis argillosæ terræ commixtum, graminis exigua signa, & nulla animalium, nisi fringillarum, vestigia exhibet. In hac tamen, & Malsonii insula, inter scopulos, & ipsis scopulorum rimis, crystalli montanæ species quædam occurrebat, cum aliis lapillis, qui ad adamantes similitudine quam proxime accedunt, duritie excepta, quia fragiles; quod procul dubio frigori nimio in illis locis ascribendum.

Die quarto se recipiebant in terram firmam circa medium canalis sinu arenoso optimo præditam, ubi duo idola lignea invenerunt, cum cornibus rangiferorum circumjacentibus, quos inibi procul dubio immolaverant incolæ. Cæterum nullas casas, nec ullas silvas observarunt; præter ligna dissecta, & vestigia traharum, ita ut facile colligere poterant homines quosdam huc venire solitos quæsitum ligna ad excitandum focum. Glacies enim per mare fluctuans in

6.

in omnibus circumcirca littoribus tantam ligno-rum copiam congeſſerat, ut omnes mirarentur, ac non capere poſſent, unde tanta truncorum abundantia proceſſerat, cum nullæ arbores unquam apparuerant. Quin & pauca inibi animalia, præter anatum genus, anſeribus minoribus, *Rotganſen* dictis, haud abſimilium, quos ſæpiſſime in nidis ovorum excluſioni operam dantes deprehenderunt.

Quinto maſſam quandam glaciei denſitatis incredibilis viderunt. Nam quinque orgyias profunda ſub aquis fundo ſtabilis incumbebat, & adhuc duarum, & quod excurrit, orgyiarum altitudine ſupra aquam prominebat. Sed ſeptimo omnis glacies inibi ita evanuerat, ut nullum amplius obſtaculum timerent.

Nono rurſus velificando vaſtum intrabant Oceanum, ubi eis haud longe poſt iterum ingens fruſtorum glaciatorum tractus occurrebat, quem tamen facili negotio ſecantes, rurſus in apertum incidebant mare, quod fluctibus excelſis tumidum, ac adeo profundum, ut bolide explorare nequiverint, animum eis addidit, ſe brevi ad propoſitum ſuum perventuros.

Atque ſic die decimo appropinquabant fluvio Obii, qui originem ducit ex Lacu Kitay, & per oſtium ſuum, ſub elevatione poli 70 circiter graduum, in Tartaricum mare effunditur. Et hic 37, vel 38 milliaria à Freto Naſſavico aberant.

Tandem die undecimo ad quinquaginta milliaria in mare Tartaricum progreſſi, duorum adhuc oſtiorum, per quæ fluenta duo in Oceanum deferuntur, cognitionem nacti ſunt. Et hæc ſuarum navium nominibus notarunt, unum Oloris, alterum Mercurii appellantes. Cæterum profunditas hic tam exigua erat, ut fluvii illi navigantes non magis, quam fluvii Toxaræ, Colcovæ, Pitzanæ, & Pitzoræ, admittere viderentur.


Tandem cum omnia promontoria, & omnes tractus maritimos maximo labore viſitaverant, ac jam unanimiter crederent, quod per iſta loca tranſitus pateat ad Angulum & Promontorium Tabin, atque ſic conſequenter in Chinam ipſam, aliaque regna, velis ad Fretum Naſſavicum retortis reditum in patriam parabant, Ordinibus Generalibus geſtorum ſuorum narrationem expoſituri, ut ſequenti æſtate, addito majori navium numero, hanc navigationem reiterare poſſent. Atque ſic ad 17 circiter milliaria regreſſi elevationem poli 71 graduum, & 10 minutorum invenere.

Die duodecimo circa veſperam iterum viderunt terram, ut & maſſas quaſdam glaciatas in Oceano fluctuantes, cum magna copia balænarum, quæ ſeſe multoties dimidio corpore ex undis erigentes, aquam ſolito more per nares efflabant. Nocte ſequenti Lunam, & aliquot ſtellas lucentes iterum obſervarunt, quæ ab Inſulis Loffoet diſcedentibus nunquam apparuerant.

Decimo tertio ſe rurſus in illo tractu, ubi glacies eos horrendis inſultibus vexaverat, ac jam penitus evanuerat, quod tamen impoſſibile videbatur, verſari cernebant.

Decimo quarto prætemavigabant ultimum Freti Naſſavici Angulum, deinde Angulum Litis, & Angulum Crucis, ubi anchoram ejiciebant, ſed ea paulo poſt iterum extracta verſus Inſulam Idolorum tendebant, ibique naves rurſus ſiſtebant.

Decimo quinto curſum dirigebant ex Freto Naſſavico verſus Inſulam Colgojam, ubi ad 11, vel 12 milliaria à freto Naſſavico, prope tres Inſulas minores, Mauritii, Vraniæ, & Novæ Walchriæ dictas, naves ſocias, cum Barentſonio, à Polo arctico deſcendentes, obvias habuerunt.



Decimo ſeptimo conjunctim velificabant verſus Inſulam Mauritii, in cujus extremitate plurimæ occurrebant Cruces Ruſſicis characteribus conſpicuæ, quarum una tanto artificio confecta erat, ut inter opera artificum ingenioſiſſima locum mereretur. Inſulæ hujus forma & figura in aſpectum cadens cum terra ad Fretum Naſſavicum boreali haud magnam diſſimilitudinem habet. Littus paſſim cinerei & ſubalbidi coloris ſcopulis, & cautibus inæquale, plurimis ubique ſilicibus eundem colorem habentibus conſtratum eſt. Solum argilla tenaci, & dura tectum, ſtagnis, & paludoſis locis adeo refertum eſt, ut vix lapidis jactum quis progredi poſſit, quin cœnoſum & ſtagnantem ejuſmodi locum offendat. Iuxta has paludum collectiones terra gramine longo, taraxaci floſculis, trifolio, & aliis ejuſmodi floribus, & herbis exornatur. Cautibus perfractis ſinuoſos anfractus mare littori inſinuat, ubi 8, 7, 6, 5, 3, & duarum orgyiarum profunditas, ſatis tutam navibus ſtationem præſtare videtur, præſertim cum paucis admodum rupibus parvum hoc mare obnoxium ſit. Ab Oriente uſque ad Occidentem inſulæ longitudo per dimidium fere milliare ſe extendit, latitudo autem vix tanta eſt, ut minorum machi-

narum



narum campeſtrium ictui reſpondeat. Media ejus pars in anguſtiam contracta duarum inſularum diſtinctarum ſpeciem induit. Iunguntur autem portiones illæ duæ ſcopuloſis lineis paludem parvam includentibus. Littus etiam lignis, & arborum truncis, quorum unus ultra ſexaginta pedes longus, & ultra tres pedes denſus, imo ſtruibus in quibuſdam locis ad miraculum ingentibus operiebatur. Paludes denique latibula erant olorum, anatum montanarum, anſerum minorum, & aliarum avium, quæ hanc inſulam incolunt. Falcones hic etiam magno numero nidos ſuos ſcopulis affigunt; ex quibus Hollandi duos falcones exemptos ſecum in Hollandiam vivos detulerunt, atque unum Principi Mauritio tradiderunt.

Quemadmodum jam Hollandi his tribus Inſulis ſua propria indiderunt nomina; ſic quoque diſtrictum illum à Freto Naſſavico uſque ad fluvium Obii Novam Hollandiam, & Inſulam quandam trans Sinum ſitam, Novam Friſiam Occidentalem, imo ipſam Inſulam Vadigati, Inſulam Enchuſanam, dixerunt. Quin & promontoriis, angulis, finibus, & aliis ejuſmodi ſuas impoſuerunt appellationes.

Die decimo octavo, cum jam decem milliaria ab Inſula Mauritii diſceſſerant, elevationem poli agnoſcebant 69 gr. 34 ſcr. A Freto Naſſavico hucuſque fundus erat æqualis, & profunditas 18, 17, 16, 15, multoties tamen 12, 11, 10, & 9 orgyiarum.

Die vigeſimo, prope Candenuſiam decenti profunditate deſtituti vix progredi poterant. Idcirco navigatio à Freto Naſſavico Kildunum uſque multo ſecurior eſt, cum naves dirigantur verſus borrhopelioten, & meſaquilonem. Tandem tamen Kiiduno ſuperato verſus Caput boreale, vulgo *Nord-caap*, ſexaginta milliaria Candenuſia diſtans, ventis ſecundis navigabant.

Vigeſimo quarto, adibant Wardehuſiam, ubi in octo naves Danicas aſellis piſcibus onuſtas inciderunt. Incolæ iis referebant, quod Oceanus iſte nullam prorſus contraheret glaciem, licet ſub eadem poli elevatione cum Freto Waigats ſit conſtitutus.

Vigeſimo ſexto & ſeptimo, fluvio Tanabey, & Nordkien præternavigato, recta verſus dictum Caput boreale tendebant, ubi in illo mari nulla unquam glacies invenitur, cum tamen uno & dimidio gradu propius vergat verſus Septentrionem, quam Fretum Waigats.

Vigeſimo octavo, accedebant ad angulum quendam Inſulæ *Stappenæ*, novem aut decem milliaria à Capite boreali diſtantis; dehinc ad Inſulam *Surroiam*.

Trigeſimo primo, in conſpectum veniebat Inſula *Trompſont*: & primo Septembris Inſulæ *Wero*, & *Ruſt*; ſecundo, Inſula *Sancta*, vulgo *das Heilig-land*; & tertio, Inſulæ *Grip*, *Fayerhil*, *Hitland*, & denique *Berga* Norvagiæ.

Decimo quarto, Navibus jam ſeparatis, *Cornelius Nai* verſus Selandiam tendebat, & alteri verſus Texeliam, ubi 16 kal. Septembris incolumes appulerunt, poſtquam trium menſium, & decem dierum intervallum huic periculoſæ navigationi impendiſſent.

Atque ſic Argonautæ noſtri in patriam reverſi negotiorum geſtorum narrationem Ordinibus expoſuerunt, qui extemplo novam navium claſſem, quæ tamen haud feliciores ſucceſſus habuit, quam prima, adornari mandarunt. Harum binæ Amſtelodami, binæ in Selandia, totidem Enchu-

Enchusæ, & una in portu Roterodamensi apparabantur, ac omni commeatu providebantur. Sex omnis generis mercibus, & pecunia oneratæ, freto Nassavico permeato, in Cathajam, Chinam, & Indiam Orientalem vela facere debebant: septima celox adjuncta in mandatis habebat, ut, cum cæteræ Fretum Nassavium tranassent, ipsa in patriam rediens annunciaret, quando, & quomodo meatum illum transmisissent. Classis hujus præfectus erat Cornelius Cornelii Nai, in Nave Selandensi prætoria, cui Gryps nomen; subpræfectus vero Brandus Tetgales, in nave Enchusana, cui nomen Spes erat; & rector Navis Amstelodamensis, cui signum & nomen Canis Venatorius, Guilielmus Barentson; Liburnicæ vero Selandicæ Lambert Gerritsen Oom; Enchusanæ item Thomas Guilhelmi; Amstelodamensis Herman Ianssonius; & Roterodamensis Henricus Hartman. Inspectio, & cura summa harum navium ab Ordinibus demandata erat Iohanni Hugoni à Linschoten, & Francisco Dalio. Commissarii munus obibant prædictus Linschotanus, Iacobus Heemskerkius, Iohannes Cornelius Rypius, Franciscus Dalius, & N. Buisius. Interpretis officio iterum fungebatur supranominatus Magister Christophorus Spindlerus.

Hæ naves sic adornatæ, & instructæ, sed nimis sero, nempe secundo demum Iulii, anno 1595, ex Insula Texelia solvere jussæ, expansis extemplo velis iter susceperunt, & 23 mensis ejusdem ad Insulam Loffoet appulerunt.

Secundo, & tertio Augusti, magno cum periculo ob rupes latitantes, præternavigabant Insulam Trompsont, quadraginta circiter milliaria à Promontorio, Nortcaap dicto, jacentem.

Quarto, velificabant ex opposito Insulæ Stappenæ quatuor aut quinque milliaria, quatuordecim aut quindecim à Nortcaap sitæ, ubi postero die applicuerunt. Solem hic versus mesocircium occidere, sed hora circiter unica elapsa rursus oriri videbant.

Duodecimo, in conspectum venit Insula *Kegor*, alias Piscatoria dicta.

Decimo septimo, ubi sub elevatione poli gr. 70, & 30 minut. versabantur, occurrit iis circa Meridiem ingens glaciei tractus sibi invicem cohærens. Et hanc glaciem præternavigando diem totum cum nocte sequenti insumebant.

Decimo octavo, in apertum delati Oceanum nullam amplius glaciem animadverterunt, quapropter gaudio perciti labores duplicarunt. Sed breve hoc gaudium erat; à Meridie enim glacies ipsis iterum tantum negotii facessit, & massæ quædam ingentis crassitiei occursantes tantum molestiarum exhibent, ut parum abfuerit, quin navibus suis orbati glaciali elemento sepelirentur. Tamen divinitus adjuti rursus in apertum incidunt mare, ita ut absque ullo impedimento die 19 adirent Fretum Nassavium, cujus transitum frustis glacialibus plane obstructum inveniunt. Deduxerat illa ex mari Tartarico in angustias Freti aquæ decursus, quem ventus Orientalis per Orientale ostium propulerat, ut ex illo mari in Septentrionalem Oceanum properans, tantam glaciei copiam secum raptaverit. Tamen reiteratis ac duplicatis laboribus perrumpentes, tandem ad Insulam Idolorum accedunt, ubi anchora ejecta de transitu consilium ineunt. Sed glacie magis magisque occursante, eosque trudente, rursus velificant, & lateri Sinus Septentrionali appropinquantes, tutiorem quærunt recessum.

Vigesimo Augusti socii quidam navales terram petentes, se in Occidentale Insulæ latus recipiebant, ubi omnia glacie ac nive tecta & obstructa inveniunt. Insimul & naviculam inibi Russicam piscatoriam viderunt, quæ explosione tormentorum territa, omnibus reticulis, ac impedimentis relictis, in fugam se receperat.

Postero die quinquaginta socii armis instructi rursus terram petebant, ut eam optime lustrarent; & septem, aut octo milliaria progressi nihil aliud inveniebant, quam saccos quosdam lardo balænarum impletos, & trahas aliquot pellibus onustas, cum hominum, puerorum, & rangiferorum circumcirca vestigiis. Atque sic valde fatigati ad naves suas tandem revertebantur.

Interim liburnica, quam illo ipso die miserant visitatum freti hujus transitum, impedita à glacie, non poterat præternavigare Angulum Crucis, ita ut quidam terra se reciperent ad Angulum Litis, ubi omnia adhuc congelata erant, quousque visu penetrare licebat.

Vigesimo secundo, ventus quidam Occidentalis multum negotii creabat liburnicæ cuidam versus Insulam Idolorum prægressæ, detrudendo in eam impetu horribili massam glaciei stupendam, ita ut socii navales coacti essent, liburnica sua ex aquis in littus educta, & relicta, naves terra repetere.

Vigesimo quarto, glacie aliquantisper dissipata, aliam emittebant liburnicam, quæ navigium quoddam Russicum offendit, cujus socii navales hordeum coquebant, & equum marinum pelle spoliabant. Ex his intellexerunt, quod essent Pennegini, coacti à glacie totam æstatem in hisce tractibus degere; quod inibi vehemens, ac valde longa fuerit hiems; quod glacies tamen brevi sit evanitura, & æstas adhuc decem septimanas duratura. His addiderunt, quod terra illa, in latere Septentrionali hujus Freti sita, Insula sit, Waigats dicta, ac versus Septentrionem à Nova Zembla separata, quod hanc nulli plane homines frequentent, nisi tempore æstivo, &, hoc elapso, se rursus reciperent versus Meridiem terræ continentis, cum illa optimis saltibus sit repleta. Porro dicebant, quod Samojetæ omnia idola in hisce regionibus occurrentia adorarent, singulisque annis victimis placarent; imo quod cataplus quidam Russicus, panno, aliisque mercibus onustus per Fretum hoc Nassavicum quotannis navigaret ad fluvium Gilissi, ubi hibernum tempus transigeret.

Vigesimo quinto, omnes naves Fretum Nassavicum intrantes, nullam amplius glaciem in ostio offendebant, sed versus medietatem progressi, fauces glacie adeo obstructas viderunt, ut coacti essent retrogredi versus Angulum Crucis, & Litis, imo postero die, ubi glacies impetu incredibili occursabat, versus priorem suam juxta ostium Orientale stationem.

Vige-

Vigeſimo ſeptimo, glacie, vento, & undis horrendum in modum vexabantur; & vigeſimo octavo aquæ fluxus à vento ſumma violentia protruſus glaciem tanta vehementia ſecum abripiebat, ut celerrimo curſu à fluctibus glacialibus inſequentibus naves fugientes undique cingerentur, & pedibus ſiccis ex una maſſa in alteram ire liceret. Glaciem enim ex freto in Borealem Oceanum erumpentem auſter ſumma vi ad littus Septentrionale repellebat.

Trigeſimo primo, omnem glaciem aquilo ad littus oſtii occidui auſtrale transvexerat, ita ut Oceanus iterum navigationi pateret. Idcirco rurſus duas liburnicas viſitatum freti tranſitum ablegant, quarum una circa veſperam magno cum labore per maſſas glaciei erumpens revertebatur, referens, quod fretum interius aquæ frigoris violentia concretæ fruſtis infinitis obturatum, imo tantis maſſis & montibus glaciatis ubique obſtipatum ſit, ut nuſquam tranſitus pateret. Altera, quam præcedenti die emiſerant, terram alio loco adiit, ubi magnam hominum multitudinem invenit, qui Interpretem ad ſe miſſum quam humaniſſime receperunt. Brevi poſt omnis turba nautica ſe quoque ad hos Barbaros recepit, quorum Rex, vel Princeps tunc præſens, eos tam honorifice ſalutavit, ut hi benevolentia hominis permoti, illi exhibuerint panem, caſeum, & vinum, quod, tanquam rarum quid, ſumma gratiarum actione accepit, ac Hollandis, loco retributionis, dono dedit aliquot tela, dentes lupinos, aliaſque ejuſmodi res exigui valoris. imo rogavit eos, ut ſecum venirent in pagum ſuum, ad commutandas merces. Inter cætera Rex dicebat, quod intra tres, vel quatuor ſeptimanas gelu rediret; quod annis certis glacies non evaneſceret; & quod tempore hiemis tranſitus pateat per glaciem ab uno Oceano ad alterum. Poſtmodum addebat quoque, quod ſit Chriſtianus cum omnibus ſuis ſubditis, quos communiter Samojedas dicerent; & quod tractus ille, ex oppoſito ſtationis navium Hollandicarum ſitus, ſit Inſula Waigats, unde eum populus Novæ Zemblæ deturbaſſet. Tandem hæc quoque adjunxit, quod ex hoc loco navigari poſſit in parvum quoddam mare, quinque dierum iter longum, & ex illo per Fretum quoddam in aliud vaſtum, & magnum mare.

Primo Septembris tempeſtas multo calidior erat, quam hactenus ſolebat, ita ut certiſſime ſperarent glaciem penitus evanituram. Interea temporis Franciſcus Dalius, linguæ Ruſſicæ valde gnarus, ſe cum Interprete receperat in terram, ubi obvios habuit quoſdam Samojedas. Hi trahis ſuis, quibus ſingulis quatuor rangiferi juncti, celerrime advolantes, promte deſilire, & genti illi capitiis detractis honorem exhibere. Et rogati, ut una navim adirent, illud haud gravate fecerunt. In via Rex eorum, quinquageſimum agens annum (cujus filii duo, quoque præſentes, arcus habebant, & pharetras ſagittis refertas, quæ ornatu & elegantia ſua cæterorum armis ſimilibus antecellebant) inter alia narrabat, omnes, qui una erant, unius ejuſdemque progeniei, ac inter ſe ſanguinis vinculo conjunctos eſſe; cunctos item incolas, qui regionem Waigats, ſive Novam Zemblam, & continentem, à fluvio Pitzora uſque ad fluvium Obii inhabitarent, ſuo imperio parere: ſe cum ſuis, quos penes ſe habebat, modo ex regione Waigats, & nova Zembla, ubi totum tempus æſtivum commorando tranſiiſſent, ſine magno fructu reverſum eſſe; & propediem ſibi ob ingruentem hiberni temporis inclementiam verſus Pitſoram commigrandum. Porro dicebat, quod non ſit Chriſtianus, ſed Ethnicus, Idolis ſacrificans, & ſolem adorans, juranſque per ejus nomen; quod ultra Obii fluvii oſtium duorum aliorum fluentorum oſtia reperiantur; horum propiori *Giliſſi* nomen eſſe, ac à Ruſſicis navibus negotiationis gratia plurimum illud frequentari; alterum paulo ulterius progreſſum, & *Molcanſay* appellatum, Magni Moſcorum Ducis imperio finem imponere. Narrando pergens ajebat, quod ex oppoſito illius loci, ubi tunc erant, ſitus ſit Angulus extremus Novæ Zemblæ, quo ſuperato navigare liceret in vaſtum mare, quod verſus Orientem Tartariam attingeret. Et ex hac relatione cognoſcebat Franciſcus Dalius, quod Interpres narrationem præcedentis diei non ſatis eſſet aſſequutus.

Die ſecundo, ſecunda vice fretum intrantes navigabant uſque ad Angulum Crucis, & ab hoc, die tertio, in mare Tartaricum, ubi tantas conglaciatorum collium catervas obvias habebant, ut à tranſitu penitus excluſi ad Ordinum Inſulam reverti cogerentur; id quod miraculoſo fere niſu, & maximo tentabant periculo.

Poſtera die glacies magis magiſque cumulata magnum eis injecit timorem, ita ut die quinto Septembris, ubi conglaciatarum maſſarum in acervos innumerabiles conglomeratarum multitudine à tranſitu fere excludebantur, turba nautica, moleſtiarum, & periculorum, quæ à glacie ingruente ſingulis diebus cervicibus imminebant, pertæſa, animo immorigero ulterius hic præſtolari detrectaret. Interim inſulam petentes, quærendo ſupra dictam cryſtallum montanam, & venando lepores, quibus inſula abundabat, tædium aliquatenus excutere annitebantur; ubi omnes circumcirca tractus glacie obrutos cernebant.

Sexto Septembris, urſus quidam albus bovem magnitudine exæquans, duos ſocios navales à cæteris ſeparatos ex improviſo invadens, uni dentibus ſinciput dilaniabat, ita ut alter extemplo fugam capiens, hoc infortunium cæteris indicaverit. Hi viginti numero, ſariſſis, & tubis tormentariis armati, ſtatim accurrebant. Sed urſus, occiſo ſocio relicto, eos furioſo aſſultu invadens adhuc unum arripiebat, & miſerabili modo dilaniabat. Tandem tamen monſtrum illud horrendum, quod tam multis cordibus timorem incuſſerat, occidebant, & occiſos ſocios ſuos in inſula tumulo mandabant.

Poſt hanc pugnam, cum omnis ſpes evanuiſſet, itineriſque illius ex voto conficiendi facultas nulla amplius reſtaret, à propoſito ſuo, tanquam re hac vice prorſus impoſſibili, animum avocantes, nautæ 17 Kal. Octobris per fauces Naſſavicas claſſem reductam ventis in patriam propellendam permiſere, ubi poſt ſpacium qua-

tuor

tuor mensium, & septem dierum hac periculosissima navigatione contritum, 6 Kal. Octobris Texeliam applicuerunt.

Cataplo igitur hoc re infecta domum redeunte, spes illa de transitu in Indiam Orientalem per Oceanum glacialem inveniendo concepta prorsus evanuit. Ordines enim Generales negotio accurata mentis lance examinato, conatu ejusmodi supersedere existimarunt, permissa tamen unicuique subditorum navigationis hujus propriis sumtibus tentandæ immunitate, addita insuper præmii admodum luculenti pollicitatione, quo remunerandus esset is, qui tantæ rei tentamine facto, voti compos futurus esset. Atque sic, annis aliquot elapsis, Societas Septentrionalis tertio conatu rem experiri volens, navem illam, quam *Felem inauratam* vocabant, adornarunt, ac curæ *Cornelii Teunissen Bosmanni* commiserunt, qui 24 Iunii, anno 1625, ex insula Texelia solvit.

Vigesimo quarto Iulii, Kolgoja prætErnavigata, recta versus Novam Zemblam tendere decreverunt. Vigesimo octavo, terram, & quasdam glaciei massas natantes, observarunt. Tertio Augusti recta navigabant ad sinum quendam glacie refertum, & sub 70 gr. & 50 min. el. pol. jacentem; ubi duodecim, vel tredecim Insulas offenderunt.

Septimo, glacie terram versus minuata, glaciatum quendam tractum perforantes, & in apertam incidentes aquam, juxta littus navigabant, donec tandem glaciatis acervis circumcingerentur, ita ut procul dubio navis contra rupes illisa perditum isset, nisi ventus quidam inopinatus ex tanto periculo eos liberasset.

Nono, glaciatis fluctibus superatis, appropinquabant Insulæ Walachriæ. Decimo, in conspectum subibat Insula Mauritii, ubi adminiculo perspicillii duas, vel tres Cruces in Angulo quodam stantes observabant. Haud multo post ex improviso accedebant ad *Angulum Moucheronis*, haud longe dissitum à Freto Nassavico, quod vento favorabili intrantes, brevi temporis spatio perveniebant ad Angulum Crucis, ubi undecimo Augusti anchoram ejicientes, profunditatem quinque vel sex orgyiarum invenere. Hic notandum est, quod profunditas juxta littus inter Angulum Crucis, & Angulum Idolorum multis impedimentis obnoxia sit; quare tutius est semper in medio freti velificare. Terra hic abundat soricibus absque caudis, gliribus non absimilibus.

Duodecimo Augusti, glacie non amplius visa, vela faciebant summo gaudio versus Angulum Litis. Sed hac præternavigata, à glacie rursus occursante, coacti fuerunt prope Insulam Ordinum, anchora in mare demissa, præstolari. Hic terram conscensi feras quasdam, & flosculos varii coloris invenerunt.

Decimo septimo, rursus vela expandentes, huc illuc miro tentamine navigabant quæsitum transitum quendam. Sed omnis labor incassum ibat. Glacies enim in mari Tartarico non catervatim, ut in Freto, sed longis tractibus invicem annexis, & congelatis natare solebat, ita ut plane impossibile videretur eam perforare. Quare, opportunitate temporis nondum elapsa, fretum repetere, ibique glaciei abitum præstolari visum. Atque sic decimo octavo, magnis laboribus Fretum intrantes, anchoram juxta Angulum Litis ejecerant. Sed glacies eos hinc rursus discedere, & juxta Angulum Crucis se sistere coëgit.

Vigesimo primo, iterum ingentem glaciei tractum occursantem habuerunt, ubi prora, duabus, vel tribus massis, quas tamen stipitibus & paxillis declinabant, quasi obsidebatur.

Vigesimo secundo, navigium Russicum offendentes, in ea erant opinione, illud esse unum ex numero eorum, quæ negotiationis gratia quotannis ex Russia in fluvium Gilissi proficisci solerent. Sed appropinquantes intellexere, quod non nisi piscatores essent, qui eos certiores reddiderunt, quod nihil scirent de ejusmodi navigiis Russicis ad fluvium Gilissi navigantibus. Quin & addidere, quod transitum hunc tria navigia ante aliquot annos tentarint, sed absque ullo fructu. Duo enim naufragium passa, & tertium non nisi maximo cum labore & periculo, anno sequenti demum in patriam reversum.

Vigesimo tertio, scapham versus Angulum Litis ablegabant, visitatum an glacies inibi imminuta esset. Sed hæc rediens nihil aliud retulit, quam quod omnia undique loca adhuc glacie referta essent. Postero die Navarchus ipse cum Piscatoribus jam dictis loquebatur, qui dicebant, fretum hoc singulis annis non patere, sed tantum secundo vel tertio semel; quod Tartaricum mare nunquam apertum cerneretur; & quod sibi de illis navigiis, quæ fretum hoc transirent, nihil constaret. Quin & addebant, Hyemem post duas, vel tres septimanas reversuram.

Die 25, tempestate horrendum in modum exorta, & funibus ruptis inviti ex Freto pellebantur; ita ut eos glacies, hujus Oceani frequens incola, de proposito desistere, & ad lares domesticos remeare jusserit. Vela igitur ad solum patrium convertentes, in Hollandiam 15 Septembris salvi, & incolumes pervenere.

YSLANDIA.

Situs.



INsula Yslandia vasto Septentrionis Oceano circumfunditur. Latitudo ejus Cosmographica ad Boream, Holis nempe (quæ sedes est Episcopalis, Borealis Yslandiæ) gr. 65.44. Longitudo vero g. 355.

Nomen.

Ea vero cum adhuc ad annum 874 inculta esset, varias à variis inventoribus appellationes sortita est: quarum tres commemorantur. Etenim Naddocus quidam Pirata Insulas Farenses versus contendens, ad litora Orientalis Yslandiæ tempestate delatus, & altiora montium cacumina nivibus largioribus, obducta contemplatus, è re nata *Snælandiæ* nomen regioni indidit. Hunc secutus alter Gardarus natione Suecus, fama Snælandiæ impulsus, eam quæsitum abiit & reperit; cum autem illic hybernasset, ineunte vere domum revertens ex suo nomine *Gardarsholmiam*, seu *Gardari insulam* appellavit. Quin & plures regionem hanc invisendi incessit libido. Nam & tertius Floco famosissimus pirata, ex Norvegia solvens perque Hiatlandiam transiens, eo appulit. Nondum erat tunc pyxidis nauticæ ullus usus. Itaque Floco Hiatlandia solvens corvos aliquos secum sumpsit, & cum iter jam magnum sibi confecisse videretur, corvum unum dimisit, qui in sublime evolans conspectam retro Hiatlandiam repetiit. Vnde colligens Floco se Hiatlandiæ quam cæteris terris viciniorem, strenue pergebat, & post ali quot tempus alterum corvum emisit, qui specta nullibi terra in navem recidit. D vero tertius emissus, subtilis visus acu landiam assecutus, faustum Floconi iti cem se præbuit. Cum vero Floco in por *fiordur* hyberna transegisset, & vern pus frigore intemperatissimum nactus borealem glacie marina repleri conspi set, tertium nomen terræ dedit, & *Ysland.* est, *Glacialem* nominavit. Quod aliqui h terum *Thulen* fuisse velint, toto errare xerim, cum *Thule* ultima Brittanicarun rum (ut Plinius ait,) & jam Virgilio not qui Augusto servituram vovit: *Tibi servi Thule,* eodem modo *ultimam* nominans, *tus toto divisos orbe Britannos* dixit. Non landia ulli mortalium ante annum 874, mus, habitata fuit.

Snælandia. — *Gardarsholm.* — *Corvi pro pyxida nautica usitati.* — *Yslandia.*

Divisio.

Longitudinis latitudinisve insulæ nor ta ratio dari potest, nisi quod in antiqu illa 20 dierum iter, hæc quatuor dier cere dicatur. A quatuor mundi cardi landia in quatuor partes divisa est, A Borealem, Orientalem & Occidental realem quidem partem ab Orientali p rium *Langanes*, ab Occidentali sinus *R* ab Australi tesquorum vasta deserta

Hyparctica.

longitudinem Insulæ porrecta discriminant. Australem vero Yslandiam Boreali tesquorum istorum interjectu oppositam, ab Orientali fluvius *Ioculsa*, in desertis *Solscimasande* decurrens; ab Occidentali etiam notabilis fluvius Albis nomen sortitus, & in sinum Borgarfiord sese exonerans, dividit: Adeo ut si libéret insulam humana specie repræsentare, Orientalis Yslandia capitis rationem obtineret: Promontoria duo insigniora *Langanes* & *Reybianes* seu termini, ille Borealis, hic Austrinus, (ut dictum,) Brachiorum vicem gererent: Deserta vero secundum longitudinem insulæ porrecta dorsum vel spinam constituerent; Tum Borealis & Meridionalis Yslandia scapulas cum lateribus, quæ in ipsis hypochondriis, sinus duo oppositi, *Borgarfiord* & *Rutafiordur*, à coxendice utrimque dirimerent: hic à Meridie, ille à Borea; Occidentalis vero Yslandia reliquam inde ab hypochondriis corporis humani partem referret: Quam sinus *Breidefiordur* ab Occidente ingrediens, in dextrum & sinistrum pedem distringeret. De Insulæ ambitu nihil certi constat: vetus tamen opinio est 144 mill. Norvegica, id est 288 mil. Germanica ambitum Insulæ efficere, ab uno promontorio ad aliud leg[illegible] per sinus, quos Borealis [illegible]lis 21. Australis 6. Occi[illegible]tur.

Sinus.

P[illegible]s fuit. Hic, Or[illegible] Norvegia g[illegible]endæ [illegible]So-

Incolæ primi.

[illegible] se

SEPTENTRIO

MARIS SEPTENTRIONALIS PARS

Grims ey

WEST LENDINGA FIORDUNG

NORD LENDINGA FIORDUNG

AUST LENDINGA FIORDUNG

SUD LENDUNGA FIODUNG

Circulus Arcticus

OCCIDENS

ORIENS

I. Gouberman

Annuder fiord

Arunas fiord

Patrix fiord

Steingrims fiord

Gilss fiord

Borger fiord

Snebels hokel

Hane fiord

Skalholt Episcopalis sedes et schola

Hekla

Sandt hokell

Getkans hokell

Ball hokell

Gunolps pial

Hopna fiord

Papey

Horna fiord

Porlarks hafen

Westmanna vel Pystlia eyar

Hekla prom.

OCEANUS DEUCALEDONIUS

Milliaria Germanica communia

2 4 6 8 10 12 14

Milliaria Gallica communia

2 4 6 8 10 12 14 16 18

MERIDIES

continebat, nec fraternis injustis turbis se immiscebat. Hujus arbitrio res tota decidenda committitur. Is igitur jure Herstenum cæsum pronunciat; non item Holmstenum utpote justa vindicta accensum. Ob ejus cædem ambos provincia Fyrdafylcensi exulare jussit. Parent alacres; non Halsteni tantum caussa, quicum per eam transactionem in gratiam redierant, sed insupportabili Haraldi Pulchricomi Norvegiæ regis tyrannide compulsi, qui in omnium civium bona grassabatur.

Annus erat Christi 870, quo Ingulfus cum Hiorleifo Yslandiam primum invisunt, sed eam non mox, verum exacto quadriennio, anno, ut dictum, 874, incolunt, numerosas adducentes familias. Vbi in conspectum Insulæ venere, Ingulfus postes ædium in mare abjicit, more gentis, ibi sedibus lecturus locum, quo isti appulissent. Hiorleifus ubi appulit, ab illa superstitione magis alienus, statim in promontorio Hiorleifshofda habitationem condidit. Hic primo anno agros colere, sementem facere occepit. In quo cum servos exerceret, ex insidiis ab iis interemptus est; Ingulfus omnium nece Hiorleifo parentavit. Erat Yslandia densissimis tunc sylvis, & vix nisi betulis feracibus, operta, ita ut ad itinera sylvas passim securi aperire necessum fuerit. Interim tamen ex signis quibusdam colligere erat, nautas nescio quos quædam terræ litora aliquando attigisse, non incoluisse. Inveniebantur nolæ, cruces aliaque, sive à prioribus quos diximus piratis relicta, seu ab aliis, qui tempestate vel alio casu eo pervenerant: at domuum vel habitationum vel culturæ vestigia nulla: Ingulfi porro vestigia plurimi Norvegorum audacter secuti, cum conjugibus & liberis, magnisque cognatorum & affinium agminibus in Yslandiam concedentes, in libertatem sese vendicabant.

Lingua & mores gentis.

De Lingua Yslandorum res ipsa loquitur, esse Norvegicam; veterem, inquam, illam & genuinam; ex veteri Gothicaque, integra soli nunc utuntur. In habitationibus primam & antiquissimam habitandi rationem secuti sunt Yslandi, & quod de sui temporis Germanis Tacitus ait, *colebant discreti, ut campus, ut fons, ut nemus, ut collis aut vallis, littus vel sinus maris placuit.* Cæmentorum tegularumve nullus usus; sed domus ligno & cespite construebantur, opere quidem nec momentaneo, nec in speciem deformi; parietes aliàs solo cespite, aliàs rudi saxo, cespite pro cæmento adhibito fiebant: quos postea interius opere coaflato, ut & contignationem ipsam, convestiebant; præcipue in notabilioribus ædificiis. Atque sic tectum cum parietibus ante maturum senium, gramine viridi exterius quotannis enascente ex vivo cespite, conspiciendum erat. Ligna incolis suppetebant ad littus maris undarum alluvione ejecta; mirando procurationis divinæ testimonio; cum sylvæ domesticæ, betulæ tantum feraces, vastis ædificiis non sufficerent. Villarum itaque domus in suo fundo quilibet contiguas fere habebat, præter armentorum stabula aliquanto intervallo ab ipsis penatibus plerumque sita; item ignaria quædam non prorsus contigua, ad ignis vitandum periculum. Erant autem domus satis amplæ, aliquæ CXXVI pedum longitudine, quædam CXXXV, sicut & Ingulfi ædes erant; quædam quoque CXX pedum long. & LX latitudine. Quædam etiam, quarum laquearia contignatio, & parietum investituræ ligneæ arte sculptæ, vetustas rerum gestarum historias retulerint.

Habitationes itaque suas in hunc modum extructas, spaciis quibusdam campi fertilioribus ad culturam destinatis includebant: quæ spacia deinde aggere congesto ad armenta arcenda, indefesso labore cingebant. Pascua adhæc satis vasta cuilibet fundo assignata sunt, certis limitibus seu clausuris alia ab aliis distincta. Fundus autem seu habitatio quælibet à primis conditoribus nomen plerumque accepit, interdum etiam aliunde: sic montes, flumina, suis nominibus quoque ad æternam memoriam sui insigniebant. Focos alebant alii sylvis domesticis, alii cespite bituminoso, cujus duo genera: unum molle & fungosum ex ipsius terræ superficie conscissum; aliud densius graviusque ex terra alte defossa erutum. Ab ædificiis ad agri terræque culturam ac victualia procedo, quæ primis incolis aliqua ex parte bene successit: Nunc vero, solo ac cœlo à prima illa bonitate post tot sæcula minus voto respondentibus, omissa est. Fortasse etiam agricolarum cura magis solers in caussa est, postquam frumentum adventitium magis in usu esse cœpit. Et quia agricultura illa ad fruges & farra initio aut non omnibus usitata, aut minus frugifera visa est, mox peculiaris agri colendi ratio inventa est, qua campos seu spacia illa (quæ ipsos includere dixi) fimo stercorabant, præsertim bubulo, ad fœni præstantissimi sectionem; quo armenta ac imprimis vaccas uberioris lactis gratia commodissime pascerentur. Hæc agricultura etiamnum retinetur, & sola fere colonos mediterraneos exercet, cum maritimi ex piscatione magis vivant. Victum præterea oves, boves, sues, hœdi, aves cicures, & feræ montivagæ, & aves sylvestres abunde suppeditant. Potus est serum lactis expressum, cujus hic tanto melioris copia, quanto lac præstantius; adeo ut decunx aquæ cum uncia seri mistus, saporem seri non obtundat. Polentam etiam coquebant favo mellis, aut aqua mulsa, interdum adhibitis; interdum etiam liquore ex baccis quibusdam hic nascentibus expresso. Sed & cereales liquores ab exteris importabant veteres Yslandi, ut & farra & res alias; siquidem propriis navibus instructi Daniam, Sueciam, Scotiam, Saxoniam, Angliam & Hiberniam pro lubitu quotannis invisebant. Luxus tamen nullus, sed omnium moderatus usus apud illos invalescebat. Nihilominus tamen honestis conviviis & consessibus minime carebant, & quidem non sordidis; sive convivarum numerum, sive exhibitorum conviviorum tempus spectemus. Etenim Theodorus & Thorvaldus fratres Borealis Yslandiæ cives in Hialltedall, patri suo Hialtæ justa solventes, convivium 1200 capitum exhibuerunt dies integros XIV, potioribus & primoribus viris non sine muneribus dimissis. In vestibus modici sunt, quas ex commutatione mercium acquirunt ab exteris. Pecunia signata olim

usi non

usi non sunt, sed argentum statera appensum fuit; mercium autem commutatio frequens. Adhæc annuli aurei & armillæ; in mnemosynis utrunque frequens. Exercitia publica erant palæstra & ἱπποµαχία, quibus juvenes luctando currendoque se exercebant. Pilæ & jaculi usus apud eos frequens erat: illa non scortea nec lana vel flocca infarta, sed tota lignea, lusoribus non satis attentis vel exercitatis magna aliquando damna, imo & mortem adferebat, ubi non manu repercussa, sed aliqua corporis parte pila excipiebatur. Saltationibus quoque ad modum fere Græcorum gaudebant, præcinente uno vel altero. Facile vero provocantur ad arma & bella, quæ satis crudelia sunt; aliàs sunt homines, qui simpliciter vitam agunt, sani, hilares ac liberales, ut diu sine medicina ultra centum annos vivant; & nisi materiam luxui exteri darent, quæ natura domi concedit contenti. Res majorum memorabiles carminibus celebrant, vel scopulis insculptas vindicant ab oblivione. Et hæc quidem de Yslandorum moribus.

Pisces.

Piscium in Yslandicis aquis infinita est multitudo. Capiuntur hic aselli, rhombi, vituli marini, merlusia, Gothice *Torsck* appellata; inter quos balenæ, pristes, atque alia monstra marina apparent; quorum indomabili immanitate miræ aquarum turbationes excitantur. Pisces vero electiores ibi capti, ab Italis & Hispanis *Marlucx* appellantur, & Romam usque per Hispanos aut Lusitanos deferuntur. Tempus capturæ eorum est mensibus Februario, Martio & Aprili: piscesque capti frigidis ventis exsiccantur, ac demum in apertis campis, quasi lignorum combustibilium strues compositi, per mensuras longorum cubitorum, sive cannas Italica mensura mercatoribus Germanicis divenduntur, aut frumento, cerevisia, panno aliisque exoticis mercibus permutantur. Si vero pondere vendendi sunt, idipsum centenario ac millenario numero fieri solet; quale pondus vernacula eorum lingua *Waagh* dicitur, velut apud Gothos, Suecos, & Germanos *Schippunt* communiter appellatum, ccc majoribus libris constans, in ponderando observatur. At si usquam alibi in mari Septentrionali, hic certe monstrosi apparent pisces, quorum varias species describit Olaus aliique. Recensebo aliquas. Est piscis *Nahual*, cujus carnem si quis comedat, moritur: habetque dentem in anteriori capitis parte prominentem ad septem cubitos. *Roider* piscis est edentulus, centum (si credere fas est) & triginta ulnarum. cujus uti saluberrima est caro, ita pinguedo à multis morbis liberat. *Hroshvalur*, quasi dicas equus marinus, jubatus in morem equorum, nocens piscatoribus. *Skautuhvalur* rajæ similis est, totus fere cartilagineus. *Seenaut* boves marini sunt, colore griseo, egrediuntur aliquando ex aquis. *Stakuul*, integro die visus est erectus extra aquas extare, nomen habens à saltando. *Rostunger*; qui & *rosmarus* dicitur, vitulo marino similis, graditur in maris profundo pedibus quatuor, sed brevibus valde, pellis adversus ictus impenetrabilis. Occurrit etiam hic *Xiphia*, caput habens horridum ut bubo, os profundum valde, oculos horribiles, dorsum cuneatum, vel ad gla-

Hyparctica.

dii formam elevatum, rostrum mucronatum. *Monoceros*, forte idem qui supra *Nahual* dictus, monstrum marinum est, habens in fronte cornu maximum, quo naves obvias penetrare possit. Sed in hoc divina providentia navigantibus providit, ut tarditate sua lentius accedens, navigantibus tempus se subducendi concedat. Est & *Serra*, ingens corpore, capite cristato, & prominente in longum serra. *Cetorum & Balenarum* his in locis propria sedes, quæ quoniam piscibus littoralibus libenter vescuntur, idcirco sæpius periclitantur in scopulis arenosis, qui maris æstu ac refluxu mox denudati immensis belluis reditum non concedunt; unde totius corporis ac caudæ præsertim jactatione dum profundiorem gurgitem repetere conantur, profundius se arenis immergunt, & piscatorum præda fiunt. Et cum vehementia frigoris, partim etiam validæ ac perpetuæ tempestates ibidem non sinant in altum excrescere arbores, quæ ædificiis inserviant, ex maximarum balenarum costis domos fabricant, quæ 20 aut 30 interdum sunt pedum. Præterea spinæ, spondyli, atque vasti capitis bifurcata ossa haud parvam in se habent quantitatem, quæ omnia artificum industria ita serris & limis aptantur, ut faber lignariis ferreis juncturis compendiosius, validiusque nihil exstruere possit.

Fertilitas soli.

Quanquam vero segetem non ferat Yslandiæ solum, adeo tamen ferax est graminis, ut à pabulo interdum prohiberi debeant pecora, ne nimia arvina pereant. hinc tantam butyri vim hic colligunt incolæ, ut cistis capsisque 30 pedes longis, 4 vel 5 altis idipsum reservent, partim in usus domesticos, partim ut mercatoribus divendant. Piscibus enim tostis, hujusmodi butyro inunctis, loco panis frequentius utuntur, unde etiam Ichthyophagi appellati. Capsæ autem hujus butyri reperiuntur in Abbatia *Helgafiel*, quæ proventu hoc tota constat, uti & duæ Ecclesiæ cathedrales Scalholdensis & Hollensis, una cum nobilium habitationibus plurimis, quæ his reditibus aluntur. Pro potu utuntur cerevisia exotica, quæ è Germaniæ civitatibus maritimis huc navibus vectari solet. Sunt etiam fontes cerealis liquoris dulcedine, quibus non solum ad necessitatem, sed etiam ad voluptatem fruuntur. Est & Fons, qui lanas albas in nigras commutat; nec ab illo abest longe alius lanas nigras in albas commutans, uterque ad insulæ partem Meridionalem. Sunt in hac quoque ursi, cervi & lepores albi, etiam falcones. Boves & vaccæ cornibus carent. Vulpium ingens frequentia, uti & aliarum ferarum, quarum pelles pretio distrahunt. Sunt & alibi hiatus terræ fœtentes. Ad latus Insulæ Orientale lacus est, in quo anguis esse perhibetur insolitæ magnitudinis. Equorum alicubi tanta in currendo pernicitas, ut continuo cursu 20 milliaria conficiant. Fodinas sulphureas præstantissimas habet, unde ingens sulphuris copia in nostrum orbem & quaquaversum defertur. Catellos habent albos, quasi Melitenses, quos incolæ impensius diligunt. Montes per universam insulam excelsi sunt, imprimis est *Hekla* instar Ætnæ æstuans, qui anno 1580 tanto fragore & tonitru ignes & saxa eructavit, ut

Fontes.

Animalia.

Montes.

inde

inde ad aliquot milliaria grandiores machinæ bellicæ explodi putarentur. non longe ab Hekla sulphuris sunt fodinæ. mons ipse cum furit, magnos evomit in cœlum flammarum globos, saxa projicit, cineribus omnia longe lateque complet. Qui naturam causasque ejus incendii curiosius contemplaturi propius ad montem accedunt, facile una aliqua latente voragine vivi absorbentur; nam & multæ sunt, & cineribus ita tectæ, ut vix periculum cavere possis.

Regimen;

Cum ex Yslandis viri boni & prudentes popularium suorum cœtus in justam gentis multitudinem excrescere cernerent, de aliqua Reip. forma, qua promiscuum vulgus in officio contineretur, mature cogitare cœperunt. Quando vero hoc factum sit, non constat: de legibus saltem usitatis circa annum 921, ex Annalibus constat. Primus Regiminis status in Aristocratiam deflexit. Yslandi itaque, cum sparsim, nec in urbibus vel vicis habitarent, totam Insulam uno regiminis modo quasi civitatem complexi, eam in Quatuor partes, has singulas in Tres iterum alias diviserunt, excepta Boreali, quæ in quatuor partita fuit. Has Tertias iterum subdivisere aliquas in decimas, aliquas paullo aliter, quibus vernaculum nomen *Hreppar*; nos *Reppas* vocabimus. Reppa quælibet regulariter ad xx colonos, sæpe plures, continebat, certo rei familiaris augmento definitos: infra quod non licuit tenuioribus Reppis accenseri; ditioribus licuit. Porro in singulis Tertiis (quas *Syslu, Herad*, hoc est præfecturas appellant) tria loco insigniora designabant, foro sacrata & judiciis, ut & delubra sacris suis faciundis. Delubra ista seu lararia pro ratione hujus terræ magnifice extructa erant, quarum duo 120 longa fuisse leguntur. Singula vero lararia fanum in sacelli morem sibi adjunctum habebant. Hic locus sacratissimus; hic idola & dii manufacti in suppedaneo seu ara quadam consistebant; quos circum pecudes iisdem mactandæ disponebantur. Deorum autem princeps & medius Iupiter, illis *Thor*: à quo hæc regna adhuc Iovis diem *Thorsdagh* etiamnum indigitant. Huic reliqui dii collaterales, quorum nec numerus nec nomina certa sunt. Ante deorum hoc suppedaneum Ara extructa stabat, ferro superne investita, ne igni, qui ibi perennis esse debuit; læderetur. In ara etiam lebes seu æneum vasculum repositum erat; quo hostiarum sanguis exciperetur; adjuncta lustrica, & aspergilio, ad victimarum cruorem astantibus aspergendum. In ara præterea annulus asservabatur argenteus (vel ex orichalco) unciarum xx, quem forensi aliquo munere fungentes, jusjurandum jam præstituri, victimarum illitum cruore religiose inter jurandum contrectabant. Ad victimas plurimum quadrupedes destinabantur, ut & homines, more Barbaro, & veteri: sed hic homines immolandi mos, cito abrogatus est. Reppæ vero quælibet habebant suos Reppagogos, seu quinqueviros, si sic loqui liceat, qui æque ac præfecti provinciales conventus indicebant, judicia constituebant, sontesque plectebant, in suo foro quilibet. Contra istos Quinqueviros officii negligentes aut alioqui injurios privatis agendi jus fuit. Erat & magistratus superior, qui in provinciarum præfectos distinguitur, & Nomophylaces. Provinciarum (nempe illarum quatuor) præfecti munia tam fori publica quam sacrorum obeuntes, qua sacra curabant sacerdotes, qua forum & judicia judices fuerunt. Hi Aristocratiam proprie constituebant. Idem juri dicundo & sacris faciundis locus destinatus, delubrum nempe, quia sacrorum locus aptior ad consilia capienda videbatur. Fori provincialis speciem habebat, cum de solutione ex bonis demortui facienda judicium fiebat, licet alio, quam ad delubra loco: nempe domi ejus, qui demortuus fuerat. Item in caussa homicidii hæres conventum ad sepulchrum occisi, vel in locum homicidio fœdatum cogebat: hujus conventus index fuit telum ligneum: Item cum de pascuis vel limitibus controversia esset. Porro ad delubra singuli tributum seu vectigal quoddam annuum pendebant, cujus exactor æditimus: hoc nomine quilibet ex optimatibus appellantur, cum delubris præessent & foro. Nomophylax magistratus superioris altera species, istis paulo recentior: unus erat in tota olim insula, qui leges condebat, & operam dabat, ut ubique leges observarentur.

& Religio.

Episcopi Yslandenses. Scalholtiani.

Primus Christiana religione cœcutientes imbuit Olaus Tryggo Norvegiæ Rex, sed non omnes, tantum aliquos pedetentim ex Yslandis commercia in Norvegia exercentibus: qui domum reversi aliis multis veram Salutis viam monstravere: & inter alios Gysserus Albus, civis Yslandiæ Meridionalis, filium Ysleifum Erfordiam studiorum caussa ablegavit, effecitque ut dignus Episcopatu censeretur. Ysleifus itaque hujus dignitatis candidatus Romam invisit anno 1056, & reversus mandato Pontificis à Bremensi Archiepiscopo ordinatur. Reversus in patriam anno 2057, Cathedram Episcopalem in prædio suo urbano & avito, Scalholltia in Yslandia Meridionali sito, fundavit: Cathedræ etiam Schola aliqua adjuncta fuit, è qua Ionas Ogmundus, Holensis, & Colerus Vicensis in Norvegia, Episcopi exierint. Hic Ysleifus Episcopus uxorem duxerat Dallam, Thorvaldi de Halse filiam, ex qua filios tres reliquit, decessit anno 1080.

Successit Ysleifo filius Gysser. Hic maximis animi corporisque dotibus prædicatur: Erfordiæ literis operam navavit, & plurimas alias regiones vidit. De eo Heraldus Norvegiæ Rex tale judicium dederat: Eum ad hæc tria aptum fuisse, ut Regem, belli Ducem & Ecclesiæ Antistitem ageret. Hic primus leges de Decimis, nullo refragante per Marcum Sceggif, Nomophylacem tulit. Reversus primùm domum, vitabat cœtus, Episcopatus refugiendi studio, donec Guttormum quendam designatum jam audiret. Vt vero apparuit, ipse Guttormus oblatum munus in eum transtulit, quanquam recusantem. Gysserus itaque Romam profectus à Pontifice Romano ad Moguntinum Episcopum ordinandus amandatur anno 1082, & anno sequenti Cathedram adit. Vxorem quoque hic habuit Stenunam, Thorgrini filiam.

Hujus

Episc. Hold. fundatus. Hujus Episcopatus Anno 26, id est, Christi 1106, in Boreali Yslandia peculiaris Episcopatus fundatus est: Quem primus gessit Ionas Ogmundus, vir magni nominis ex Meridionali Yslandia oriundus. Is jactis in schola Ysleifiana bonarum literarum fundamentis, exteros invisit, Romam usque penetrans. Deinde cum in aula Suenonis Alfivii Daniæ regis aliquantisper vixisset, in patriam reversus Episcopus designatur Yslandiæ Borealis: Qui similiter salutato Pontifice, in Daniam ad Lundensem Archiepiscopum ablegatur. Hiallta viro nomen fuerat, provinciæ cujusdam Borealis Yslandiæ Hialltædal, eponyme: Qui etiam ibidem prædium urbanum habuit; Olim Hoff; postea Holas dictum. Istius Hialltæ relicti filii, novum, Religionis novæ, Antistitem & Episcopum, prædictum Ionam Ogmundum, adeo cupide amplexi sunt, ut ad Cathedralis Ecclesiæ fundationem hæredium illud suum Hollense libenter impenderent. Fratrum uni Oxerus nomen (vel Taurea) qui antea Holis ædem Sacram extrui curarat, tantæ magnitudinis, ut Yslandia parem non habuerit. Lignea hæc fuit, ut & multæ aliæ: sed tecto plumbeo: Quæ & ignoto casu conflagrasse fertur: alia, multo inferioris magnitudinis, substituta; Quam hic Ionas Ogmundus diruit, prioris istius amplitudinem, novæ ædis restauratione affectans. Cujus, Ogmundianæ nempe ædis vestigia, Cathedra Holensis etiamnum retinet; subinde à variis, prout usus postularat, refecta. Saxa vero hic Episcopus in vicino monte versus Euronotum sito, effodi primus curavit; lateres referentia, tum colore rubeo: tum materia quoque sectili: Vnde altare templi & gradus juxta altare fieri fecit. Vnde etiam successu temporis, totum ædis pavimentum constratum est. Iuxta templum Occidentem versus, Gymnasium extrui jussit, ubi & linguæ Latinæ tyrocinia juventus exercuit: Annotarunt enim curiosi annalium scriptores, templi architectum, Thoroddum nomine, tanti fuisse ingenii & acuminis, ut ex auscultatione Grammatices, in schola templo vicina, pueris inculcatæ, artis præcepta imbiberit. Fertur etiam Episcopus, scholastico cuidam, Epistolas & amores Ovidii manibus excussisse; Cui ista legenti ex improviso supervenerat. Ludimagister traditur fuisse quidam Gislaus Finnonis, natione Gotlandus.

Quæ idcirco annotavi, ut appareat Yslandos nostros linguæ Latinæ jam tum fuisse studiosos. Ex hac enim schola Holensi, multi posteriorum temporum Episcopi, & Abbates prodierunt. Hoc Iona Episcopo, dira fames provinciam Hunavatzthing Borealis Yslandiæ, attrivit; ad quam avertendam, votum de Ecclesia Thingeyris fundanda factum est: Episcopo templi fundamenta describente. Moritur Ionas Ogmundus Anno 1121. In sanctorum numerum post annos demum 80, religionis synceritate jam obfuscata relatus.

Huic successit quidam Cetillus anno 1122. Secundus Holensis Episcopus Thorlaco Runulfi, qui tertius Scalholltensis fuit, synchronos. Hi conjunctim jus Canonicum, quod Christinrett Christivalaga Patt vocant, auxerunt; Accedente Ossuri vel Assueri Lundensis in Dania Archiepiscopi autoritate. Cetillus uxorem habuit Groam, Gysseri Episcopi Scalholltensis, thori legitimi filiam. Thorlaco Runulfi in Episcopatu Scalholltensi substitutus est Magnus Einarius anno 1134. Huic Klaingius, 1152. Qui idem duabus navibus magnis ligneam materiem, unde templum Scalholltense ædificaret, advexit, exhibito in templi solennitatem 600 convivarum epulo: magnatibus non indonatis dimissis. Klaingium in Episcopatu excepit Thorlacus Thorhalli f. 1178. sextus Scalholltensis: cum antea Musis Parisiensium militasset: eo Episcopo conjugium sacerdotum primum damnatum est. Successorem habuit Paulum Ionam: 1195. ex Magni Nudipedis, Regis Norvegiæ sanguine oriundum. Vixit in aula Valdimari Daniæ Regis & Suerri Norvegiæ Regis: Ab Absolone Lundensi Archiepiscopo ordinatus. Hic contra prædecessoris morem & interdictum, conjugii vinculis sese astrinxit. Atrium templi Scalholltensis magnis sumptibus exstruxit; mille convivarum epulum simul exhibens, apophoretis in primores collatis. A Paulo, inter Scalholltenses, Aristocratia durante, duo Episcopi reliqui fuerunt: Magnus 1216, & Siguardus 1239.

Porro inter Holenses, Ketillo superius commemorato, Biorno Gilson, successor factus est: 1147. Huic Branderus Sæmundi f. quartus nempe, inter Holenses: qui, Ionæ Ogmundi primi Episcopi Holensis reliquias, in cæmeterio olim conditas, refodi curavit: Eique in sanctorum numerum relato, diem tertium Martii Mensis sacrum dicavit, anno 1201, quo & ipse Branderus è vivis excessit.

Secutus est Branderum Gudmundus cogn. Bonus, Arneri f. anno 1203. Hunc Botolfus 1239. Illum Henricus 1247. Apud Hollenses Aristocratiæ tempore ultimus.

Annos 400 circiter sua Aristonomia usos esse Yslandos constat: Quo etiam tempore, à vicinis Norvegiæ Regibus, non tractabantur, ut subditi; sed ut socii & amici colebantur. Interim tamen horum felicitati in libera illa αὐτονομίᾳ potissimum sitæ, à diversis Norvegiæ Regibus, diversis temporibus insidiatum esse, deprehenditur.

Pulcricomus Yslandiæ insidias struit. Et quidem mox initio, ab ipso Pulcricomo, qui anno sexagesimo quarto Yslandiæ habitatæ, decesserat.

Olaus Sanctus Yslandiæ cupidus. Porro Olaus Crassus, qui circa annum 1014, in Norvegia regnum adeptus est, Optimates Yslandiæ per transmissa munera & Regii favoris pollicitationem callidius attentavit: Missisque anno 1017 Legatis, rogavit ut sibi tributarii fierent; cujus rei gratia quorundam filios in aula honorificentius habuit. Porro ubi huic negocio incolas minus favere comperit, duos Yslandiæ juvenes nobili loco ortos, arctiore custodia retineri curavit: reliquis in patriam dimissis, minatus nisi tributarii fierent Yslandi, se non tantum in iis quos arrestandos curarat, memorabile exemplum editurum; sed etiam in Yslandiam ipsam aliquid gravius tentaturum esse. Sed iniquum

iniquum Regis propositum una cum ipsa vita, intestinæ seditiones non multo post abruperunt.

Simile aliquid, sed non ita aperte, de Yslandis tentare voluisse creditur Haraldus crudelis, hujus Olai frater uterinus: sed eodem eventu. Quare Yslandi ad annum usque 1261, in pristino Reipub. statu permanserunt; quo Haquinus Haquini filius, Norvegiæ Rex, eosdem in deditionem accepit.

Occasio deditæ Yslandiæ.

Porro ad deditionem, Yslandi, nec precibus nec minis adducti sunt: sed illo occulto conversionis rerump. fato, à quo omnia sursum deorsum vertuntur. Etenim sub ipsum mutandæ Reipub. tempus, laudabilis illa Yslandiæ Aristocratia in pessimam Oligarchiam transformari cœpit: & optimatum ut quisque potentior, ita principatum magis affectare: spretaque legum & justitiæ norma (ad quam majores totos prope ut dictum quadringentos annos pacifice vixerunt) omnia vi & armis gerere, cædibus, seditionibus, rapinis, & omnimodis injuriis, nullum modum aut metam statuere. Quæ scelerata libido & licentia, etiam ad ipsa sacra pertigit: Etenim præter alios, Godemundus, Boni cognomen gerens, Holensis Episcopus Cathedra ejectus est. Constat quoque sacerdotes à quibusdam, ad securim & gladium domo sua eductos. Republic. igitur in hunc modum discissa, Norvegiæ Rex, quod diu cupierat obtinuit: Nec enim alia visa est incolis, pacandæ Reipubl. expeditior, nec magis tuta ratio; quam si tam Magnates quam plebs, unius Regis imperio coërcerentur.

Reges, Yslandiæ domini.

I. *Haquinus* itaque *Haquini F.* Norvegiæ Rex, Suerri Regis nepos, Yslandos anno 1261 in deditionem accepit.

Porro deditionis conditiones hæ referuntur:

1. Vt Rex Yslandis jus patrium sartum tectum conservaret.

2. Vt de navibus, extraneis mercibus, insulæ maxime necessariis, refertis, quotannis Yslandiæ prospiceret.

3. Vt hæreditates, Yslandis forte in Norvegia obtingentes, eisdem, post quodlibet temporis intervallum poscentibus, concederentur.

4. Ne Yslandi portoria solverent.

5. Yslandi ejus æstimationis essent in Norvegia, cujus olim, atque ejusdem juris compotes, ut cum optimi, & prout iisdem, Rex Norvegiæ suis diplomatibus confirmasset.

6. Rex pacis publicæ custodem ageret omnibus viribus.

7. Insulam per Ducem, Satrapæ loco immissum, Rex gubernaret, cui Regis nomine omnem legitimam audientiam incolæ præstarent, dum ipse suo officio erga Regem fideliter & erga subditos juste fungeretur; & dum conditiones deditionis & privilegia à Regia parte inviolata servarentur: & quibus non servatis, Yslandi nullo juramento erga Regiam Majestatem tenerentur.

His demum conditionibus, homagium præstitum est prædicto *Haquino* Regi, & Duci, Magno ejusdem filio ac Norvegiæ Regi inaugurato.

II. *Magnus Haquini F.* cum sub exitum parentis, titulum Regium, integrum pene sexennium usurpasset; à paterno funere, Norvegiæ Monarchiam, omnium primus sine invidia & æmulis obtinuit. Et quia vivo adhuc patre Haquino inauguratus est, eodem homagio ipsi, quod & patri præstitum est, Yslandi devincti erant; sicut ex deditionis forma, paulo ante exposita constat.

Equites aurati Yslandiæ.

Yslandiæ 1. præfectus Regius.

Is duos Yslandos, Rafnerum Ottonis, & Ormerum Ormeri, filios, Equites auratos creavit, & Yslandiæ præfectos constituit anno 1269. Sed Ormero in reditu pereunte, Yslandiæ præfecturam primus omnium Raffnerus gessisse commemoratur.

Episcopi.

Hoc Rege, Henrico, qui tempore Aristocratiæ ultimus fuit apud Holenses Episcopus, Branderus succedit anno 1263. Siguardo vero apud Scalholltenses, Arnerus Thorlaci F. 1269. Branderum Holensem, Iorundus excepit 1267. anno 1263. fit Thorleifus quidam Nomophylax, & iterum anno 1268. Siguardus vero quidam anno 1266.

Anno 1267, Ionas Nomophylax, & iterum, anno 1269.

Cum vero hic Rex Norvegicum jus quadruplex, Frostathingense, Gulathingense, Opplandorum & Vichense, in unum corpus anno 1267, conflavisset; idque jam constitisset Yslandis, Regem Norvegiæ legum reformandarum adeo esse studiosum; eidem etiam tantum tribuendum putabant, ut etiam suarum legum conformationem, ipsius arbitrio permitterent. Id quod idem non minore cum benevolentia quam felicitate & dexteritate, præstitisse videtur, anno 1281.

III. *Ericus Magni F.* Ex relictis filiis major natu, patri ut reliquo Norvegiæ Regno, ita etiam in Yslandiæ dominio successit: Ericus nempe ab Archiepiscopo Iona & septem aliis Episcopis coronatus anno quo pater decesserat. Hujus nomine Dominus Lodinus Leppur & Ionas Yslandiæ Nomophylaces juramentum fidelitatis ab Yslandis exigebant eodem anno 1280.

IV. *Haquinus Magni F.* Cum Haquino in locum fratris substituto, ante præstitum homagium, Yslandi expostulantes, articulos veterum pactorum transmisere: videturque non ante annum 1306 inter Regem & Insulanos convenisse. Anno tamen 1310, Rex Haquinus præter varii generis ornamenta, ligneam materiem, ad ædificationem templi Scalholltensis, anno 1309, fulmine percussi & conflagrantis, magna copia largitus est. Anno 1313 defunctus est vita Iorundus Episcopus Holensis: Cumque fundatore nempe suo monasterium Modruvallense, conflagratione periit. Iorundum Audunus excepit.

V. *Magnus Erici F.* Hic prædecessoris erat ex filia nepos, patre Erico, Sueciæ Duce natus, *Clementis* vel *Boni* cognomen adeptus. Anno 1320 moritur Arnerus Episcopus Scalholl. & itidem alius Ormerus quidam in hujus locum destinatus. Tandem Ionas Heliodori, vir doctus & integer, ad Scalholl. Ecclesiam ordinatur anno 1322, cum paulo post Laurentius Holensis Episcopus fieret anno 1324.

Anno 1346, Ormerus Holensis Episcopus.

Ionas

Ionas Indridi f. Episcopus Scalhollt.

1343. Ionas Siguardi f. Episcopus Scalhollt.

1358. Ionas Scalle Episcopus Holensis.

1352. Gyrderus Episcopus Scalhollt.

Anno 1362. Thorarinus Episcopus Scalholltensis.

VI. *Haquinus Magni F.* In carcere detento Magno Norvegiæ Rege, Yslandiæ dominium, à novis Yslandiæ præfectis, Ormone Snorronis F. & Andrea Gislai filio, Haquino, judiciali forma addictum est, Anno 1366.

1373. Oddgeirus Episcopus Scalholltensis.

1373. Ex minutissimo Balenarum genere, quas Hnydingia vocant, ad littus Helgafellense, vivo impetu 1700 appulerunt, ut & anno 1376 sexcenta, & anno 1377 octingenta.

VII. *Olaus Haquini F.* Quamvis anno 1370, vivo adhuc patre Daniæ Rex designaretur; tamen à parentis demum funere Norvegiæ etiam Regnum obtinens, Anno 1381, post biennium, homagium ab Yslandis exigit 1383.

VIII. *Margareta Valdemari F.* Cum in vivis esse desiisset Rex Olaus, Norvegiæ Regnum ac Yslandiæ dominium ad D. Margaretam, Semiramidem Danicam à quibusdam appellatam, defuncti Regis matrem, devolutum est 1387.

IX. *Ericus Pomeranus.* Margareta, quæ anno 1412 terras morte reliquit; Ericum Pomeranum ex sorore Nepotem anno 1397, in societatem trium Regnorum admiserat. A materteræ porro funere Ericus Norvegiæ, &c. Rex salutabatur.

Anno 1390, Rafnerus Botulfi f. Nomophylax de Longuhlyd / cum familia & habitatione hiatu terræ absorbetur.

1394. Vilhelmus alias Vilchinus Episcopus Scalholltensis.

1402. Arnerus cogn. Liberalis vel Munificus hinn milde / Episcopus Scalhollt. vice Episcopus Holensis, & simul insulæ præfectus, in Norvegia à sicariis interficitur.

1432. Ionas Vilhelmi Episcopus Holensis, & Ionas Gericsson Suecus, Episcopus Scalhollt. culeo insutus & in fluvium Bruarai projectus. Ericus Regnis excessit anno 1437.

X. *Christophorus Bavarus* Regni Norvegiæ diadema accepit Assoiæ 1442.

XI. *Christianus I.* Pervenimus ad novum stemma Regum nostrorum, unde Yslandiæ nova & summa felicitas affulsit; Ex Comite Oldenburgensi trium Regnorum Princeps evadens Christianus I in Regem Norvegiæ coronatur 1450.

Anno 1445, Godsuinus Episcopus Scalhollt.

Godsuino Episcopo Scalhollt. successit in reditus Ecclesiæ quidam Marc. quem annales nostri quidam in Episcoporum catalogo negligunt, sine dubio propterea, quod is Yslandiam nunquam attigit, aut sedem adiit Scalholltensem: sed per Gottscalcum Holens. Episcopum reditus Ecclesiæ Scalhollt. collegit; ipse in Norvegia ampliora stipendia occupans.

Anno 1457, Biorno Thorleifi, quem sedem Scalhollt. Episcopis vacuam occupavisse diximus, Yslandiæ præfecturam adeptus est.

1472. Sueno cogn. Sapiens, Episcopus Scalh.

1459. Olaus Rognvalldi Holensis Episcopus.

XII. *Ioannes* anno 1483.

1489. Magnus Eyulfi Episc. Scalhollt.

1500. Gotscalcus II. Holensis Episcopus.

XIII. *Christianus II.* qui aliis Christiernus, diadema Norvegiæ, Asloiæ, 1514 suscepit.

1520. Moritur Gotscalcus II. Holen. Antistes; ut & Stephanus Scalholtensis: Cui Augmundus 1522, illi Ionas Aræsonius anno 1525, succedunt.

XIV. *Fridericus I.* Subditi cum Regem Christianum II, ob quædam contra jus & æquum in cives & nobilitatem designata, regno profugum non exspectarent reducem, ejusdem patruum Ducem Fridericum in Regem Daniæ & Norvegiæ postularunt.

XV. *Christianus III.* Postquam laudatissimus Princeps Fridericus I. Anno 33, supra sesquimillesimum, naturæ debitum solvisset; capessit eodem anno Regnorum & insularum regimen Christianus III. Anno 1539, præfuit Ecclesiæ Scalhollt. Augmundus ille anno 1522, initiatus cum Theodiricus van Mynden / præfectus Yslandiæ, & famuli vel comites 11, à colonis Ecclesiæ Scalhollt. ob multa indigne gesta, Scalhollt. cæsus traditur. Sub hoc Rege non solum in Dania aut Norvegia, sed etiam in provinciis, religionis ratio mutata est, & Lutheri opinio admissa.

XVI. *Fridericus II.* Succedit Patri.

XVII. *Christianus IIII.* Huic succedit.

XVIII. *Fridericus III.* Qui nunc rerum moderatur habenas.

EUROPA,

QVÆ EST

GEOGRAPHIÆ BLAVIANÆ

PARS SECVNDA,

LIBRI XVII.

EUROPÆI
ORBIS
IMPERATORI,
REGIBVS,
PRINCIPIBVS,
INTER SE
PACEM & AMICITIAM,
IN SVOS
STABILE & TRANQVILLVM
IMPERIVM,
IN SVBDITIS
REVERENTIAM
ET
FIDELITATEM DEBITAM,
INTER OMNES
CONCORDIAM
ET
CHARITATEM MVTVAM,

VNI.

VNIVERSIS

ÆTERNI NVMINIS

GRATIAM,

ET

PROSPERRIMOS RERVM SVCCESSVS

ADPRECATVS,

HASCE

IMPERII,

REGNORVM,

ET

PRINCIPATVVM

TABVLAS

AC

DESCRIPTIONES

HVMILLIME OFFERT,

DICAT, DEDICAT

JOANNES BLAEV,

AMSTELÆDAMENSIS.

EUROPA.

Europæ dignitas.



N Veteri orbe Asiam supra & Africam multis nominibus excellit Europa, quam Plinius altricem victoris omnium gentium populi, terrarumque pulcherrimam nominat. Sive enim cœli temperiem optimam, solique indolem & nobilitatem spectare libeat, sive incolarum frequentiam & ad humanitatem omnem compositos mores, sive res præclare gestas ab iis, qui eam hactenus tenuere, longe reliquas mundi partes post se relinquit Europæus orbis. Inclaruit Asia tribus potissimum urbibus, Babylone, Ninive, & Hierosolyma; Africa sola Carthagine. Americam vero hodie illustrant urbes Mexicum, & Cuscum. Sed quid hæc singula aut simul omnia ad Europam, præ qua reliquæ partes desertæ videantur, & mera vastitas? Prætterquam enim quod urbes habeat plurimas, amplissimas, augustissimasque, montibus adhæc, fluminibusque referta sit, & iis omnibus, quæ ad vitæ humanæ sustentationem necessaria sunt, abunde instructa: hoc insuper ad ejus laudes non parum facit, quod literarum, artium tum liberalium tum illiberalium, scientiarumque omnium sit mater ac nutrix studiosissima: ut jam de juris, ordinis, legumque, quibus gubernatur, præstantia nihil dicam, religionis præterea Christianæ, quæ hic maxime viget, dignitate; militiæ admirabili disciplina ac laude, Principum adhæc Europæorum potentia, quæ quidem hodie tanta est, ut eorum sceptra Americani, Asiatici, Afri vel admittant, vel horreant.

De Termino ejus Orientali, quo ab Asia separatur ac distinguitur, minus certa est traditio. Nam qui Tanaim statuerunt, fontem ejus per insignem errorem in Riphæis montibus, haud procul Oceano Sarmatico posuerunt, qua Petzora eos perrumpit amnis. Alii vero, qui Isthmum inter Pontum Euxinum ac Caspium mare pro fine constituerunt; hoc ipsum mare Caspium sinum esse putaverunt Oceani Septentrionalis, ea regione, qua immensum patet Obii amnis ostium, irrumpentem. Itaque verum certumque terminum inter Europam Asiamque uti deprehendas, statue post mare Ægæum, Hellespontum, Propontidem, Bosphorum Thracium, Pontum Euxinum, Bosphorum Cimmerium, lacumque Mæotin, primum Tanais, nunc *Don* dicti, fluenta, donec adverso amne ad flexum ejus pervenias, apud Tujam oppidum: inde linea ducta ad proximam Obii fluminis ripam, per hoc ipsum in mare Hyperboreum excurre. Illud enim certum, omne littus, quod est sub Septentrionibus ab occasu in ortum versus ad Obii usque ostium, ad Sarmatiam Europæam pertinere. A Meridie vero mari Mediterraneo, Freto Herculeo, & parte aliqua maris Atlantici terminatur: ab Occidente mari Atlantico, sive Occidentali: à Septentrione mari Hyperboreo, sive glaciali. Longitudo ejus summa est inter Hispaniæ promontorium, vulgo *Cabo S. Vincente* dictum, ad Obii fluminis ostium milliarium Germanicorum circiter 900. Latitudo maxima ab extremis Peloponnesi ad Scritofinniæ promontorium Rutubas, vulgo nunc *Noortkaep* dictum, mill. 550.

Europæ partes.

Europæ regiones partim Continentes sunt, partim Insulæ. Continentes sunt, Hispania, Gallia, Germania, Italia, Slavonia, Græcia, Hungaria, Polonia cum Lithvania & Borussia, Russia, sub qua Moscovia, Norwegia, Suecia, Gothia. Insulæ in Oceano sunt Anglia & Scotia, necnon Hibernia, vulgo Yrlandia, minores quidem Orcades 30, & Hebrides 64; in mari Balthico Zelandia, Fionia, Mona, Lalandia, Falstria, Bornholmia, Osilia, juris Danici omnes; Yslandia & Gotlandia; Suecici; juxta Britanniam Magnam sitæ insulæ, Mona, *Anglesey*, Vectis, & Gallico littori appositæ *Iersey & Gernesey*. In mari mediterraneo, Sicilia, Sardinia, Corsica, Creta, hodie Candia, Majorica, Minorica, cum aliis minoribus innumeris.

Regna.

Hodie dividitur in plurima regna atque Principatus. Regnorum præcipua sunt, Hispania, Gallia, Norvegia, Suecia, Dania, Vngaria, Slavonia, Croatia, Dalmatia, Bosnia, Servia, Bulgaria, Tartaria minor, sive Precopensis, Russia, Græcia, Anglia, Scotia, Hibernia, Germania, & in partibus Orientalioribus dein Polonia, Bojohemia, item regnum Neapolitanum & Siciliæ. Archiducatus unus est Austriæ. Magni Ducatus tres, Moscovia, Lithvania, Tuscia. Ducatus & Principatus innumeri.

Principes.

Eadem jam inde à Macedonibus & Romanis sedes Imperii fuit; post Christum vero natum domicilium quoque orthodoxæ fidei. In ea hodie rerum potiuntur varii. Britanniam & Hiberniam regit Carolus II, Caroli I filius. Hispaniam, Philippus IV, Philippi III filius, Philippi II nepos, Caroli V Imperatoris abnepos. Gallia paret Christianissimo Regi Ludovico XIV, Ludovici XIII filio, Henrici Magni nepoti. Germania Imperatori Leopoldo Austriaco, Ferdinandi III filio. Norvegia & Dania subjectæ sunt Frederico III, Christiani IV filio. Sueciam habet Carolus, filius Caroli Gustavi. Poloniæ & Lithvaniæ præest Ioannes Casimirus. Regna autem Hungariæ, Bohæmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ atque Slavoniæ eidem Imperatori Leopoldo subsunt. Græciam, Thraciam, Bulgariam tenet Turcarum Imperator Mahomet IV. Viciniores Asiæ partes habent Russus & Tartarus. In Belgii parte res administrant Fœderati Ordines: pars altera Hispaniarum Regi paret. Gubernator est Regis nomine, Comes de Fuensaldaigne. Helvetii suis pagis forma Reipublicæ præsunt, uti & Veneti suis terris.

Religio.

Status religionis per universam Europam varius est. Catholicæ religioni adhærent omnes


EVROPA
recens descripta
à
Guilielmo Blaeuw.
AMSTERDAM
PRAGA
CONSTANTINOPOLIS
VENETIA
ROMA
PARIS
LONDON
TOLEDO
LISBONA
Angli
Galli
Belgi
Castiliani
Venetiani
Germani
Hungari
Bohemi
Poloni
Græci
OCEANVS SEPTENTRIONALIS
OCEANVS DEVCALEDONIVS
OCEANVS OCCIDENTALIS
MARE ATLANTICVM
MVRMANSKOY MORE
RVSSIA
ASIÆ
TARTARIÆ PARS
PONTVS EVXINVS
MARE MEDITERRANEVM
MARMARICA
BARBARIA
FESSA
MAROCHO
AFRICÆ PARS
Noort zee
HIBERNIA
Circulus Arcticus
Estrecho de Gibraltar
Candia al Creta
Cyprus
Cautum est Illustr. DD. Ordinum
Hollandiæ et Westfrisiæ privilegio
ne quis Tabulas istas quatuor Orbis
terræ partium citra voluntatem
Auctoris imitetur, sub poena in
Diplomate expressa.

9.

Italiæ Principes, rex Galliarum, & Hispaniarum, in Germania Leopoldus Imperator; Duces adhæc Sabaudiæ, Lotharingiæ, Bavariæ, & Electores Imperii Ecclesiastici. Reformatæ, quam Calvinisticam vocant, religioni favet, Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Rex: Dania, Suecia, Norvegia eidem, sed propria Lutheranorum appellatione. In Polonia & Lithvania Rex & proceres plurimi Catholici sunt; ceteræ religiones ad distinctionem appellatæ Lutherana, Calvinistica, Ariana, Samosateniana, Iudaica, tolerantur & exercentur palam. Bohæmia jam Catholicam sectatur, quamvis & Hussitas & Valdenses & Lutheranos habeat: Moravia præterea etiam & Silesia Anabaptistas. Provinciæ in Belgio, quæ Regi Hispaniarum parent, omnes Catholicæ sunt; quæ vero Ordinibus Fœderatis, Reformatam religionem amplexæ sunt. Lutheranorum tamen, Anabaptistarum, Puritanorum, & Brunistarum, etiam, uno loco, Iudæorum cœtus publici tolerantur. In Helvetia pagi quidam sunt Catholici, ut Lucernensis, Tugiensis, Suitensis, Vnderwaldensis, Solodurensis, Friburgensis, Vriensis: quidam Reformati, ut Tigurinus & Bernensis. In Turcia sunt Mahumetani, & Græci schismatici dicti. In Russia Græci, Armenii, & Pagani.

Vrbes præcipuæ.

Vrbes Europæ amplissimæ, maximeque celebres sunt, Roma, Constantinopolis, Vienna, Praga, Lutetia, Londinum, Venetiæ, Genua, Neapolis, Mediolanum, Messina, Panermus, Madritum, Lisbona, Toletum, Sevilia, Amsterdamum, Antwerpia, Gedanum, &c. Flumina præcipua sunt, Danubius, Rhenus, Albis, Vistula, Borysthenes, Tanais, &c. Montes maxime clari Alpes & Pyrenæi.

Figura.

Figuram universæ Europæ dedit Strabo Draconis, cujus caput Hispania, collum Gallia, corpus Germania, ala dextra lævaque Italia, ac Cimbrica peninsula. Recentiores eam feminæ sedenti comparant, cujus caput Hispania, collum extrema Gallia, qua Pyrenæis adjacet montibus; pectus ipsa Gallia, brachia Italia ac Britannia, venter Germania; umbilicus Bojohæmia; reliquum corporis sub vestibus late circa sedem diffusis implent Norvegia, Dania, Suedia, Finnia, Livonia, Litvania, Prussia, Polonia, Vngaria, Slavonia, Croatia, Dalmatia, Græcia, Thracia, Servia, Bulgaria, Transilvania, Valachia, Moldavia, Tartaria Precopensis, & Moscovia.

Linguæ Europææ.

Linguæ, quibus Europæi utuntur, vel Matrices sunt, vel earundem Propagines. Linguas Matrices vocare possumus, ex quibus multæ dialecti, tanquam propagines, deductæ sunt. Propagines quidem unius matricis linguæ commercio inter se aliquo conjunctæ sunt. Matricum vero inter se nulla est cognatio, neque in verbis, neque in analogia. Sunto igitur *Matrices* ex, quæ per omnia inter se discrepant; cujusmodi undecim, & non amplius, hodie supersunt in universa Europa, quarum quatuor amplissimæ sunt, reliquæ septem longe inferiores. Itaque illas quatuor *Matrices majores*, reliquas *minores* vocabimus. Eadem verba faciunt unam linguam videri: sed eorundem verborum trajectio, immutatio, inflexio aliam atque aliam Propaginem facit. Nam Italicam, Hispanicam, & Gallicam *Latinam* vocamus, propter unum verbum Latinum, quanquam variè immutatum in illis tribus. Exempli gratia: *Gener* Latinum, Italis *Genero*, Hispanis *Yerno*, Gallis *Gendre*: Latina sunt, si originem spectes; sin distortionem, unaquæque natio illud vendicat sibi. Itaque possumus deligere unum verbum Matricis, quod commune sit Propaginibus sive dialectis, à quo nomen ipsa Matrix habere possit. Sunto igitur quatuor hæc verba, *Deus*, Θεὸς, *Godt*, *Boge*, notæ quatuor majorum Matricum, *Latinæ*, *Græcæ*, *Teutonicæ*, *Slavonicæ*. Hæ, ut diximus, supra septem minores latissime patent. Linguæ *Bogæ*, hoc est Slavonicæ, duplices characteres sunt, *Rutenici*, sive *Moscovitici*, è Græcis depravati, totidem numero & figura pene similes adjunctis pauculis Barbaris: item *Dalmatici*, qui & *Hieronymiani*, eadem potestate, totidem numero, sed figura longè dissimillimi. Atque adeo d   lex sacrorum Librorum translatio, Rut   cen tior, & Hieronymiana vetustior. sive lingua *Boge* in multas pro est, *Rutenicam*, Polonicam Dalmaticam, Windica   uniqu que potest adjicere   odt/ hoc e Teutonicæ, propag   iomata præcipu sunt tria, *Teutonismus*   *onismus*, & *Danismu* Rursus Teutonismi idiomata duo, *Superior Teutonismus*, quæ est lingua **Wasser**: *Inferior Teutonismus*, sive *lingua* **Water**: Reliqua duo idiomata & ipsa quidem sunt linguæ **Water**: sed Saxonismi propagines sunt Nord-Albingorum & Frisiorum, item Anglorum dialectus: quæ tamen veterum Nord-Albingorum & Turingiorum dialecti sunt Anglismus, & Scotismus. *Danismi* tria discrimina sunt. Lingua scilicet Danorum Limitaneorum, quos *Denemarkos* vocant; Danorum Australium, qui Suedan, Suedi & Sueones ab Austro dicti: denique Danorum Septentrionalium, qui *Nordan*, *Normanni* & *Norwegi* vocantur: à quorum idiomate propagatum est *Islandicum* hodiernum, quod ita intelligitur à Norwegis, ut Hollandica lingua à Germanis, Italica à Gallis. Matrix *Deus*, hoc est, Latina, peperit Italicam, Gallicam & Hispanicam, quæ omnes uno nomine Romansæ, id est, Romanenses sive Romanæ vocantur, quam appellationem victores Barbari induxerunt. Nam in eorum legibus duplex conditio Ingenuorum: deterior Romanorum, ut Latinorum Romæ. In Gallia olim, Franci & Burgundiones; In Italia, Longobardi, in Hispania, Gothi distinguuntur à Romanis, ut Quirites à Latinis civibus. Hinc Luitprandus Tiotiscam Galliam à Romana distinguit. Matricis Θεὸς plura sunt Idiomata, quod non mirum in tot Insularum intervallis, quæ ut loco, ita linguæ commercio valde dissident. Atque de quatuor majoribus Matricibus hactenus. Reliquæ septem minores sunt hæ: *Epirotica*, quam Albanam vocamus, in montanis Epiri, ubi gens studiis asperrima belli, indigenæ an advenæ incertum. Secunda *Cosacorum* & *Præcopiensium*, id est, *Tartarica*. Tertia *Hungarorum*, quam ex Asia in Europam transvexerunt crudelissimæ duæ gentes, Hunni & Avares. Quarta *Finnonica*, cujus propago est Lapponica, in Septentrionalibus Scandinaviæ Suedorum. Quinta *Hitlandica*, cujus pars, quæ hodie

hodie in usu Scotis silvestribus. Sexta Vetus Britannica, in Montibus, Anglis: item in Aremorica, Gallis, quam *Britonnantem* linguam Galli vocant. Septima *Cantabrorum*, quos *Biscainos* Galli & Hispani nominant, quæ sunt reliquiæ veteris Hispanicæ: patet, ut minimum, itinere septem dierum cis & uls Pyrenæos, à Pajonensi usque agro, quem tractum in tabulis Layurdensem vocant Sidonius & alii veteres. Hæ sunt undecim Matrices nullo inter se cognationis vinculo conjunctæ: atque has inter se diviserunt Ecclesiæ Constantinopolitana & Romana. Et quidem commercio characterum quintuplicis generis, Latinorum, Græcorum, Hieronymianorum, Ruthenicorum & Gotthorum. Nam & ipsi veteres Gotthi suos characteres habent, Sacra alioquin Græco ritu celebrantes, lingua veteri Gotthica: in usu autem quotidiano magna ex parte Teutonissant.

Istarum vero linguarum Matricum in occidentaliore quidem Europæ parte versus meridiem *Latina* viget, cujus varie admodum mutatæ distortæque propaginibus utuntur *Hispania*, *Gallia*, *Italia*: versus septentrionem *Teutonica*, cujus dialecti Teutonismus specialioris notionis & Danismus. Prior usurpatur, non exiguo tamen discrimine, in Germania tam superiore, quam inferiore. Posterioris tres sunt differentiæ, Danorum Limitaneorum, qui Daniam; Australium, qui Sueviam; Septentrionalium, qui Norvegiam habitant. His adhæret *Finmarchia*, cui peculiare est idioma, propaginem habens Lapponicam, qua utitur Lappia.

In Orientaliore Europæ parte ad Septentrionem Slavonica obtinet, quæ in multas propagines est diffusa. Nam in quibus ibi regionibus non ejus usus? Gaudent ea populi, quos fere majorum nostrorum temporibus longe lateque habuisse constat superiorem inferioremque & Mœsiam & Pannoniam, Daciam, Illyricum, Dalmatiam, Sarmatiam & alias: qui hodie Poloni, Hungari, Transilvani, Walachi, Livones, Lithvani, Podolii, Moldavi, Bulgari, & alii.

Europæ laus.

Laudes Europæ apud Strabonem describuntur libro secundo hoc modo: *Europa virorum virtute præditorum ac civium feracissima, reliquas partes plurimis suorum bonis impertiit. Tota enim habitationi apta est, demta exigua portione, quæ ob frigus incoli non potest, contermina Hamaxicis ad Tanaim, Mæotidem & Borysthenem incolentibus. Habitatæ autem partes algidæ & montosæ, quanquam ob naturam loci ægre coluntur: tamen si curatores nactæ bonos, ea etiam mansuescunt, quæ male prius & latrocinii in morem colebantur. Ita sane Græci cum montes ac saxa insedissent, commode habitaverunt, propter prudentiam rerum civilium, artes, & eorum, quæ ad vitam degendam requiruntur, peritiam. Et Romani multas gentes in potestatem redactas, feras ob locorum naturam, quod vel aspera essent, vel portubus carerent, aut ob frigus aliisve de causis habitando, incommoda, commerciis ante ignotis docuerunt uti, & de feris civilem vitam agentes redegerunt. Quæ vero partes in æquabili & temperato sunt situ, iis ipsa natura opitulatur ad commode vivendum. Iam cum quæ gentes vivunt in regione felici, eæ pacis sint studiosæ, quæ autem incolunt loca sterilia aut incommoda, pugnaces sint ac fortes: fit ut mutua utrimque beneficia accipiantur, dum Europa.* *hi arma ad defendendum accommodant, illi terræ fructibus, artibus, & morum institutione hos juvant: quemadmodum & manifesta utrinque sunt damna, cum altera pars alteri non fert opem: arma tamen habentium est aliquanto melior conditio, si non vincantur numero. Atque ad hæc natura Europæ suam habet opportunitatem. Tota enim montibus & campis varie distincta est, ut ubique & agricolæ & milites, & civilis vitæ & belli studiosi juxta se ponantur: major tamen sit numerus pacem colentium: quod vitæ genus obtinet maxime industria Ducum, primo Græcorum, deinde etiam Macedonum & Romanorum. Itaque Europa & ad pacem, & ad bellum abunde sibi ipsa sufficit: nam copiam habet magnam & pugnacium & terram colentium, & urbes conservantium. Eo quoque excellit, quod optimos fert fructus ad vitæ necessitatem pertinentes, & metalla quæcunque usui sunt: odoratas autem res, & lapides pretiosos extrinsecus important, quibus qui carent, nihilo deterius vivunt iis qui possident. Accedit, quod pecoris abundans, feras damnosas paucas alit.*

Montes.

Præcipui Europæ montes *Pyrenæi* celebrantur, Galliam ab Hispaniâ secernentes: *Alpes*, Galliam, veteremque Franciam ab Italiâ separantes: cujus valla propugnaculaque habentur: montium in Græcia famigeratissimi, *Pelion* & *Ossa*, Thessaliæ: Mons *Athos* Macedoniæ; Xerxis in Græciam irruptione navali clarus: *Acroceraunus*, *Pindus*, *Parnassus*, in ipsa Græcia: *Sueonius* mons, Sueciam à Norvegia dividens: *Cethius*, aliquot Pannoniæ regiones disjungens: *Carpathius* mons, Scythas, Sarmatasque, provinciasve ipsis habitatas, & sub hoc nomine descriptas, secernens: mons *Apenninus*, totam Italiam findens, ejusque longitudinem dimetiens: *Garganus*, Apuliæ mons. Quos tamen primo enumeravimus loco montes, Pyrenæos inquam, Alpesque, peculiari specialiorique descriptione dignos judicamus. Pyrenæos quod attinet, Græco vocabulo ita dictos esse constat; & quidem optimè: cum montana hæc loca Græci ferantur olim insedisse; ab Oriente, sive ab Occidente: longo extenduntur tractu, ab illo quippe ad Occiduum usque Oceanum eopse servato nomine celebrantur; Celtici etiam Promontorii (vulgo *Cabo Finis Terræ*) accolæ, proximum sibi montem Pyrenæum nominant. Vera igitur horum longitudine ab Oriente in Occidentem ducta, & Pyrenæos ad fluvii Iberi fontes versus Meridiem ductos, *Idubedorum* nomine Veteres dixêre; hodie sub Montis Oca vocabulo cognitos, ab antiqua urbe, cujus Villæ-Francæ, viginti supra Burgum milliaribus, comparent vestigia. Ocam priscorum Orospeda sequitur, paululum sub Moncayo ordiens: Hunc Calpius mons Ptolemæo aliisque veterum dictus, in freto Herculeo, sive Gibraltare. Hæc Pyrenæorum montium portio hodie *Gebal Tarik* dicitur, à Tarik, Maurorum Vandalorumque, Andalusiam eo præeunte, penetrantium, duce fortissimo, nomen mutuata. Orospedæ adjacet excelsa rupes, Hispali Granatam petentibus occurrens, *Peña de los enamorados* vulgari dicta vocabulo: Historia, quæ nomini originem dedit, huc non faciente. Et proximè Orospedam, *Alcaras* versus, mons *la Sierra Morena* se offert, ad cujus radices fluvius *Quadalquivir*, *Bætis* veterum, secundùm montem labi-

Pyrenæi.

labitur, seque tandem in Oceanum præcipitat. Pyrenæi itaque, totam complexi Hispaniam, eam ab Galliâ sejungentes; cui non minus contigui sunt, quantum ad limites Navarræ, Bearniæ, Foxiæ & Catalauniæ, se ad Occiduum Mare usque protendunt, & septentrionem versus, magno illo Vlyssiponensi promontorio maritimo terminantur. Plures ex Pyrenæis fluvii scaturiunt, Garumna, scilicet, *Latet* Comitatus Roussilionensis, aliique.

Alpes. *Alpes*, montium famosissimi, Italiam, Galliam, Germaniamque contingunt, posteriores duas ab Italiâ, muri nativi instar separantes. Veterem Gallorum, Germanorumve linguam nomen sapere videtur; quanquam suæ Græci tribuere voluerint. Pomponio Melâ eas in Thraciam usque protendente; Tacito Alpium Pannoniæ recordante; Ausonio & Aulo-Gellio eas cum Pyrenæis confundentibus; &, ipsis reapse, longitudine, ambituque suo ad mare Ligusticum se extendentibus, ubi maritimarum nomen sortiuntur, videntur porrigi per Sabaudiam, Helvetiam, Grisonum terras, Bavariam, Dalmatiamque in Serviam usque, ubi in duo se bracchia, ramosve fidentes, per Thraciam Ponto Euxino terminantur uno: altero, per Macedoniam, promontorio Actio: at verò illas hucusque non lustrabimus; extensioni ejusque oræ insistentes, nominibus, quibus indigitantur, recensendis, acquiescemus. Alpes maritimæ, mari Ligustico vicinæ, primo veniunt loco; has Cottiæ sequuntur, Ptolemæi judicio, quæ regno nomen suum impertiunt; ducuntque ipsæ, Antonini Hodopœrio, sive Itinerario teste, à Mediolano Arlesiam usque; quarum cacumen celebratius est quo ex Pedemontio in Delphinatum transitur, montis Genebræ nomine notum. Hannibal plerisque hac transisse creditur. Præterea Mons Susâ per Ferrettum ducens, ad S. Dionysium usque, Postam dictum, unde Moriennam descenditur, aliàs montem Cenis; ubi Strada Montana, via ordinaria, quâ è Galliis Romam itur, etiam Alpium Cottiarum est: quâ Carolus Magnus, Theodoricum regem Longobardorum debellaturus, usus est. Alpes Grajæ ad minorem S. Bernhardi, Tarentasiumque & S. Mauritium viam sternunt; cui magnus mons Cenis proximus est Turino Tarentasiam flectens. Has Penninæ excipiunt; quæ non unam ferunt nominis originem; cui expiscandæ insistere supersedebimus. Ad montem S. Gottardi eas communior opinio locat; nisi ipse constituat Alpes Lepontias, ut vult Merula, vel ad Majorem S. Bernhardi montem. Alpes, Iulio Cæsari Summæ vocatæ, sequuntur, ex Simleri mente; (qui singulari de Alpibus agente libro prolixius ea de re disserit:) non sunt accipiendæ aliæ quàm elatiores, earumve cacumina altissima. Alpes Rhætiæ Como Veronam ducunt: mons Adulas, Grisonibus modernis *Colmen de Olcello* dictus, earum pars; sive mons S. Bernardini, à Grisonum terra Bellizonam usque porrectus. Et Adule adjacet mons Grisonibus *Colmen del Orso* vocatus. Alpes Tridentinæ, Noricæ, Carnicæ, & Pannoniæ, sive Iuliæ, ultimo veniunt loco, Venetæ quoque nuncupatæ: Venetæ Reip. dominia terrasque complexæ, iisdemque vicinæ. Mons Taurus, Saltzburgici Episcopatus partem constituit; eique in hodiernum diem denominatio adhærescit. Ex Alpibus, Padus, Rhodanus, Durancius, aliaque Galliæ flumina, itemque Rhenus, Galliam à Germania dirimens, & Danubius, ut alibi meminimus, scaturiunt. Alpes præterea lacus, fontesque varios formant, crystallos, metallaque ferunt; celsissimæque arbores & vastissimæ, plantarum communium, rariorumque & ignotarum copia maxima, (quam Gesnerus & Simlerus maximam partem prodidere, avibus aliisque animalibus, quadrupedibus, Alpinis, haud præteritis) iisdem debentur Alpibus.

Lacus. Lacuum omnium, (quos in variis Europæ provinciis partibusque esse constat, qualis est Hibernia, aquis maximè scatens,) quos Helvetia Italiaque habet, sunt celebratissimi. Lacus Lemanus, aut Genevensis, præstat omnibus, quem Rhodanus transversim permeat, aquis tamen haud confusis; lacus item Constantiensis, Tigurinus, Lucernensis, Neo-Castrensis, haud dubiè ex aquis, Alpinis de montibus confluentibus, scaturientes. Nec Italia lacubus destituta: lacus *Benacus*, *Lariusque*, & Perusiæ Trasumenus, & Braccianus *Lago Maggiore* vocatus, *Verbanus*, & alii, fidem dicto faciunt.

Fluvii. Ingentibus pulchrisque Europa irrigatur fluviis, si ulla Mundi pars; quales quidem Danubius, aliàs Ister, horum præcipuus; sexaginta alios recipiens, alveo suo confluentes; sex seque ostiis Oceano immergens: quæ tanta sunt, & talia, ut in decem German. mill. longitud. aquæ marinæ, Danubio confusæ, dulcedinem contrahant: Rhenus item, Mœnus, Vistula, Dravus, Savus, Visurgis, Albis, Germaniæ notissima & clarissima flumina, in ipsâ etiam Sarmatiâ: Ligeris, Garumna, Dordognâ, in Gallia; Rhodanus, ex Helvetiâ profluens Genevaque; Padus Italiæ; Tamisis Angliæ; Bætis, aliàs Guadalquivir Hispaniæ; quorum fluviorum, eorumque scaturiginum & cursus, in cujusque Provinciâ peculiaris injicietur mentio.

Qualitas. Europa clementi, temperatoque fruitur aëre; Septentrionales ubi oras exceperis, longiùs remotas, supraque 60. latitudinis gradum sitas, ingenti frigore pressas. Africa solis subjacet fervoribus, præterquam loca sub linea Æquinoctiali sita, quæ dies noctibus æquales numerat; & licet Asia, Orientalior Europâ, abque Æquinoctiali remotior circulo, temperatior haberi possit, si generatim capias; Moscoviâ, Tartariaque, Septentrionalioribus, exceptis: Europæ partes, regionesque cunctas si perpendamus, seu Occidentaliores, mageque ad Meridiem vergentes; quales sunt Hispania, Gallia, Italia; aut ad Boream, qualis tota Germania, superior, ac inferior, Dania item, Suecia, Norvegia; sive Orientaliores spectemus, Aquilonem versus tendentes, quales veteris Mœsiæ incolæ, Pannoniæque & Illyrici, atque Sarmatæ; quos hodiè Walachos vocant; Muldavenses, Bulgari, Hungari, Trans-Sylvani, Dalmatæ, Poloni, Livoni, Lithvani, aliique complures, nulla omnino inter ipsos regio dabitur, quæ cultoribus incolisque vacua existat. Damus ultro, ex Strabonis ipsius, Euro-

Europæis minimè suspecti auctoris testimonio, quorum terras eximiè deprædicat, frigora intensissima tantâ infestare violentiâ Septentrionales oras, Tanain versus, lacumque Mœotidem, & Borysthenem, ut non absque ingenti discrimine, summisque periculis incolantur; quamquam ex ipso cœlesti graduum latitudinis situ, cum sint sub octavo climate, deberet aër eodem pollere temperamento, quo Bituriges, urbesque Aurelianensis & Parisiensis; attamen editissimi hujus regionis montes in causa sunt, cur hi tractus, qui aliàs calere deberent ob ventos Borealem & Septentrionalem inibi conclusos, necnon & ob nives arctissime mancipatas, adeo gelu rigescant, ut nemini mortalium videantur habitabiles. Regiones Pyrenæis, Alpibus, & nonnullibi Franciæ montibus finitimæ, ut in Delphinatu, Languedociensique territorio, & in Rutenorum, Arvernorumque finibus, etiam fertiles sunt, modo cultoris manus operam adhibeat. Quidquid autem superest Occidentalioris Europæ, quæ vergit ad Meridiem, nimirum Hispania, Francia, & Italia, si fervidi & molesti vigeant ibi calores, ipsi etiam fructus quos producunt, ardente Sirio excocti sunt, ut mala aurantia, citronia, ficus, granata, malopepones, per Hispaniam, Italiam, Provinciam, atque inferiorem Occitaniam, ubi etiam palmæ, quemadmodum in Africa visuntur, nec non & olivæ proferentes oleum, cujus innumera sunt commoda, tum in condimentum ciborum, in Medicinæ usum, & lanificium; taceo gratissimos racemos, & muscatelos. Porro sæpius ægra laborant valetudine, quicunque sub ardenti climate degunt; ibi enim ut plurimum morbi epidemii seu populares dominantur, imo & ipsa pestis sævissime grassatur. Hanc perpessa est aliquando inferior Occitania, quasi inundans in omnes illius civitates diluvium. Germani, Sueci aliique Septentrionales populi, firmiori potiuntur valetudine, viribus & robore, quibus & pharmaca minus in usu sint, quam cæteris Europæ habitatoribus. Variolæ, quæ varia sortiuntur nomina, parvulis Occitanorum quasi pestis imminet.

Animalia. Quantum vero ad ea, quæ quidem Europa profert, & nutrit animalia, Elephantes aut Camelos ibi non videas, nisi aliunde, ex Africa nimirum aut Asia advehantur; sed in pretio est mulorum & equorum ibi nascentium robur, ad deferenda quæcunque onera; Arvernorum regio, nec non & Gabalorum, ipsaque Germania, ac oræ finitimæ, in hunc usum animalia ista suppeditant; Italia vero, Hispania, Sardinia, regnum Neapolitanum, Gallia, Anglia, quædam gignunt, quorum ostentare volunt eximiam corporis habitudinem. Et quidem Italia, Sardinia, & Regnum Neapolitanum equos jactant egregios, generosos, præstantissimos, quorum mirere venustatem in justâ membrorum symmetria; Gallia profert vividos, alacres, periculorum avidos, imo impatientes; Hispania & Anglia exhibent velut quædam complacentis sibi naturæ oblectamenta, equos nimirum, quorum breviuscula quidem compages, sed absque ulla succussione pernicissimos atque velocissimos, in quibus etiam mirere, insignem prorsus, imo & amabilissimam venustatem. Quid referam canum venaticorum totâ Europa copiam? aliorum in varias possessorum delicias, domorumque & gregis custodiam: Fœcunda est genitrix Anglia celebratorum tantopere molossorum; quin & Germania, cum adjacentibus provinciis, strenuos adeo nutrit, qui adversus hominem cataphractum, proprium possint dominum, & tutari, & acriter vindicare. Ceterum paucas admodum feras, aut beluas procreat Europa.

Mores. Tam variis excolitur populis Europa, diversisque adeo linguis utitur, ut undecim recenseantur linguæ matrices, & doctissimus ipse Iosephus Scaliger enumeravit; qua de re specialem sectionem, titulumque proprium assignamus; vigetque adeo etiamnum Europæorum cum cæteris nationibus commercium, ut nimis videatur arduum, antiquorum & modernorum hujus partis Vniversi habitatorum qualitates, virtutes & vitia ad veri normam referre. Quia vero territoria & Status Europæ maximas vicissitudines pertulere, succedentibus, invadentibusque populis exoticis ex Asia, & aliunde, variisque nationum in ipsam Europam transmigrationibus; hac de causa vetustorum mores seorsim non attingemus; præsertim cum deinceps, insistendo sigillatim in cujusque Regni aut Status descriptione, mores ac consuetudines speciatim referentur, quod sufficere poterit ad id quod in generali exposceretur: neque eadem ratio est Europæ, quemadmodum Africæ, Asiæ & Americæ; quarum mores & ritus potuere generalius exprimi; nam apud Europæos non modo unumquodque Regnum aut Status suos sortitur proprios mores, quin & minima Europæ provincia; imo & cujusque regiunculæ, urbiumque habitatores suo agendi modo ab invicem discernuntur; hæcque eximia mundi portio, populis, regionibus amplissimis, elegantissimisque scatet urbibus, quæ descriptione singulari donantur. Græci veteres & Romani hanc nacti fuere indolem, ut toti in arma litterasque proclives existerent; qua de re antiquorum refertissima sunt monumenta. Prisci Gallorum suas etiam habuere propensiones; sed commixtio Romanorum Gothorumque, qui eos sub jugum miserunt, horum indolem alterarunt; quin & Franci è Germanis oriundi supervenere, qui nomen regionis & regni in Franciæ appellationem commutarunt. Veteres quoque Hispani suopte agebant genio, prout in Romanorum voluminibus memoratur, qui & illis confusi sunt vastatâ etiam Numantiâ, quæ & postmodum abs Iulio Cæsare solo æquata est. Mauri, Vandali & Sarraceni postmodum advenerunt, qui mores & idioma permiscuere cum eo quod Romani injecere. Gothi atque Lombardi perverterunt corruperuntque Italiam, ubi successivè rerum summâ potiti sunt. Antiquissimi è Germaniâ populi tolerarunt etiam, quamvis strenuâ & pertinaci resistentiâ, propugnantibus eorum Ducibus Arminio & aliis, sub Romanis Imperatoribus, eorumdem arma ac dominationem, cum suarum permutatione urbium Rerumque publicarum, impositis per ipsos variis appellationibus, commutatis quoque suis moribus ac consuetudinibus.

bus. Priscæ etiam memoriæ Britanni, qui Insulas Britannicas Albionemque inhabitarunt, Romanorum arma experti sunt, Cæsaris nempe, aliorumque Imperatorum; quin & Saxones, Picti, nec non & Angli eisdem sedibus successerunt, propriumque sibi idioma unà cum ritibus introduxerunt; quemadmodum Normanni, Galliâ cum suo Duce Guilielmo Conquestore egressi, voces Gallicas intulere, nec non & leges, quibus etiamnum utuntur. Præsuppositis ergo tantis rerum vicissitudinibus, jure merito condonandum est, si mores antiqui à modernis nequaquam discernantur; qui tamen ut non penitus silentio transmittantur, præsertim in iis, quæ nationes primarias totiusque Europæ celeberrimas concernunt; illud observari operæ pretium est, Germanos laboris esse patientissimos, rudes quidem & lentos, verbis & actionibus simplices & apertos, qui & inter cantilenas velut ululatus edant, neque ullam affectentur in victu decentiam; prosequantur autem id quod utile est, quodcunque negotium peragant, dominabundi, quandoque etiam intolerabiles, superbi, vindictæ cupidi, feroces, bello venales; attamen religiosi, laboribus addicti, in mechanicis exercitatissimi, ac demum qui vini delicias mulieribus præferant. Iam verò Gallos quod attinet, ii sunt in incessu modesti, gestu blandi, quique omnem decentiam præ se ferant, vultu & voce mira suavitate respersis, idiomate facili, qui, ut plurimum gratissimos inter canendum modulos edere norint; convenientibus etiam præditi sunt moribus, primis tamen iracundiæ motibus abrepti, in negotiis quandoque non admodum cauti, in victu supra modum profusi, in alienigenas humanissimi, in conversatione comes, amicitiæ non adeo certæ, sed levis inconstantisque, minaces quidem, sed nusquam subsecuto effectu, rebus suis intenti, non adeo in labores propensi, quos & interdum aversantur, in bello strenui, sed præcipites, inprimis totius civilitatis amatores, atque Religionis zelo ferventissimi. Itali lentè procedunt, incessu graves, vultu leves & varii, quemadmodum & gestu, sermone utuntur molliter & submisse prolato, versuti sunt, & qui suis sermonibus incautos irretiant, quamquam graves sint & magnifici moribus & agendi ratione, providi, nitidi, & in victu honesti, inter conversandum prudentes & circumspecti, uxorum usque ad zelotypiam amantes, ad arma prompti, sed ad immanitatem fere truces. Ceterum scientiarum avidissimi sunt Hispani, sermone politiores, verum passim jactabundi, astuti, secretorumque tenaces, aliqualem in victu munditiam sectantes, peritissimi rerum suarum dispensatores & œconomi, cum alienigenis facientes, irreconciliabilis prorsus odii, rerum suarum solliciti, rapinis in bello addicti; in iis quæ pelagus concernunt, supra quam credi potest, intelligentissimi, quo in negotio ceteris præcellunt Lusitani; quod & de Anglis Hollandisque non perperam efferri potest, nationibus utpote negotiationi potentissimis, queis nec ullatenus cedunt Itali. Porro Hollandi tum ad arma, tum ad litterarum studia aptissimi sunt, & sedulam utrisque navant operam. Ex præallatis omnibus innumeræ annotari possunt Europæ dotes, quæ totum velut Vniversum suo sinu claudit, quæ homines nutrit ad omnia habiles, atque instructissimos. Olim fuere Angli, quàm sint hodie, præstantiores, præsertim si prisca eorum gesta, imo & nuperrima cum Gallis in memoriam reducantur; forsan Aquitania illis pro tempore subjecta strenuos suppeditavit milites; attamen magno animo mortem contemnunt. Ceterum Angli ut & Scoti, quamquam ad inopiam redacti, superbiæ sunt pene incredibilis, bonis tamen literis addictissimi; genio spirituque scientiarum capacissimo, ut Hispani ipsi, Italique; qui subtiles, ac ingeniosi, promptique feruntur, vel id ipsorum scriptis testantibus; quin imo ipsos etiam Germanos, Gallosque, plura quidem, at vulgatiora tamen, scriptitantes, genio & ingenii acumine lo ngè excellunt.

NORVEGIA,

QVÆ EST

EUROPÆ

LIBER PRIMVS.

SERENISSIMO
POTENTISSIMOQVE
DOMINO,

FREDERICO

TERTIO,
DEI GRATIA
DANIÆ,
NORVEGIÆ,
GOTHORVM
VANDALORVMQVE
REGI;
SLESVICI,
HOLSATIÆ,
ET STORMARIÆ
DVCI;
NEC NON
COMITI
OLDENBVRGI
ET DELMENHORSTÆ,

RE-

REGNORVM
DANIÆ
AC
NORVEGIÆ
TABVLAS
ET
DESCRIPTIONES

HVMILLIME
OFFERT, DICAT,
DEDICAT,

JOANNES BLAEV,
AMSTELÆDAMENSIS.

NORVEGIA

Nominis origo.

ha
cùm
histori
dem reg
ut & aliorum reg
Monarchicum supre
ptus esset, regnantium,
jorum suorum nonnullos, parentem maxime Porre, Thor aliis dictum, Gothlandiæ, Finiæ, & Kuenlandiæ Regem, non incelebrem suo tempore Principem, numerasse fertur; cui tantus à priscis Norwegiis delatus honos est, ut, (quod & hodie Yslandi observant) mensem Thorre ab ipso denominent, qui, juxta veterem Iulianum stylum, in diem 10, 11, 12, 13, 14, 15 vel 16 Ianuarii incidit; varie enim eum, juxta Calendarium, stylumve suum, inchoant; &, eo quod Thor ipso hoc mense diis vitulum immolare assuevisset, Kuenlandii eum post obitum numinis instar coluere, quotannis hunc ipsum mensem, ejus honori consecratum, anno, quem à solstitio hyberno inchoabant, feliciore fruituri, feriari soliti; cujus mensis nomen Thor, postmodum in Porre deflexit.

Noor rex Norwegiæ,

Ejus familia:

Majores hujus Noor cuncti ad Fermot usque Finnorum Regem, ejusdem tritavum, recensentur; cui tres superstites filii, quorum unus Logie, ob singularem formæ præstantiam Halogie, id est, illustris & elata flamma, vocatus est; & hic idem ille Princeps fertur, à quo provincia Terra-Sancta, sive *Heylige Landt*, prope Trunhem, nomen sortita est.

Goæ etiam, Noori sororis, & Thori filiæ, subreptæ & abductæ eadem monumenta mentionem faciunt, quamobrem Noorum filium parens ad eam repetendam ablegavit; quod iter ut feliciter succederet, novum Thor deorum cultum instituit, eo mense, qui secundus à primo (postea Thorre dicto;) eique Goæ à filia nomen indidit, quæ denominatio eidem usque adhuc apud Yslandos remansit.

De Gooro, Nori germano fratre, & Gylva,


...isse
...us functus,
...uam igni imperitans:
...alogie nomen indidit. [4] *Qui & ...atus est; quod utrumque nomen à frigore geluve descendit.* [5] *Nivem denotat dictio hæc: ejusdem cognomentum Senior fuit, quod trecentos annos vixisse crederetur.* [6] *Nimbosam nivem indigetat.* [7] *Nivem indicat, tempestate compressam, sive induratam.* [8] *Contrariam superiori nivem, & absque vento decidentem.* [9] *Ab eo Norvegia denominata est, cujus primus ipse Monarcha, supremusvè Imperator perhibetur.*

Haraldus Pulchricomus, in recta linea descendenti, duodecimus ab isto Noro fuit, licet eum ipsum aliqui, sed perperam, primum Norwegiæ Monarcham constituant; tertius enim fuit hujus Monarchiæ restaurator: constat etiam Hemag, Odini filium, medium inter hunc & Noor Principem hujus regni sedisse.


Paulo ante tempora Haraldi Harfageri, ultimis Scandinaviæ finibus imperitavit[a] Rex, qualem tum ea secula ferebant, Dumb dictus, cujus uxor Miolla erat Kuenlandiæ Regis Filia, ad latus Dumbshaf sitæ, (ut ex Angrini Ionæ veteri tabula discere licet) & se ad Norwegiæ Finlandiæque limites usque extendentis Provinciæ. Dumb legitur hic habitasse ex adverso inter extimam agri septentrionalis oram, & insignem Oceani sinum, à Wardaöhus orientali plaga, & ab hodiernis Septentrionalibus Dumbshaf, ut continens terra, ad Wardaö, Dumbmen, & angulus ejus oræ, quæ Kibar complectitur, Dumbsnes vocatur.

a Prisci Norwegiæ reguli.

Dumb, cujus modo meminimus, filium, cui Bardo Snefelsas nomen erat, habuit; qui primos ætatis annos in Dofrafiell (hodie Dorrefiel) apud Dofronem, Norwegium gigantem, trivisse legitur; cujus filiam, Flamgerdam, factus adultior uxorem duxit. Dorrefiel verò, humilis, amplus & incultus fertur ager, ad septentrionalem vallis Gulbrandæ oram, qua viatoribus ab



10



vulgo *Stockvis* nominant, cujus generis infinitus pene numerus ad Bergenses exportatur, quapropter etiam *Bergervisch* sæpenumero plerisque vocitatur. Indigenæ asellum *Torsch* vocant, Hispani *Bacalao*: Decimas hujus piscaturæ Regi solvunt: quæ mense Ianuario laudatissima est, quo tempore ob intensius frigus facilime exsiccantur hi pisces, & mare ipsum copiosiores, opimioresque illos præbet; qui postea, frigore ita indurati, & in fustes extensi, per universam Europam mittuntur. Sed & ex oris Ansloacis maxima piscium *Makreel* dictorum copia suppeditatur, adhibito salis condimento, non alias, sapidissimorum. Cæterum in hujusce tractus pelago piscium monstra quædam reperiuntur, quorum vel unus tantummodo triremes plurimas strenuis etiam viris munitas possit ineluctabiliter evertere, atque in profundum demergere. Ad littus quoque, quod magis ad Septentrionem proclinat, occurrunt Rosmarsi, aut potius Morsi, sic à genuina ipsis feritate cognominati, quia nimirum quoscunque possint arripere dilacerent membratimque sæve admodum dilanient; elephantorum autem ipsi molem magnitudine adæquant, capite vero formam bovis referunt, hirsuta pelle, necnon pilis densissime agglomeratis; dentibus veluti uncis quibusdam in prærupta summaque scopulorum cacumina sese attollunt, ut herbis inibi succrescentibus pascantur, indormiantque, & postmodum alto exinde mari sese præcipitent, ni prius è rupibus suspensos profundus obruat sopor, tunc quippe à piscatoribus furtim accedentibus impacto illis vulnere illigantur, hacque ratione facillime abducuntur: dentium porro præstantia, potissima eorum capturæ assignatur causa, quo enim apud Indos ebur est in pretio, eodem apud Tartaros atque Moscovitas hujuscemodi dentes esse censentur: Præterea etiam secundum Norwegiæ littora piscis è pelago rotundæ omnino sed formæ prorsus monstruosæ invenitur, *Suansvisch* dicunt loci habitatores, omni penitus est figura destitutus, massæ adipaceæ ex toto assimilatur; & ultra quam credi potest distenditur, atque ita immensum dilatatus ut non possit amplius, devoratos à se pisces, ore, quod ventri proxime adjacet, è visceribus evomit: totum tandem quidquid est marinum istud monstrum, hoc omne mera pinguedo est. Balænis præterea admodum infestatur occidentale Norwegiæ littus, quod impenetrabilis profunditatis passim perhibetur: quas ut arceant à littore nautæ, Castoreum aqua dilutum in mare effundunt, cujus odore confestim immane illud Nerei pecus dissipatum, se in profundum abdit.

Mores. Optimæ sunt indolis Norwegiæ habitatores, absque fuco, simplices, exterorum amantes, adeoque in proximos officiosi, ut quæcunque possident propria, sponte lubentissimeque aliis communicent; olim certe gratis præstabant obsequia, nunc autem eadem tenui prorsus stipendio exequuntur; rapinæ aut latrociniis ex suopte genio nullatenus dediti, quod quidem illud evincit, nempe quod pelagus illis adjacens à piratarum excursionibus sit omnino liberum, cunctisque inibi navigantibus undiquaque securum.

Norwegia.

Bergenses incolæ sunt utplurimum è Germania aut Norwegia oriundi, cæteri autem variis è regionibus ducunt originem. Norwegi porro strenui sunt milites, utpote nullis prorsus deliciis aut cupediis innutriti, sed vitæ incultæ, agresti, magicisque artibus impense addicti.

Anno DCC & siquid excurrit, Norwegi, qui etiam Nortmanni, civilibus acti dissidiis, deserta patria sua novas sedes quærere instituerunt, omnemque Saxoniam, Frisiam, Scotiam, Angliam, Galliam, Flandriam, excursionibus suis vexarunt; Ambianum, Atrebatum, Cameracum, Terrouanum, Neomagum, Leodium, Tungros, Coloniam Agrippinam, Aquisgranum, aliaque loca ferro & flamma vastantes.

Exercitia. Inter præcipua gentis exercitia, venatio, piscatio, pecorisque per pascua deductio & custodia recensentur. Piscationi incumbentes magna sæpesæpius incurrunt pericula; & quidem alimenta vitæ sustentandæ necessaria in multos dies secum deferunt; nam dum Aselli majoris capturæ Ianuario, Februario, Martioque mensibus inhiant, viginti aut triginta omnino dies, antequam ad suos redeant, elabuntur.

Victus. Vbi magis ad Septentrionem vergit regio, ibi incolæ pane destituuntur, sed pisce ad solem exsiccato vires reficiunt; Proceres autem, & qui præ cæteris opibus eminent, panem ab exteris accipiunt, eoque in conviviis lautioribus vescuntur. Pagani vero Australis oræ, necnon & Bergensium finitimæ versus Daniam, non solum pane, sed & cæteris vitæ tuendæ necessariis abunde muniuntur, quin etiam venatione, aucupio, piscatu victitant. Porro carnes piscesque, quibus utuntur, saporis sunt prorsus ingrati & omnino fere insulsi, atque ad putredinem plus media parte accedentis, quantumvis ii qui littus incolunt, plurimum salis suppeditent. Neque iisdem casei desunt, quos ubi vermibus scatere viderint, tum demum summis habent in deliciis, putredinem hujusmodi sapidissimi ad instar condimenti reputantes.

Habitatio. Summi Norwegiæ littoris ad Septentrionem accolæ in subterraneis specubus degunt, horrent quippe perflantis Boreæ asperitatem atque inclementiam: eorum etiam nonnulli adhibitis monstrorum marinorum costis & ossibus tecta satis commoda sibiipsis ædificant.

Opes Regis. Danorum Princeps maximos ex halecum captura aggerit proventus; hi autem secus oppidum *Marstrand* nomine, ab Archangeli Michaëlis solennibus ad Christi natalitia expiscantur ea plane copia, quæ plurimis Europæ provinciis abunde sufficiat.

Populi. Tota fere quanta est Norwegia, frumentis aliunde exportatis victitare cogitur, iis quoque annis quibus tellus agricolarum votis responderit; frumenta vero piscium pelliumque permutationibus communiter exsolvuntur. Littoris accolæ sal & in proprium & in alienigenarum usum hyemali præsertim tempestate affatim excoquunt; majori enim tum pollet acumine, quam si per æstatem elaboretur concoquaturque. Summum totius regionis apud Bergenses viget commercium, ibi enim abs Daniæ Principibus institutum est; quippe ampla cum sit hæc

B regio,

regio, multosque suo sinu complectatur cultores, & vix ullam suis è visceribus frumenti copiam præ frigoris asperitate suppeditet, annonæ subditorum sibi populorum prospicientes, propositis immunitatibus & privilegiis, frequentes è Germania institores ad Bergense emporium pellexerunt, quin & Magistratu, quem *Comptoor* vocant, suis legibus apprime munito eosdem exornarunt. Hac demum ratione instituta est frumenti à Germanis mercatoribus permutatio cum exquisitis pretiosissimisque Norvegorum pellibus, asellis majoribus, cæterisque regionis piscibus, lignis, butyro, tergoribus, balænæ adipe, aliisque id genus mercibus, quæ hinc ad alias Europæ provincias exportantur: augescentibus demum indies hujusmodi commutationibus, multi quoque huc lucri dulcedine capti convenerunt; at ne ex tanta mercatorum frequentia quid emolumenti decederet, lusus *Gautenspiel* dictus ab iis adinventus est, à quibuscunque ad Bergenses commeantibus inibique habitare in animum inducentibus, necessario subeundus. Is porro lusus multorum commovebat animos, variis quippe modis agitatur; flagellantur enim nonnulli, lutoque, immunditiis & sordibus passim circumvolvuntur; alii navim conscendentes, inde in pelagus velut absorbendi præcipitantur, postmodumque funibus extrahuntur; alii tandem denso fumo expositi hoc fere pacto immaniter suffocantur; enormiaque hujus generis in consortium negotiationis ambientes etiamnum perpetrantur.

Ex frequente autem Wardhus & D. Nicolai in Russia navigatione, quæ nunc temporis perficitur, refriguit apud Bergenses celebris ista negotiatio, præsertim cum eo loci, Wardhus nimirum, Kilduyn & Malmos ingens piscium venum exponatur copia, tum vel maximè, quod illuc adventantes piscaturæ ipsimet invigilent, piscesque mari exemtos, aut ventis siccandos objiciant, aut sale in futurum asservandos diligenter condiant. Porro cunctis hisce ex portubus mali, trabes, tigna, asseres, omnisque generis robora Belgicis ædificiis, aliisque commodis inservientia, ab institoribus exportantur; quin & omne adipum genus, pellium, tergorum, nucularum, Asellorum majorum atque minorum, hinc evehitur, halecum item, quorum captura princeps ad duodecim amplius leucas circa oram Mastrandicam bimensis spatio protenditur: hinc tandem butyrum & sebum immensâ copiâ in exteras provincias distrahuntur.

Regnum. Regnum est hæreditarium, Daniæ jam ante duo circiter secula per connubium, quod cum *Haquino* regina *Margareta* iniit, nexu indissolubili adunitum: quemadmodum in historia memoratum. Civitates nominatissimæ sunt *Nidrosia*, *Bergæ*, *Stavangera*, *Asloa*, *Masterlandia*. Quæ & arces habent ac præfecturas amplissimas, quibus & annumeranda loco ultimo *Vardhusia*, ad Russiæ usque fines boreales exporrectum.

Ecclesiasticus status. Statum quod attinet ecclesiasticum, Norwegia in quatuor Episcopatus dispertitur; Opsla, vel, secundum extraneos, Anslo, Stavanger, Bergen, & Trunhem, aut Dronthem, quorum singuli hodie à suo Episcopo, qui Superintendens mutato nomine vocatur, reguntur.

Res civilis. Si Septentrionis à Witfeldio conscriptæ Chronologiæ fidem adhibemus, Episcopatui Opslo 350 Ecclesias annumerabimus, cui 135 Sacerdotes inservire dicuntur. Stavanger Ecclesias habet 133. Ejus Superintendens M. Laurentius Scavenius, Parochias 46 numerat. Episcopatus, qui à montibus dicitur, (*Bergerstift*) continet ecclesias 148, tantum autem 37 Parochias, juxta Witfeldium. Dronthem 298 Ecclesias, & 76 Pastores numerat.

In rebus civilibus Norwegia regulos habet, qui dicuntur *Lensmannen*; quorum præcipui quatuor, qui *Stichts-Lensmannen* appellantur, & Arcis præfecti; quatuor enim in toto regno castella clara sunt.

BAHVSIA,

Norwegiæ Arx prima.

Prima arx versus Meridiem sita Bahuys appellatur, hujus fundator Haquynus IV, anno Virginei Partus 1309 fuit; supra rupem in Trolhetta fluvio ad fines Westgotthorum. Subdita est ei universa quæ appellatur Wichiæ provincia, vulgo *VVigzyden* dicta: civitates, quæ sub ejus sunt jurisdictione, Kongel, Odewal, & Maerstrand.

AGGERSHVSIA,

Secunda Norwegiæ Arx.


Aggershusia, alterum Norvegiæ castellum sive arx, viginti quatuor supra Bahusiam milliaribus. Asloæ oppidum sibi propinquum habet. Ex hac provincia celsissimi navium mali asseresque ac tigna ædificiis idonea, ingenti copia quotannis in Hollandiam, Hispaniam & alias oras evehuntur. urbes totius districtus sunt, primò, quam dixi Asloa, exteris vulgo Anslo, & Opslo indigenis dicta, sedes Episcopalis; itemque Tonsberga ab Asloa septem versus occasum milliaribus: Fridrichstadium, Saltzburgum & Schina: Vbi fodinæ cupri & ferri sunt, & nuper etiam argenti in confiniis ibi repertæ studio regis Christiani IV. Hammaria major & minor, regiones olim peculiari Episcopo claræ; nunc Asloensis inspectioni commissæ, viginti supra Asloam milliaribus, boream versus. Quarum, ut ante meminimus, Thylemarchia occasionem dedisse Procopio videatur totam, qua patet, Scandinaviam Thyles afficiendi vocabulo. Ad curiam Asloæ ex universa Norvegia causæ litesque graviores devolvuntur, ibique jus dicitur, præsente arcis præfecto, qui veluti regni Norvegici totius Gubernator habetur.


EPISCOPATUS STAVANGRIÆ.

EPiſcopatus Stavangrienſis, cujus metropolis eſt Stavangria ad magnum ſinum in peninſula poſita, in has dividitur præfecturas : *Stavangersleen, Dalarne, Ieren, Liſterleen, Mandalsleen, Nedenesleen*, & *Abygdelag*. Magnum ad Stavangriam ſinum præternavigantibus celebris iſtarum regionum occurrit inſula, Scudenes incolis dicta, tribus milliaribus longa, vix dimidio lata.




DIŒCESIS
STAVANGRIENSIS,
& partes aliquot vicinæ,
operâ L. SCAVENII, S.S.
MARE
GERMANICUM,
Vulgo De Noord Zee.
Apud Joh. et Cornel. Blaeu.
Milliaria Germanica communia.
DIŒCESIS
BERGENSIS
PARS.
STAVANGER STIFT.
HALLING DAL.
OPSLO
TELLE
MARCK.
VIGSIDEN
AGDESIDEN
Iutiæ pars
Skudenes
Listerland
Lindesnes
Fielde field
Sep tentrio
Meri dies
Occidens
Oriens
11





EPISCOPATUS STAVANGRIÆ PARS AUSTRALIS.

Milliaria Germanica Communia.

1 2 3 4 5

Septentrio · Meridies · Occidens · Oriens

OPSLOENSIS DIŒCESIS

BERGENSIS DIŒCESIS PARS

AGGDESIDE


TELLEMARCK


Hic incipit iter per Diœcesim Bergensem in Hallingdaliam et Valdresiam.

Heic instar rami protenditur mons ille DAAREFIELD celeberrimus et maximus, qui totum Norvegiæ Regnum in duas difsescit partes: quarum altera dicitur NORDENFIELDS, altera vero SYNDENFIELDS: et sortitur alias atq; alias appellationes pro accolarum multorum varietate.

Findaaß · Skudenes · Listerland · Lindesnes · Der Neus · Stavanger · Bucken Fiord · Houcklefield · Breffuefield · Ioglefield · Tusse Vand · Nordsøe Vand · Byglefield · Heckefield · Aferald · Katter Aaß · Lunde Vand · Brecwater

12





EPISCOPATVS
STAVANGRIÆ
PARS BOREALIS.

Hâc itur difficili admodum via per HARDANGRIAM *superato tandem monte vastißimo duodecim miliarium cum tribus amnibus periculosissimis, in partem Dioecesis Stavangriensis Septentrionalem,* HALINGDALIAM *scilicet &* VALDRESIAM.

Heic instar rami protenditur mons ille DAAREFIELD *celeberrimus et maximus qui totum Norvegiæ Regnum in duas dispescit partes: quarum altera dicitur* NORDENFIELD, *altera vero* SYNDENFIELDS: *et sortitur alias atq; alias appellationes, pro accolarum multorum varietate.*

Milliaria Germanica Communia.

EPISCOPATVS BERGA.


Berga Metropolis.



Erga, universæ Norvegiæ, totiusque Episcopatus Bergensis Metropolis, vel à montibus, vel à recipiendis occulendisque navibus nomen habet; est enim ejus portus amplissimus ac tutissimus, cinctus undique altis montibus, in eoque naves ab Oceani furore commode servantur. *Berg* autem mons est; *Bergen* occulere, servare, custodire. Vrbs admodum antiqua est, quippe cujus & Plinius, & ante illum Pomponius Mela mentionem faciant. Melæ verba hæc sunt: Thyle Bergarum littori opposita est, Grajis & nostris celebrata carminibus; in ea quod Sol longe occasurus exsurgit, breves utique noctes sunt, sed per hyemem sicut alibi obscuræ; æstate lucidæ; quod per id tempus jam se altius evehens, quanquam ipse non cernatur, vicino tamen splendore proxima illustrat; per Solstitium vero nulla, quod tum jam manifestior, non fulgorem modo, sed sui quoque partem maximam ostendat. Non sum nescius, codices quosdam habere initium periodi istius hoc modo, Thyle Belgarum littori opposita. Sed ut ante nos alii recte adnotarunt, vitiosa est ea lectio. Nihil enim commune Belgis cum Thyle. Plinius quoque ex Pomponio, aut aliunde, Bergam describens, *Sunt*, inquit, *qui & alias produnt Germanici Oceani insulas, Scandiam, Dummam, Bergas, maximamque omnium Nerigon, ex qua in Thylen navigatur.* Erravit quidem quod insulam dixerit, sed nos hoc nunc non agimus. Illud sufficit, Bergam, vel Bergos, vel Bergum, priscis notum fuisse. Iornandes quoque Bergionis meminit insulæ: neque est dubium quin hunc locum voluerit designare. Oppidum Bergense cum portu suo in recessu est, sub gradu latitudinis 61. Ad quem per sinum, qui *Carmesunt* vocatur, contenditur, rupibus utrimque imminentibus, & fauces dispari spatio munientibus, per aliquot milliaria. Estque sinus profundus, ut qui naves onerarias CC atque amplius lastarum, sine periculo in portum deducat ad ipsas usque mercatorum casas, ubi vel anchoras jacere, vel saxis funes suos alligare licet. Sunt enim rupibus immissi annuli ferrei in istum usum. Ac videtur opportunitas ista condendæ primum urbi occasionem majoribus dedisse. Distat vero Berga à Schagem (quod oppidum est in extrema ora Iutiæ Boream versus, notissimum nautis) milliaribus propemodum LXXX: Et à Bahusia, quæ versus Meridiem est, secundum flexuosum maris littus milliaribus circiter centum; & à freto *Carsund*, versus Corum milliarium decem. Diem habet longissimum XX, brevissimum IV horarum. Cives &incolæ partim è Germania sunt, partim è Norvagia; quam Plinius Nerigen dixit: suntque his alii quoque populi permixti; invitante ad migrationem quoslibet lucri spe. Ad Occasum est arx regia *Bergershusia* dicta, in qua Præfectus jus dicit. Cujus Præfecti imperium agnoscunt Præfecturæ, *Sundhornleen*, *Noordhornleen*, *Soghne*, *Sundfiorde*, *Noordfiorde*, & *Sundmerleen*, aliæque. Sedes hic est Episcopalis, subjecta Archiepiscopo Nidrosiano. Ædificia sacra satis sunt splendida: ut & ea quæ ab Anseaticis exstructa sunt. Viliora ex trabibus inter se compactis constant, cespite viridi constratis tecti loco. Anseatici mercatores à Regibus Daniæ concessis variis privilegiis huc allecti sunt, ut regionem annona, cujus ibi ingens penuria est, reficerent. Illi, quos & *Osterlingos* vocant, longissimo tractu universam eam urbis oram, quæ vulgò de *Waeg* dicitur, amplexi, domicilia sua conjunctim habent, quæ *garten* appellant. In his sunt Lubecenses, Dantiscani, Colonienses, Hamburgenses, Bremenses, aliique: quibus suæ cuique stubæ ac bodæ, ut vocant, sunt, ad quas urbium suarum, unde oriundi, naves advectis mercibus exonerant, aut avehendis replent, atque in Germaniam demittunt. Curiam certis statutis atque legibus ordinatam habent. Cujusmodi curiæ sive *Cunctoria*, ut vulgo vocant, quatuor in Europa sunt nominatissima: *Brugense* olim in Flandria; *Londinense* in Anglia; tertium *Neogardiæ* in Moschovia, quartum in hac urbe *Bergense* dictum. Ad hoc igitur ex omnibus regni provinciis ac civitatibus quidquid est preciosarum pellium, præcipue vero induratorum piscium, vel per mare majoribus navigiis, aut per lacus ac fluvios scaphis, lembis ac myoparonibus minoribus defertur, aut per equos invehitur: Pisces frequentiores alii salpas, alii strumulos vocant. Germani *Rootscheer*, vel, ut dictum, *Stockvisch* appellant. quorum laudatissima captura est in Ianuario, dum frigus superest, quo indurentur. Nam qui clementioribus mensibus capiuntur, marcescunt, neque idonei sunt ut exportentur. Est & genus piscium, quod *Helleflunder* vocant, Rocharum speciem præ se ferens, longitudine, quinque aut pedum sex. Hos pisces ob magnitudinem dissecant, ac crassiores partes *Rekeling*, reliquias tenuiores & pinguiores *Raff* appellant, quæ ob saporem amabilem in deliciis habentur. Vt autem numerus peregrinorum, præsertim eorum quos ex urbibus Hanseaticis adventantes *Garpen* indigenæ vocant, intra modum consisteret, nec omnibus societas sine discrimine æque pateret, certos ludos ad deterrendos delicatiores instituerunt, quos **Gautenspill** vocant, in quibus aut cæduntur, aut in cœnum conjiciuntur, aut fumo tetro excitato in corbe suspenduntur, qui in Societatem sunt admittendi. Qui ludus quamvis non parum incivilitatis præ se ferat, tamen inventum esse ad lautioris fortunæ homines sufflaminandos, dubium haud est. Sæpe hoc oppidum, quod ædificia sint lignea, incendiis est deformatum.


DIŒCESIS
BERGENSIS
TABVLA.
Septentrio.
Meridies.
Occidens.
Oriens.
MARE GERMANICUM.
Fielle
fiell
Hardanger
Halling
Dall.
Milliaria Germanica.
1 5 10
STAVANGER.


14



EPISCOPATVS DRVNTHEM.



Idrosia à Nidero flumine nomen habet, vulgo *Trunheim* & *Trunten* appellata. Metropolis olim totius Norvagiæ fuit; Et sedes quoque Archiepiscopi, ad quem non modo Norvagiæ, sed & Islandiæ, &, ut erant tum tempora, Groenlandiæ quoque & Orcadum pertinebant ecclesiæ. Nunc regium præfectum & Episcopum solum habet, mercimoniis aliàs ac negotiatione tam indigenarum quam exterorum perquam celebris. Exstat hodieque templum cathedrale, argumentum pristinæ fælicitatis, cui magnitudine & cæsorum lapidum artificio vix aliud in orbe Christiano simile fuerit, nisi illud superioribus annis incendio fœdatum, veteris suæ magnificentiæ nunc rudera tantummodo ostentet. Sacrum est beato Olavo. præter hanc Basilicam templa insuper habuisse XII sunt qui tradant. Quam autem diœceseos suæ pomœria hodieque late extendat, indicio sint, præter insigne quondam *Bakæ* monasterium, circumjacentia insuper territoria, ut sunt *Herdalia*, *Nomedalia*, *Hellegelandia*, *Frostena*, *Indera*, *Heroa* aliaque. Præfecto enim, qui ibi est, Nidrosiensi subsunt præfectus in *Noordmeer*, *Surendael* & *Sundael*: præfectus insularum *Hiteren*, *Foosserleen*, *Stadsbugden* & *Noortbugden*: præfectus in *Nomendaal*; Præfectus in *Inderoyen* & *Suaassen*; præfectus in *Schoorsdaal*, præfectus locorum *Strinden*, *Selboe*, *Leenstrand*, *Buynes*, *Schonien*; præfectus in *Guldael*, *Meldael*, *Orckedael*, *Singesogen*, *Ronde boe* & *Opdael*, præter quos præfectus quoque est qui bonorum ecclesiasticorum & monasterialium curam habet. Gubernator in *Saltem* septem sub se præfecturas habet; *Helligeland*, *Saltem*, *Loffoeren*, *Westrollen*, *Andenes*, *Sennejen* & *Tronso*. Quibus & ultimo loco accensenda, quæ in ipsa Suecia Angermanniæ contermina est, pecore & pascuis præpollens, *Iamptiæ* ditio.



DIŒCESIS TRVNDHEMIENSIS PARS AVSTRALIS.

GERMANICUM MARE.

HITTEREN.

FILLEWEER

Oerilandt

SCHONGEN.

Dronthem

Dofre Fiell

Runt Fiell

Skars Fiell


Roms dalen

Holtalen

Salbo

Funnesdhal





FINMARCHIA.

Nomen.



INMARCKIA Takemarck vulgo dicitur; non ea tamen à Loxsund orditur, inter Loppen & Noordfogdo, quæ Præfecturarum Salten & Wardaohuys limites constituuntur: tota vero plaga, quæ circumcirca à Sanjes ad Dornmesnes se extendit, ea est, quæ Takemarck vocari solet; Quamvis enim Norwegia & Nordlandia universa in certas possessiones, v. c. agros, sylvas, flumina, &c. sub regia jurisdictione, dispertiatur, & Rex ibi habeat exactores tributorum; quæ, prout loci fert commoditas & constitutio, sunt butyrum, pelles, piscesque: ea tamen ora, quæ à Septentrionalibus Takemarck, aut Finmarckia dicta, nullius propria est, at cuilibet tota patet; siquis loci quid occuparit, possideat licet, non proprietate, sed solo usu, sub hac conditione, ne impedimentum afferat vicini sui piscatui. Et sic quidem fert mos Septentrionalium, insulas, marisque littora incolentium. Indiscriminatim vero Finni mare versus tendunt, pro lubitu, huc illucve singuli; ac facile demigraturi: ligno enim circa stationes suas consumpto, aliò versus se conferunt. Terras suas Finni maximam partem hybernis tempestatibus repetunt; petito æstivis piscatus ergo mari. At Septentrionalium illi, qui oras Heymeland & Takemarck, ipsasque insulas inhabitant,& in rupibus etiam sive Holmis, v. c. Stappens, (queis Batavi nautæ Matris cum Filiabus nomina indidere) victum sibi quæritant, hyberno simul æstivoque tempore suis manent fixi locis; Ecclesiis, Pastoribusque in Trom Suroy, Maggero, Wardao & pluribus aliis locis beati. Iidem vero ipsi serioribus huc venere sæculis, cum constet, anno à Salutifero Virginis partu 890, testante quæ de Octero extat Historiâ, littora hæc, ac septentrionalem Terræ-Sanctæ, ipsis *Heiligeland*, plagam, habitata necdum fuisse.

Opes.

Sub aspero hoc & inclementi climate morantium Septentrionalium opes potissimum asello, (pisci ipsis *Torsch* dicto) debentur; unde nobilissimus ac preciosissimus Norvegici regni unio non immerito ipse æstimatur. Anseaticarum civitatum Conventus ordinarii Bergæ olim cum haberentur, Norvegia & Septentrione universo capiendi aselli facultas penes Berganos erat, qui insulanos omnes deduxerant. Littora hæc, & humiliores Norvegiæ oras incolentibus populis, Danico Germanicoque idiomate usis, Finnorum lingua omnino rara, & infrequens, imo Latina, Græcave barbarior visa est; & quod magis est, vix unam alteramve voculam, quæ veterem Septentrionalium nationum linguam saperet, ipsis usu retinentibus.

Torsch piscis Hollandis *Cabellauw*, Hispanis *Bacalao* dicitur: pisciculos, piscium vix numero accensendos, quosque Norvegii *Lodd* vocant, asellorum sustentationi & victui Natura destinatos voluit, unde & ipsi istic loci maxime abundant, ubi & piscelli Lodd.

Piscatura.

Piscatura omnis, quæ decimas Regi contribuit, vel uno potissimum asello constat; (eo quod rarior ibi sit capitosus piscis, Belgis *Schelvisch*, aut *Hysing*;) & in amplioribus lacunis, plurimum vero in aperto mari, loco aliquantum à continenti remoto exercetur. Loddi, de quibus jamjam diximus, pisciculi, ut pisci Torsch, ita & cetis sive Balænis (Septentrionalibus *Hwalen*, & *Qualen*) alliciendis sunt; qui certa anni tempestate ad hanc terram, & per euripos natant, atque ab Austro Occidentaliora terræ penetrantes, per insulas ostio Tromsond egrediuntur in mare; aut inter loca Sil & Suroy ingressi, per eum, quem *Refsbotten* dicunt, evadunt, vel ab hoc longius Maggersont ad Keelwijck, circa littus, aliquando & in Tanefioerd appellentes, maris exitum repetunt, quibus itineribus æstatem transigunt, fœtum fundendi tempus.

Verumenimvero, licet anni tempestas cetorum generationi opportunior priscis incognita non fuerit, nunquam tamen Septentrionales populi ipsam curiose videntur observasse; qui eas in septa breviumque fauces redactas maluerint, ut interceptæ & peremptæ ipsis de sua pinguitudine subministrarent. Anno tandem CIƆ IƆ CXIII Benjamin Josephi eorum, qui capiendis Balænis ex Anglia Spitsbergam, ad Borealem Finmarchiæ oram, missi essent, Præfectus, Germaniæ, quas isthic loci invenerat, Hispaniæque & Galliæ navibus expilatis & dispulsis, cognito ex Gallorum relatu Balænarum his in Finmarchiæ partibus, quem ipsi animadverterant, transcursu, navi Gallica conscensa, Keelwijck versùm, Spitsberga relicta, contendit; sed ejus anni æstate jamjam exspiratura, nullo successu. Sequenti anno XIV, Keelwijckium reversi feliciore multo, adeoque non pœnitendo proventu; ne tamen ambitione moti sibi ipsis omni ex parte beati videri possent, prædariis Danorum navibus circumventi, hostili animo spoliati traduntur. Horum gestorum fama diversi exciti populi, libera ut & sibi concederetur iisdem in locis piscandi facultas, avidis animis petiere: unde Severinus Severini, Consul Bergensis, & ejusdem civitatis alii plures, Daniæ Norvegiæque Regis favore & beneficentia, impetrarunt, ut ipsi, aliis quibuslibet libere admissis, se Balænarum Septentrionalibus oris capturæ prompte accingerent: qua occasione factum est, ut Bergani simul ac Batavi, in Suroy, Keelwijck, ac Tromsond; Angli, Danique & alii Septentrionalium populi,Daniæ ac Norvegiæ Regis muniti diplomate,in Ingem cetorum inquisitioni,&, si succederet, capturæ (nunc his, nunc illis magis favente aut adversante fortuna) libere intenderent.

Balænæ, quæ in Takemarck, & Heimeland capiuntur, paulum minores sunt Spitsbergensibus;


FINMARCHIA
OCEANVS SEPTENTRIONALIS.
LAPPONIA
Maggerøe.
Refsbothen
Stromfond
ENERA TRESK.
Marck
Milliaria Germanica
Milliaria Lapponica
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens

16.

bus; ejusdem tamen formæ, substantiæ & qualitatis; pinguitudine sua, & ambare constantes, at succino destitutæ.

Cetos capiendi modus & ratio supra memorata, in Spitsbergæ descriptione, accuratius loco suo enodabitur.

Præter piscem capitosum, & Balænas, Finmarckia maritima diversi generis pisces alios, quales sunt, aselli, rhombi, nec quidem parce subministrat, qui omnes in rupium summitatibus vento expositi exsiccantur. Fluminum ostia, Oceano proxima, alii item Sueciæ Norvegiæque fluvii Salmonum copiosissimo proventu celebrantur: quorum illi, qui in Altenbotten, & Taenelve (quæ loca à Finnis, & aliquibus jam Septentrionalibus gentibus occupantur) capiuntur, præstantiores habentur.

Antiquitus Finni, ripas maritimas incolentes, tribus Dominis tributum pendere cogebantur, magno Russorum Tzar, aut Principi, Sueciæ item, & Norvegiæ Regibus; quod hodieque præstant illi, qui interiores habitant oras, quales sunt Finni, qui in suis Fielden, id est, in certis sibique propriis districtibus morantur, de quibus suo loco, & Lappones: at Russis de jure suo, quod sibi in hos Finnos competere ajebant, cedentibus, & (sic pacto convenerant) Suecis hoc ipso concesso, penes Suecos Salmonum captura, quæ in interioribus Provinciæ fieret lacubus, remansit; qui variis in locis aliquot propugnacula iis tutandis, jam exstruxerant: Daniæ Rex moleste hoc ipsum ferens, his & aliis majoris momenti de causis irritatus, Sueciæ Regnum hostilibus armis divexare aggreditur, quæ amica dein subsecuta compositio repressit; qua conventum, ut Rex Daniæ Sueco terram *Iempterland* dictam, jam pridem Sueciæ Regni membrum, sed Norvegiis oppignoratam, cederet: Sueciæ Rex contra omnimodam jurisdictionem sibi hactenus in Finmarchiam maritimam usurpatam, in Norvegiæ Regem transcriberet: unde effectum, ut hi ipsi Finni, uni tantum Principi, (non amplius tribus) Regi Norvegiæ soli, tributa pendant; cui, præter solitas ex piscatu decimas, singuli Patresfamilias imperialem thalerum annuatim contribuunt; adeoque ipsi obstricti, ut, quodcunque tandem tributum, aut vectigal, præter solita, Rex ipsis sit injuncturus, sine tergiversatione præstare teneantur.

Mores. Misere vivunt populi hi; quicquid enim lucri, lucellive sibi ex piscatione cedit, potu incauti absumunt; ut cui maxime addicti; adeoque sueti, ut navibus Germaniâ appellentibus, Rostochiensi, similive cerevisia fortiori, mulsoque (ipsis *Loddekees*) provisis, se his totos ingurgitent: quod si negligantur, aut prohibeantur, (quod perraro accidit) irritati retinacula doliorum incantationibus suis dissilire faciunt. Utriusque enim sexus omnes promiscue magicis artibus incumbere & instructi traduntur. Multa præstigiarum eorum exempla admiranda prorsus circumferuntur, nempe: Conjurare ventos, navigantibus secundos aut exitiosos futuros: arma etiam, & ipsos sclopetos, ut nec homo, nec bruta bestia inde lædi possit: adde, quod novi si quid rescisse aveas, longinquis licet & remotis regionibus, id præsagire & edicere accurate possint: & quod magis mirere, certo destinato & nominato loco, paucis interlabentibus horis, quodcunque tantùm petieris, vel à centesimo usque milliari, & quod excedit, præstare & efferre tibi posse. Horum penes authores fides esto: quicquid tandem ejus rei sit, unicum hoc in medium adducam, quod nautarum quidam, proprio exemplo doctus, sibimet evenisse, mihi totus affirmavit. Interrogatus ille ex Finno, num quid cuperet nosse quicquid tandem foret, nihil sibi inde salarii petere præter cantharum mulsi, ipsis Loddekees; Hic, diu considerabundus tandem scire avet, an quis ex Germania sive Septentrione nauta brevi huc esset appulsurus? Quo audito, oblique montem Finnus descendit, expansis manibus, humi procumbit, nullo præterea adhibito gestu; horæ vix quadrante, aut semihora elapsa, redit, seque sodalitio jungens, nautæ appulsuri nomen, diemque distinctim expressit: quod ipsum rei eventus verum esse postea aperuit.

Pastorum tamen, in Sontsteden, aliisque vicis partim Finnicis, partim Septentrionalibus introrsum constitutorum, religiosa diligentia, Præfectorumque, his iisdem locis imperitantium, vigilans cura infelices has artes nonnihil exterminarunt; Finnorum aliquibus, paucis tamen, ad Christianismum perductis; pene cunctis, tam qui sub inspectione sunt Ministrorum Septentrionalium, quam Fieldensibus, qui in suis Fielden miseri discursitant, ignorantia prisca, idololatriis & incantationibus solitis pertinacissimis animis adhærentibus, & ferarum more, miserabilem & vere deplorandam vitam viventibus. Facti adultiores, natura incalescente, ad Venerem proritati, indiscriminatim, nullo vel cognationis habito respectu, coëunt; imo, provectioris ætatis viri, motu proprio, nautis uxores suas (quas *Acke* dicunt) blande offerunt & exhibent, modo mulsi cantharus benefici salarii loco ne renuatur.

Lingua. Præterea Finni, maritimi littoris accolæ, hodie aliam loquuntur linguam, totam à Fieldensium lingua diversam, adeo ut, nisi per interpretes, invicem intelligere nequeant. Porro Finni Fieldenses iidem plane sunt qui Lappones, Regni Sueciæ subditi: adeo ut qui Rerum Septentrionalium auctori Fin, Sueco Russove Lap sive Lopkin dicatur: ut ex Historia allegata Barduri Snefelsas, (ubi Tornelapmarck Dumbi, Finnorum Regis, Provincia constituitur,) liquido apparet: ut & ex narratione de Octero, quam subjungemus, ubi extima Lappia Teer-Koy-Finnia vocitatur. Hujus populi regio, Russis ac Suecis, ipsisque incolis Lappia, Lapporumve terra nuncupatur.

Regimen. Prisco totius Norvegiæ exemplo, Majestas Regia Finnos Fieldenses regit, scilicet, singulæ regioni singulo rege constituto. Agrestibus Præfectus, agros, campos, montesque habitantibus, Fieldensium, aut Fiel-Konga (rex) appellitabatur: at qui maris littori, aliisve & similibus locis præsidebant, qualia sunt, ad Scutenes, Stadt & Kynnes, Nessa Konga vocitabantur: maximam vero horum partem Haraldi Harfagi authoritas sibi

sibi subegit, Iare, sive ducibus creatis. Vnde etiamnum, ut & olim, Finnorum Fieldensium Præpositi Konga fuere dicti; quos Principum & Iudicum suorum instar habuere, & coluere, decidendis omnis generis litibus & contestationibus, quibuscunque tandem exortis, (ut puta de hæreditatibus,&c.constitutos:cuique enim certus destinatur locus, cujus fines capreis suis transilire non permittitur; de Septentrionalibus conquesturi,eorundem se sistunt judicio, aut dicâ sibi ab aliis scriptâ, se ipsos purgaturi:verbi causa, pone sequentem casum: Finnorum capreis plus justo appropinquantibus ipsorum agros sativos,ut quæ plurimum afferant detrimenti, maxime nocivis animalibus. Præterea, qui Septentrionalibus viciniores morantur, Præfecto, Arcisve Domino annuatim tributa exsolvunt, quæ unicuique familiæ constant ex pelle castoris, martis, lutræ, aut tandem capreæ; licet singuli venatus decimas sibi Præfecti, æque ac piscatus, avidi arriperent; cautiores unde Finni, ut hoc onere sublevitentur, præterito Septentrionali littore, Suecicum petunt; ibique, quot, quantasque possunt, pelles venales exponunt. Cui fini, annua fora constituta obtinent in Iempterland, circa S. Catharinæ festivitatem, unum, ad meridionalem Hamerdaels plagam; & Dominica Palmarum alterum, (Nundinas vocant) ad Borealem ejusdem: ubi mercaturæ incumbunt; caprearum, alcium, luporum, vulpium, ursorumque pellibus cum Suecis, aliisque Finnis Orientalibus permutandis; quorum vice vinum adustum, farinam, pannos, & alia vitæ & victui necessaria recipiunt: non enim tota ipsorum regio inculta sationi, multo minus messioni, commoda est: unde sibi de omnis generis feris, v. c. vulpibus, (æstate, cinerei, hyeme albicantis coloris) ursis, capreis, leporibus, perdicibus, &c. prospicere adeoque, vitam sustentare necesse habent.

Pauperis Iri invisior, optabiliorque Crœsi status nec ipsos latet: caprearum si quis numero præstet, hic vero ditiorum ipsis matriculæ facile inscribitur: & sunt, qui harum quadringentas, quingentas, sunt & qui plures proprias sibi numerent: quas, vaccarum nostratium caprarumque instar, mulgent, & inde lacte expresso, caseum ac butyrum conficiunt.

Dies ipsis festus hilare agitur, urso confosso, cui festivitati mulierum nulli interesse licet: istius etiam feræ ossibus aqua coctis, durante festo, eam lætissimis animis potant.

Mulierculæ, liberique, ocreis, loculis, manticis, ex pellibus conficiendis insudant, quas, modo sibi singulari, nec ineleganti, nervulorum filis concinnare & lepide norunt connectere.

Capreæ pellibus à capite ad calcem hyeme contecti maxime incedunt; æstate, totos viridi se induunt panno,ut viridescere videantur, agrorum instar, quos incolunt miselli.

Venatum egressi, patrem comitantem, dierum saturum, & præ decrepita ætate pedem vix promoventem, arbori alligant, & ipsum inclamant, ut isthic maneat, dum Zycus (nobis lupus) venerit discerpturus: aliquando vivum sub terram defodiunt, atque miserum & exanime cadaver magna copia lapidum lignorumque injecta opprimunt.

Regem suum, vita functum, arbori cavæ indunt, ipsamque montem supra collocant; quandoque ipsum arbori superimponunt,creduli,venti vehementius spirantis ministerio cælum versus ferri; aut, quod verisimilius, ab urso tandem discerpi.

Finnorum quidem, ut diximus, maris accolarum, pauci admodum, nec nisi coacti, Christianismum recipiunt; Ecclesias licet frequentent, infantem Baptismo oblaturi, aut publico ritu matrimonium inituri, etiamsi aliquibus jam annis carnali copula mixti convixerint: miseranda adeoque eorundem est conditio: deploratior vero & miserior multo Fieldensium est hac ex parte; Christianorum fidem & ritus omnimodo detestantium & abhorrentium.

Idololatricos ipsi suos exercent cultus, erectis lapidum lignorumve cumulis (clam tamen, pœnæ formidine, Septentrionalium Præfectos) venerationem superstitiosam exhibentes: in montium summitatibus ex pluribus arborum ramis convectis, altare exstruunt, capreas omnisque generis volucres offerendo: cui quidem cultui summam tribuunt sanctitatem. Saxa, ipsis erecta, ejus plane sunt substantiæ, molis & qualitatis, cujus passim in agris suisque Fielden inveniuntur.

Templa apud ipsos ædificari non concedunt, nec Pastores admittunt; mali ominis utrumque deputantes. Ex ditioribus aliquando Finnus Confessionis & Communicationis Sacramenti à loci Pastore admonitus, fertur respondisse: simpliciores vivimus, & minutias istas nescimus: antiquo nobis more vivitur, utique à majoribus nostris accepto. Maxime vero, ipsis sapere videntur, qui accuratius norint, à pluribus retro annis, ecquos agros, sylvasque Majores sui incoluerint; quando deseruerint: licet enim Fieldenses non uno eodemque loco fixi demorentur, sed anni tempestate diversa & habitatione varient; singulæ tamen familiæ proprium sibi hæreditate adquirunt locum. Quod ut rectius intelligatur, notandum est, Majores unius familiæ sex septemve Cœrulorum spacia ex hac alicujus montis parte obtinuisse, altera ex ista ejusdem totidem plurave occupante: quæ spacia singulæ familiæ posterorum usui hæreditate adquiruntur: verumenimvero quod Cærulum dicimus, spacium loci puta, quo itinera sua dimetiuntur; monte cæruleo apparente terminatum. Oræ istæ, quas Fielden vocant, tandiu unius sunt familiæ, ibique harum proprietarii fixi resident tandiu, dum feræ isthinc dilabantur: hæ aliorsum si tenderint, & ipsi, individua bestiarum sodalitate innexi, demigrant, se suaque hæredióla ferarum arbitrio misere permittentes.

Capreas domesticas domum à pascuis fistulatu solito Finni revocant: & si quis iter aliquovorsum instituat, petenti à Finno traha conceditur, cum duobus bacillis, tum addita caprea, cui in aurem herus aliqua insusurrat verba, tantum, quantum jussa, spacii protendit, quo ubi perventum, gradum sistit, nec, quantumvis afflicta verberibus, ulterius progredi audet.

Lingua. Absurda videtur admodum & inconcinna Finnorum lingua, sed qui cum Septentrionalibus familiis conversantur, maximam partem & eandem percipiunt.

Descriptioni huic Finmarchiæ finem impositurο, narrationem non inlepidam subjungere visum est, mercatoris ad convivium Trunhemii invitati relatu, cui ipsi Finnus, (Finnorum Regis Snaassensium nepos,) interfuit, qui illud sequenti oblectamento condivisse asseritur. Ipse hic Finnus, venabulo accepto, venatorem agit, famulus canem, qui manibus pedibusque conclave perreptans, allatrando, feram indagat; Finni uxore ursum simulante, sub mensa reptante, & grunniente, tota feræ non simulatæ instar; urso animadverso, venator, jamjam transfixurus feram truci vultu videbatur; ac ipsa non cessura, quadrupes proreptitat, erecta posterioribus anterioribus se defensura pedibus, seque venatori confidentior offert; at papæ! quam avide prosilientem canem videris, feram morsibus, atrocissimis discerpturum! Unde hæc mortuæ instar animi deliquium fingens prosternitur; venator tum scenæ actuique finem impositurus, fœminea venabulo inter posteriores pedes attingit, numquid animi vitæque restaret animadversurus. Hanc scenam tam lepide actam non sine risu & applausu præsentes convivæ prosecuti sunt.

Decem numerat Finmarchia Parochias; primam, Wardaohuys, sub qua duo Sacella, in Vadsöen unum, in Kiberg alterum; secundam Ommegangs-kercke; tertiam Skottingbergs-kercke; quartam Kielings-kercke; sub qua Sacellum in Hellenes, quod idem sub Maggerô & Keelwijck; quintam Thunes-kercke, ad occidentalem Kniefskanes plagam, etiam sub Maggerô; sextam Hiellemskens-kercke, sub qua ædicula Stappen versum; septimam Ingienskercke; octavam Meifioerds-kercke ad Suroy; nonam Sörffuerds-kercke, cui Ecclesia in Harswoge annexa; decimam & ultimam Loppers-kercke: has nobis loci Minister, Pastorali ibi officio dudum functus, designavit. Fieldenses, ut diximus, nullas Ecclesias penes se admittunt; adeoque his Finni destituuntur. At illi, qui hic & isthic, in Arö & alibi morantur, Septentrionalibus Ecclesiis proximi, eadem ipsa lingua Orationem Dominicam norunt, vernacula ignorant.



DANIA,

QVÆ EST

EUROPÆ

LIBER SECVNDVS.

SERENISSIMO
DOMINO,
CHRISTIANO,
DANIÆ,
ET
NORVEGIÆ
PRINCIPI
HEREDITARIO;
SLESVICI,
HOLSATIÆ,
ET
STORMARIÆ
DVCI;
NEC NON
COMITI
OLDENBVRGI
ET
DELMENHORSTÆ,

RE-

REGNI
DANIÆ
TABVLAS
ET
DESCRIPTIONES

HVMILLIME

OFFERT, DICAT,

DEDICAT,

JOANNES BLAEV,

AMSTELÆDAMENSIS.

DESCRIPTIO DANIÆ,

Auctore Ioanne Isaacio Pontano, Historiographo Regio.

Nomen.



Anicæ gentis Danicique nominis origo quæ fuerit, si Saxonem Grammaticum, authorem domesticum sequimur, *Danum*, Humbli filium, primò id nominis genti dedisse, multis antè Christi natalem annis, reperiemus. Andreas Vellejus, vir literatissimus, regiusque olim Historiographus ac ipsemet Danus, à *Dahis* Scythiæ populis, & voce *Marc*, quæ non limitem, sed regionem significet, *Daniæ* ac *Danemarchiæ* vocabulum repetendum potius putavit. Alii ab ultima origine *Dan* sive *Danum*, Iacobi Patriarchæ filium, *judicem* Hebræis denotantem, deducunt. Nec desunt, qui *Dacos* itemque *Danaos*, Græcanicam gentem, Danorum conditores asserant. Quos inter Dudo fuit, de S. Quintino dictus, cujus hæc verba sunt: *Daci nuncupantur à suis Danai vel Dani, glorianturque se ex Antenore progenitos.* Sanè *Daciæ* nomenclatura tam altè, præsertim Latine scribentibus, hæsit, ut instrumenta etiam publica, à regibus olim promulgata, *Daniam* ferè ubique *Daciam* vocent. Quæ & secutus videtur Polydorus Virgilius, qui Anglicæ gentis Historiam Latinè contexens, haud aliter ferè *Danos*, quam *Dacos* nominat. At harum originationum vix ulla est, quæ solidi quidquam inferat. Nam ut de Humbli filio *Dano*, deque *Dan*, judice Hebræis intellecto, nihil nunc dicam, nonne illud de *Dahis*, deque *Dacis* & *Danais* eadem, qua asseritur, fiducia atque affirmatione negari ac refutari meritò potest, cum authoritatem præsertim, qua nitatur, vetustam, aut verisimilitudinem, præter levem aliquam nominis allusionem, nec eam satis convenientem, non habeat? Vnde Saxo noster Dudonis, qui, ut dictum, à Danais & Trojanis Danos arcessebat, opinionem coarguens, statim initio Historiæ suæ ita loquitur: *Dan & Angul, à quibus Danorum cœpit origo, non solum conditores gentis nostræ, verum etiam rectores fuère. Quamquam Dudo, rerum Aquitanicarum scriptor, Danos à Danais ortos nuncupatosque recenseat*: innuens scilicet haud minori se jure *Danum* adducere ac tutari, quam *Danaos* Dudonem. Quæ cum ita habeant, veriùs ex gente *Dansciorum*, quos in ipsa Scandia agnovit ipse Ptolemæus, ortos progressosque Danos autumamus. Nam à borea, austrum versùs, populorum egressus atque expeditiones, quæ quidem certis authoribus sunt proditæ, exceptis, quæ in sacris scripturis occurrunt, de quibus mox, esse factas, in confesso est apud universos. *Dacos* igitur aut *Dahas Danaosque*, qui genti dedisse originem volunt, quibus illi authoribus eorum ad boream traductionem demonstrabunt? Ptolemæum idcirco, authorem confessione omnium, sive fidem seu vetustatem spectemus, egregium ac classicum, sequendum omnino præferendumque superioribus putamus, qui haud vanè Danschionum, borealis, ut dictum, populi, vocabulum fando exaudiens, *Dansciones* hic statuit, ubi & hodieque intelliguntur, ac proximas lateque patentes boreæ oras populosque uno illo ac communi *Danschionum* vocabulo comprehendunt. Nam suum licet habeat *Scandia* sive *Scandinavia*, & suum vicissim *Cimbrica Chersonesus*, ut & insulæ, quæ sunt intermediæ, *Lalandia*, *Falstria*, *Fionia*, *Selandia* cæteræque nomen & appellationem propriam, omnes tamen & in universum sub uno hoc communique *Daniæ* vocabulo, à gente *Dansciorum* profecti commemorantur. Quin & Daniæ indigenæ ipsi ad vocem Ptolemæi quam proxime accedentes, se suamque gentem, non ut exteri vulgò Denen aut Denschen, sed Dansche; & Sarmatæ, ut mox dicetur, Dunschi populariter appellant. Vnde & Ptolemæus non tam *Danos*, ut nos Latinè hodie, sed *Dausiones*, sive, ut eam vocem legendam etiam admonuit jam olim elegantissimus Cambdenus, *Danciones* seu *Dansciones* quam proxime effinxit. Et est prætereà, aut saltem elapso ante hoc nostrum seculum tempore exstitisse apud Scandinavos *Daneholmia*, non uno in Historia legitur loco. Vt omittam, de quo mox dicam, Pomponium Melam plusquam seculo ante Ptolemæum, Daniæ vocabulum satis indicasse, cum sinum Balthici maris *Codanum* & certum in eo districtum *Codanoniam* diceret, addititia syllaba *co* nomen ipsum corrumpens, utpote qui jam ante fassus fuerat intercurrere suæ chorographiæ barbara quædam vocabula, quæ ore Romano vix eloqui liceret. Ptolemæum quoque minus diserte Dansciones, sed, *u* pro *n* posito, *Dausciones* scribere, mirari nemo debet, cum in his similibusque populorum vocabulis labatur sæpenumero. Sic *Chamanos* idem vocat, qui *Chamavi* sunt: *Busacteros*, qui *Bructeri*. Alii non tam gentem, ex qua orti Dani & Dania, quam vocem ipsam respicientes, *Daniam* quasi prolificam parentem bonorumque plurimorum *datricem*, ab ipsa re dicendam Latina originatione existimarunt:


DANIA REGNUM
NORVEGIÆ PARS
REGNI SVECIÆ PARS
SINUS CODANUS
't Schager Rack
MARE GERMANICUM
Vulgo
De Noordt Zee
MARE BALTICUM
Vulgo
De Oost Zee
WENSUSSEL
NORDT IUTLANDT
SUDER IUTLANDT
FYNEN
Odensee
ZEELAND
Coppenhaven
SCHONEN
BLEKINGE
Lalandt
Falster
Meun
Samsoe
Lesu
Anout
Alsen
Femeren
RUGEN
Wagerland
Holsten
Stormar
Angelen
Lubeck
Rostock
Hamborch
MEKLEBURG
POMEREN
Milliaria Germanica communia

runt: ut & alii, quibus subtilior notatio vocabuli *marchiæ* arrisit, *marchiam* à *mar* & *archia* conflatam voluerunt, quasi *maris* esset ἀρχία. Quæ ut etymologiæ vocisque Latinæ cum Græcanica copulatio plane est absona, ita cum re non admodum pugnet: Sunt enim regni hujus principatus & archiæ pæne omnes ad mare sitæ, insulis ac peninsulis in ambitu contentæ: Sed ut dixi, absonum ac frivolum hoc tamen est, nihilque certius quam *marcam* vocem esse genti propriam, & hodieque patentem campi superficiem, regionemque, ut diximus, denotare. Nec scio an multo habenda verior, quamvis accuratior sit, clarissimi alias doctissimique viri Hadriani Junii notatio, qui *Danos*, ut homines abietinos ac piceis in silvis eductos Dannemans vulgo, & à suis hodieque appellari memorat, addens Dan sive Denneboom arborem intelligi, quam *abietem* Latine dicimus. Verum considerare Iunius debuit, Danos *abietem* non, ut Belgæ, dannen aut dennenboom, sed *firretre* & *fyrtræ*, quomodo & Angli hodieque, nominare. Adeo ut illud Dannemans, quod in ore quidem crebro Danis est, non eum in sensum, ut Iunius accipit, ab illis usurpetur, quasi hominem intelligi velint abietinum ac piceis in silvis productum eductumque, sed virum ea formula indicare præcipue solent, honestum egregiumque, & qualis Pythagoræ describitur, non è multis. Græci δαίμονες & *dæmonia hominum* haud absimili fere ratione olim extulere, ut inde fere profluxisse Danorum Daineman, videatur à vero haud valde dissentaneum. Nam & Græcanicas voces haud paucas Danico idiomati immixtas docebimus aliàs. Exstitisse postremo & alios reperio, qui Danos & Daniam ab aquis deductam, sibi aliisque persuasum voluerunt, quia *Aha* apud eos fluvium notet, & ipsi se Danemans, quasi viros aquatiles & fluviales vocent. At *Aha*, ut id nunc modo reponam, non Danis tantum, sed Belgis quoque Theutonibusque *fluviolum* significat; unde Breda, quasi latus amnis; aliæque ejusmodi Belgis Germanisque terminationes usitatæ passim: ut in silva Martiniana Kuntzaha, Wolfsaha. In saltu Vosagi, Lebraha, Andelaha, Haselaha. Et apud Badenses Suartzaha, ubi & cœnobium ejusdem appellationis. Adeo ut locum habere ista haudquaquam possint; & sint, quod dicitur, plane ἀπροσδιόνυσον; cum nec Danemans *viros fluviatiles* notet.

Allatæ igitur hucusque originationes, præter eam ex gente *Danscionum* boreali adductam, quam illæ ad nomen, de quo agitur, illustrandum parum faciant, satis liquere puto. *Dansciones* autem ipsos quod è borea, sequuti Ptolemæum, ad anteriora hæc profectos, ac gentium expeditiones migrationesque ab ista, ut plurimum, mundi plaga Austrum versus, factas injecimus, ita accipi velim, ut de profectionibus populorum intelligatur, quæ factæ multo post eam, cujus Moses meminit, trium Nohæ filiorum secessionem. Noacho enim, ut Sacra nos docet Historia, à Diluvio tres filii fuere, *Sem*, *Cham* & *Iaphet*. Hi numerosiore prole adaucti digressique à montibus Armeniæ, ubi Arca hæserat, in diversos terræ cardines secessere, ac gentes per orbis vastitatem propagarunt. *Sem* & *Chamus* Orientem præcipue atque Austrum eosque tractus petierunt. A *Iapheto* ejusque posteris, ut habet diserte Moses, *insulæ gentium in regionibus suis divisæ fuerunt*. Insulæ autem gentium interpretibus ac Theologis vocantur, quæ sunt remotissimæ. Sane *Iapheto* ejusque prosapiæ Europam cessisse, præter Iosephum, etiam alii meminere. Nam & gentium philosophia, minus gnara quid Veritas dictaret, fando tamen aliquid de rebus à Mose traditis cum accepisset, nihil *Iapeto* antiquius agnovit, eum cæli ac terræ filium fecit. Et Horatius, *audax Iapeti genus* dicens, quid aliud quam ultra ultraque tendentium mortalium, & præsertim Europæorum, studia conatusque indicata voluit? ut ita nihil quoque ipsi rei sit aptius convenientiusque, quam nomenclaturæ ipsius Iapheti ex idiomate Hebræorum notatio. Significari enim ea voce *dilationem*, plures observarunt, fatali quasi nomine Europæ præcipue populis debitam ac peculiarem futuram, qui, ut idem addit Poëta, *sibi nil esse arduum monstrant cælumque ipsum petunt stultitiâ*: tametsi alii eadem dictione *pulchritudinem* denotari velint, quod Europa eximia pulchritudine, &, ut eleganter Plinius, victoris omnium gentium populi nutrix habeatur: tum & cæteras nationes niveo corporum decore antecellat. Post illam ergo Iapeti, & qui ex eo progeniti sunt longissima serie natorum nati, migrationem, cum se jam ipsi numerosa indies progenie circumquaque mortales superarent, onerique esse viderentur, ex borea vicissim austrum versus coloniæ deduci cœptæ. Atque ita factum, ut nec Strabo, qui Cimbros agnoscit, nec Tacitus, qui illo est integro plus seculo posterior, Cimbrosque diserte nominat, *Danes* aut *Danschiones* uspiam appellet; solus eorum prodiderit vocabulum, qui Tacitum paulo præcessisse putatur, Pomponius Mela, & qui Tacitum eundem excepit Ptolemæus, apud quem & Saxonum mentio. Atque inde Ptolemæum quarto circiter post seculo secutus Procopius Cæsariensis, qui sub Iustiniano claruit, non jam *Dansciones*, sed *Danos* diserte nobis indicat rerum Gothicarum secundo. Nam de Herulorum Legatis ab Istro Thylen, id est, Scandiam, petentibus agens, inquit: *Desertamque hinc regionem transeuntes multam, ad Varnos pervenerunt. Inde Danorum nationes percurrunt. Hinc vero ad Oceanum progressi navigarunt.* Vt & ævi fere ejusdem Iornandes in Scandia eos collocans, ubi ita loquitur: *Dani ex eorum* (Cogenorum) *stirpe progressi, inter omnes Scanziæ nationes nomen sibi ob nimiam proceritatem affectant præcipuum.* Quin & ante eos Gregorius Turonensis, ubi res Theodoberti, Theodorici regis Francorum filii, circa annum Christi quingentesimum, imperante apud Græcos Anastasio, enarrat, Chotilaci Danorum regis expresse meminit, ut est à nobis suo loco in Historia commonstratum. Et sunt præterea notanda Procopii verba, qui Δανῶν τὰ ἔθνη, *Danorum nationes*, cum dicat, haud abs re ita dixit, ut intelligantur scilicet non unæ sub eo nomine, sed variæ & gentis ac continentis circa boream ditiones insulæque per Balthicum mare sparsæ, quomodo & haberi hodieque has oras, peculiari

liari quadam nomenclatura distinctas singulas, uno tamen eodemque *Daniæ* vocabulo celebrari omnes atque intelligi, jam modo est indicatum. Nec operæ sumendum ulterius multum puto ad explicandum propius *Danschionum* ipsum aut *Daniæ* etymon, cum alia ejusmodi gentium aut territoriorum vocabula, ut sunt *Germania*, *Gallia*, *Flandria*, *Valchria*, pluraque talia quis explicuit hucusque, & eorum non verius conjecturas, quam veram notationem prodidit? Et ita hic quoque: quamvis & hoc dici non absimiliter vero possit, Danorum gentis potius, quam regionis, nomen, eos in prima ab Austro in boream secessione, mora fortassis circa Borysthenem facta, Danicum inde secum vocabulum adduxisse. Nam Borusthenes Ptolemæi, Sarmatiæ Europææ fluvius, Ludovico Decio *Dnieper* appellatur, Cromero vero *Nester* & *Dnieper*; cum diserte eum *Danastrum* in Gothicis suis nominet Iornandes. Vt omittam vicinum Borystheni fluvium Tanaim, *Don* & *Dun* vulgò Sarmatis dici, quibus & *Dani* populariter *Duni* & *Dunschi* vocitantur.

Verum his in præsentiarum missis, illud potius quod objici hic ex Tacito potest, videamus propius. Nam ille Germaniæ populos late accipiens, cum etiam borealem hanc plagam, in qua præter *Cimbros*, *Suecones*, *Fennos* ac *Venedos* agnovit, Germaniæ accenseat, atque ejus universam gentem esse indigenam, nec aliunde profectam huc devenisse velit, nonne pugnabit id cum superioribus quæ attulimus; nec esse hoc pacto Iapheti aut Gomeri prosapiam Danorum gentem dicemus? Quibus ut ordine ac rite respondeatur, ipsa prius Taciti verba ponemus, quæ sunt in Germania ejus hujusmodi: *Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus & hospitiis mixtos: quia nec terra olim sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quærebant: & immensus ultrà, utque sic dixerim, adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro præter periculum horridi & ignoti maris, Asia aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret? informem terris, asperam cælo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit?* Quibus in verbis Tacitus cum indigenas facit Germanos, indicare voluit, eos qui jam ante innotuerant Romanis, & tum indies iisdem innotescerent, hominum fuisse genus, qui non aliunde venerint, sed ibi nati essent, utpote sui tantum similis gens. Vt ita indigenarum vocem accipiamus, non quasi autochthonem esse aut terrigenam populum velimus, sed qui sedes istas, in quas à primis suis archegis *Iapheto* & *Gomero* deductus fuerat, continenter incoluerit, nullis exinde Asiæ aut Græciæ aut gentium similium exoticis, sed sui tantum soli moribus hospitiisque assuefactus. Vnde nunc iterum iterumque concident eorum commenta, qui Danos à Danais, aut Dacis Dahisve: Saxones ac Suevos à Macedonibus; à Trojanis Sicambros; à Persis aut Indis Frisios deducunt. Nam id si esset, & aliqua veri fama traditum haberetur à meridie in Boream eas gentes concessisse, non omisissent florente jam re Romana authores; & Seneca præsertim Consolationis ad matrem Helviam eo loco, ubi brevem populorum, qui sedes mutarunt, catalogum texit, in modum fere ut sequitur: *A cælestibus agedum, te ad humana converte, videbis gentes populosque mutasse sedem. Quid sibi volunt in mediis barbarorum regionibus Græciæ urbes? Quid inter Indos Persasque Macedonicus sermo? Scythia & totus ille ferarum indomitarumque gentium tractus, civitates Achajæ Ponticis impositas littoribus ostentat. Non perpetuæ hyemis sævitia, non hominum ingenia, ad similitudinem cæli sui horrentia, transferentibus domus suas obstiterunt. Atheniensis in Asia turba est. Miletus* LXXV *urbium populum in diversa effudit: totum Italiæ latus, quod infero mari alluitur, major Græcia fuit. Tuscos Asia sibi vendicat; Tyrii Africam incolunt: Hispaniam Pœni: Græci se in Galliam immiserunt, in Græciam Galli: Pyrenæus Germanorum transitus non inhibuit; per invia, per incognita versavit se humana levitas.* Ecce agnoscit recensetque Seneca varios quidem huc illuc gentium discursus; in Germaniam & ultimum hunc boream nullos enumerat. Extremos qui versus hoc cælum ivere, Græcos refert, qui Galliam & in ea Massiliam sibi coloniam fecere: ut & eos, qui ex oppidis Achajæ effusi, non dubitarunt inter pellitos illos ac cælo suo non minus horridos Scythas sedem figere.

Daniæ divisio.

Daniæ universum regnum, aut insulis aut continente distinctum constat. Continentis præcipuæ sunt partes, *Chersonesus Cimbrica* & *Scandinavia*, ut olim appellaverunt veteres. Quarum *Scandinavia*, si stricte accipiatur, *Scaniam* sive *Schonlandiam* solam complectitur; si latius, *Norvegiam* etiam & *Sueciam* cum adjacentibus includit. *Cimbrica Chersonesus*, quæ hodie *Iutia* sive *Iutlandia*, per plures diœceses seu territoria complexa, ab Austro, quà est *Holsatia*, finibus Germaniæ contigua hæret: versus vero septentrionem in Oceanum Norvagicum longe procurrens, peninsulam sive Chersonesum constituit. Huic introrsus, ad orientem, insularum proxima est *Fionia*, quam à *Iutiæ* continente angusti admodum æquoris intercapedo dispescit: Eaque vicissim ab ortu *Selandiam* habet, Balthici maris amœnissimam insulam, quæ medium quasi regni locum tenens, hinc *Falstriam* aliasque insulas, inde *Scaniæ* continentem ex adverso prospectat; ab ea similiter exigui freti, *Oresundam* indigenæ vocant, interjectu separata: de qua & aliis hoc maris tractu, minoris & nominis & momenti insulis, suo mox dicetur loco. Quæ autem ab Occasu & Borea eandem Chersonesum prætexunt, plurimæ, sed exiguæ admodum sunt, quas & ordine deinceps producemus; sicut & illam, quæ, à latere occidentali Norvagiæ ad extremum propemodum Boream posita, *Glacialis regio* sive *Islandia* nominatur. Continentis itaque partes principe loco enarrandas assumam, converso inde ad insulas stylo, modo de ipsa in universum Dania, quæ sunt omnibus ubique regni partibus communia, paucis præmisero.

Solum.

Habet *Dania* solum haud depressum aut palustre, sed leviter collibus assurgens, uberi passim gleba dotatum ornatumque. Circa ingressum Chersonesi Cimbricæ, qua est Slesvicensis Ducatus, terræ uber haud uniusmodi est. Nam alibi, qua mare spectat, solum, ut plurimum, est argillaceum, pingue ac uliginosum silvisque superbum. Alibi denuo, quod terræ dorsum di-

Ager. cere liceat, ager est cespititius, erycosus nec uno se modo habens, varie tamen fœcundus. Theutomarsiæ, sive, ut vulgo vocamus, Ditmarsiæ gleba plerumque est salsuginosa, profunda mireque fertilis. Qua deinde septentrionem eadem spectat Chersonesus, regionem videas subinde silvis ac lucis opacam incultamque; & alibi vicissim cultura hominumque industria in jugera frugifera & amœnos fundos, interfluentibus hinc inde maris sinubus, resplendentem; qui fruges leguminaque multiplici fœnore refundant: quique boum & equorum præstantium pisciumque variis generibus nobilitantur. ita ut copia atque ubertate eorum vicina regna regionesque urgente annonæ charitate sæpenumero sublevari contingat. *Saltus.* Saltus præterea *Feræ.* feris ubique abundant. Quas inter cervi haud ultimum tenent locum, ut & damæ, capreoli lepores & id genus aliæ. *Aves.* Nam avium captura passim obvia, & imprimis perdicum, anatum, anserumque ferini generis, itemque scolopacum, quas *rusticas perdices* Martialis, Plinius *rusticulas* appellat. *Insulæ: Fionia. Selandia.* His quæ proximæ sunt insulæ, & inter alias Fionia Selandiaque haud minores sortitæ dotes. Eminetque inter ceteras Selandia, hancque prærogativam habet, (quæ an alii uspiam terrarum pari felicitate contigerit, addubito,) quod ei scilicet rura agrique sint non modo fertilissimi, & qui creditam sementem amplissime reponant; sed quod id absque stercoratione præstare, ac segetem omnis generis producere uberrime soleant. Quod sane beneficii nec ipsi quidem Græciæ aut Italiæ, regionum, quas Sol aspicit, laudatissimæ, accidisse, præter alias, vel Homerus, quod ad Græciam, doceat; apud quem regius senex agrum fimo lætificans mire celebratur: Ejusque inventi gloria Augeæ ejusdem Græciæ regi adscribitur, divulgasse vero additur Hercules in Italia, quæ ob id regi suo Stercutio, Fauni filio, immortalitatem tribuit, ut memorat in historia Naturali Plinius. *Scania.* Nec cedit istis ullatenus Scania, cælo & solo similiter læta, quæque piscatione insuper, ut & venatione nobilium ferarum, oppidorum frequentia, civilibus institutis nulla beatarum regionum habenda inferior. In universum vero totum regnum contemplanti ea ubique piscium occurrit ubertas, cum fluvialium tum præcipue qui mari capiuntur, ut haud immerito Europæorum regum Legati, quod & ante retulisse memini, ab Imperio evocati, Daniæ hac parte regnorum omnium prærogativam adscripserint. Cum enim contentio inter eos orta esset de supereminentia suorum regum, quis videlicet præstantior ac opulentior jure haberetur: & alius aurum, alius argentum, alius denique frumenti ac vini copiam jactaret (non enim omnia uni regioni data) memoratur Danorum regis Legatus, cui postremo loquendi potestas facta, in hanc reposuisse sententiam: Si potentissimi ac locupletissimi omnium totius Europæ regum gazæ universæ latifundiaque venum exponerentur, clarissimeque omnia venderentur, eoque repræsentato pretio ligneæ vicissim eorum loco paropsides vilissimo coëmerentur, omnibus tamen istis licet infinitis futuris vasis sufficere Daniæ Norvagiæque &c. regem triplici diversi generis recenter capto pisce onerandis exornandisque. Quo dicto, suffragiis omnium, qui aderant, Daniæ regis felicitatem pluris, quam omnes ceterorum opes, faciendam demonstravit. Vnde à Gallo, qui dextrum Imperatoris latus clausit, haberi proximus obtinuit.

Addi postremo debet, haud aliter atque olim proventu tritici Gargara, Panchaja thuris, Indiæ hodieque aromatum, Chalybes ferri, aliique aliarum rerum affluentia habentur celebres, ita quoque Daniæ oras, præter secale, *Hordei ubertas.* præsertim hordei ubertate commendari. Nam ut reliquas taceam, vel sola Selandia ejus frugis tanta circumfluit copia, ut onerarias aliquot hordeo stipatas ad oras exteras quotannis demittat, & sibi interim, quod satis sit, excoquendæ cerevisiæ aut usibus aliis domi retineat. *Potus Cerealis.* Præcipuus vero usus ejus est conficiendo Cereali potui, quam *bieram* vulgo, Latine cervisiam vocamus. Quod priusquam fiat, redigitur ante omnia in maltam hordeum. Est vero *malta*, quam Dani vocant, (Belgæ etenim Theutonesque *Mout* & *Molt* dicunt,) vix aliud quam Ætii Amideni *byne*, quam exponit hordeum aqua madefactum ac maceratum, ex quo germen erumpit; quod deinde cum eodem germine, sive enatis filulis, torretur. Tostum pleneque præparatum molendino frangitur inque farinam aptatur. Ac mox aqueo humori inditum, una cum lupulo salictorio igne excoquitur; fitque liquor potui gratissimus, quem Belgium vulgo 𝔟𝔦𝔢𝔯, Dani 𝔬𝔢𝔩, Angli 𝔞𝔢𝔩 appellant. Tacitus omnibus Germanis usitatum scribit, ubi inquit libro de moribus Germanorum: *Potui humor ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus.* Hispanos *Celiam* appellasse, voce quæ proxime accedit ad Danorum 𝔒𝔢𝔩 & 𝔄𝔢𝔩 Anglorum, perspicue liquet. Nam ut solent gentes vel per prosthesin primores literas voculis adjicere, vel per aphæresin omittere; ita hic Dani Anglique *Oelian*, & *Aeliam* per aphæresin dicunt, quam olim, addita capiti literula, Hispani *Celiam* dixerunt. Perperam vero Isidorus Hispalensis *Celiam* à calefaciendo appellatam putavit, cum non Latina, sed gentis vernacula vox fuerit; quod vel in Danis Anglisque qui retinuerunt, liquido, ut jam ostensum, est recognoscere. Cum vero adjiciat deinde Hispalensis, *potio est è succo tritici per artem confecta, suscitatur enim igne vis illa germinis madefactæ frugis, ac deinde siccatur, post in farinam redacta molli succo admiscetur, quo fermentato sapor austeritatis & calor ebrietatis adjicitur, quæ fit in his partibus Hispaniæ, cujus ferax vini locus non est*, parum ab his, quæ modo retulimus, discrepantia refert, nisi quod hordei loco triticum nominet. Descripsit jam ante & eodem fere modo Paulus Orosius Hispanus item; ut verisimile sit hinc desumpsisse Isidorum. Ait enim, *Postremum diu obsidione conclusi Numantini duabus desubito portis cuncti eruperunt, larga prius potione usi, non vini, cujus ferax is locus non est, sed succo tritici per artem confecto, quem succum à calefaciendo Celiam vocant. Suscitatur enim illa ignea vis germinis madefactæ frugis, ac deinde siccatur, & post in farinam redacta, molli succo admiscetur, quo fermentato sapor austeritatis & calor ebrietatis adjicitur. Hac igitur potione post longam famem*

reca-

recalescentes, bello sese obtulerunt. Atrox diu certamen &c. Ex quibus sat patet, idem cum Orosio dicere, & errorem quoque eundem errare Isidorum, dum vocem esse Latinam *Celiam*, & è tritico confectam potionem hariolatur: cum illis priores alii, quique re Romana florente res Hispaniæ scripserunt, neutrum tradant. Nam in his accuratus author Florus diserte vocem *Celiam* esse indigenarum; & potionem non *è tritico*, sed *frumento* fuisse indicat, ubi ait lib. 2, cap. 18 Historiæ suæ de Numantinis agens: *Sed cum Scipio veram vellet & sine exceptione victoriam, eo necessitatum compulsi, primum ut destinata morte in prælium ruerent, quum se prius epulis, quasi inferiis implevissent, carnis semicrudæ & Celiæ, sic vocant indigenæ è frumento potionem. E frumento* scilicet, quod Tacitus supra non *triticum*, sed *hordeum* nominavit. Hanc autem *Celiam*, sive, ut Danos Anglosque vocare jam dixi, *Æliam*, polluisse antiquitus etiam inebriandi vi, ex supra memoratis liquere satis potuit. Et indicat quoque Tacitus, *Germanis*, dum *diem noctemque potando ducunt, crebras ut inter vinolentos rixas* fuisse. Quo loci emphasis est in verbis illis, *ut inter vinolentos*, quasi diceret, licèt non vinum, sed potus illis ex hordeo & aqua constet, tamen in morem vinolentorum inter se crebro rixatos: adeo ut hallucinetur elegantis aliàs ingenii Beatus Rhenanus, dum pro *vinolentos*, hoc loci, *violentos* malit, quod Germani vino caruerint, non animadvertens id velle, Germanos inquam, non minus suo illo ex hordeo & aqua potu efferatos, quam si vinum aut temetum bibissent, ut jam diximus. Angli vero, quos dixi, **oel** & **ael**, cum Danis vocare, tamen etiam *biram* agnoscunt, cum Dani omnem cervisiam **oel** appellent, nec *biræ* vocabulum norint. Interim id Anglis inter biram & æliam discriminis est, quod eam lupulo condiant, hanc non item. Ceterum quod ad vinum, antiquissimos Danos ac boreæ populum id ignorasse, persuasum habeo; præsertim cum etiam Tacitus suo ævo non nisi ripæ, id est Rheno, proximos mercatos vinum doceat. Ac postmodum, ubi flumina, atque ipse aperiretur seque ubivis panderet navigantibus Oceanus, id continuo devectum ad eos cum ceteris mercimoniis, haud est dubium; quod hodie è Gallia, Hispania, Italia, Creta Rhenoque tanta deportatur, omnibusque regni introfertur portubus, copia, ut ibi non minus quam suo in solo promiscue habeatur: Cum tamen constet sub annum circiter Christi 1486 concessum ab Innocentio VIII Romanorum Pontifice, ut sine vino & quocunque suo liquore calicem sacrificarent Norvagi, notantibus id Crispino & Volaterrano. Licèt ipse non tam de Norvagis, qui mari sunt adsiti, quam de intraneis ac semotioribus hoc ipsum acceperim.

Arbores. Ea est in Dania abietum & arborum coniferarum, quas **Dennen** & **Denneboomen** Germani vocant, ubertas, ut inde nonnulli etymon quoque Daniæ venari instituerint; sed perperam. Interim à vero haud dissidet, eas passim tam in insulis, quam continente extare cæduas utilesque silvas, esseque non abietes modo fagosque, ac quercus tiliasque ibi densissimas, sed & corylorum eam fere ubique occurrere frequentiam, ut nucum, quas avellanas, alii Ponticas olim dictas volunt, ea sit copia, quæ vicinis provinciis & præsertim inferioris Germaniæ, ut est Hollandia, Frisia, Zelandiaque, aliquot onerarias, iis saburratas, quotannis transmittat. Vnde & illud fit, ut ligna exstruendo foco, eumque, ut loquitur Poëta, perennem reddendo servandoque haud uspiam desint, sed ea ubique larga suppetant manu. Nec deficit quibusdam etiam locis, uliginosis scilicet ac depressis, quæque sylvas cæduas remotiores habent, cespes fossitius, qui è terræ gremio erutus soleque excoctus, ac vento postremum arefactus, igni alimentum idoneum minimeque contemnendum præbet. Alias & ut plurimum, de quibus diximus, ornus abiesque, aut quercus focum instruit; lignaque præter cætera ministrat, cujusmodi appellat Plinius lenia, fumum quam minimum ac maxime innoxium excitando, quæ ἄκαπνα Græci dixerunt. Et in his haud ultimum locum merentur etiam lignei, quos vocant, carbones: qui vel excoquendo obsonio, vel igni tuendo multo, quam Promethea illa ferula, fomitem paratiorem suppeditent: Sed jam ad Gentis mores, studia ceteraque veniamus. *Cespes.*

Mores. Mores studiaque Gentis paucis indicasse sufficiat. Sunt enim discrimina quædam peculiaria, sive ideæ potius nationis cujusque ac populi, quæ emineant, & quibus vel maxime dignoscantur singuli. Sic in oratione graves habentur, sed versuti Itali: culti, sed jactabundi Hispani; prompti, sed arrogantuli Celtæ; dura, sed simplex & sine dolo fraudeque, Germania. Et in hac vicissim Saxones truculentiâ efferos adscit Salvianus Massiliensis, sed castitate suspiciendos. *Gallos* Ammianus Marcellinus *avidos* dixit *jurgiorum & sublatius insolescentes.* Vopiscus eisdem, præter levitatem, etiam inquietudinem adscribit atque aviditatem, sunt ejus verba, *vel faciendi principis vel imperii.* Græcos ut vanos & mendaces notant alii: Et Asiaticos passim ut lascivos ac luxuriosos proscribit Firmicus. Batavis, qui hodie Gelri Hollandique, *aurem* Martialis tribuit, quæ illi proverbiali schemate *Batava* dicitur, id est, crassior minusque purgata. Bœotos quoque, sub axe cœli minus defæcato positos, vulgo authores stupiditate insignes faciunt; ut & Scythas, qui feritatis insuper & crudelitatis damnantur: Quorum tamen hi Anacharsim, sapientiæ admirandæ, ut eum celebrat Tullius, orbi dederunt; & illa, Bœotia, Pindarum, Poëtarum Pegasum, sive, ut eum Venusinus vocat, Dyrcæum cygnum, astra tranantem, edidit. Abdera itidem, cœli similiter vitio infamis, Democritum tulit. Cujus tamen, ut inquit Poëta Iuvenalis Sat. 10.

Prudentia monstrat
Summos posse viros, & magna exempla daturos,
Vervecum in patriâ crassoque sub aëre nasci.

Dani quoque, ceterique remoto sub boreæ axe minusque benigno gaudentes cœlo populi, scriptoribus Romanis, aliisque suarum magis, quam alienarum laudum ebuccinatoribus, ut rudes inscitique habentur; cum interim illi sint, quibus cedere postremo Romanum imperium, quibusque Oriens atque Occidens submittere fasces debuit.

debuit. quique res domi militiæque, vel hostium ipsorum testimonio, præclarissimas prorsusque inauditas gesserunt. Nam si Saxonem sequi libet, Hibernia octies à Daniæ regibus debellata & acquisita est. Anglia decies perdomita, ac ultimò sub imperium Danorum regum devenit: quorum novissimus fuit *Canutus*, cognomento *Durus*. Scotia armis occupata, obsequium Regibus aliquot Daniæ præstitit; ut & Saxonia, quæ facta multoties stipendiaria, pensionem solvit Helgoni, Rolvoni, Frothoni, Sivardo aliisque. Slavorum populi vicies quater subacti imperata fecerunt. Suecia item plusquam duodeviginti præliis attrita, multoties sacramentum dixit, denuoque promissis excidit; ut & Norvegia, quæ demum hæreditaria est reddita; quemadmodum & modo habetur. Vt taceam in Gallias translatam ab ipsis gentem suam, conditumque *Normanniæ* principatum: Et hodie Italiam Hispaniamque gloriari Gothorum prosapiâ. Quæ omnia, exoticis testimoniis authoribusque firmata suo loco explicat prolixius Historia. Festus Pompejus Cimbrum sive Cimbros lingua Gallica latrones dici ait. Hic alii Cimbrum non magis latronem significare volunt, quam Isaurus piratam; Ambro dissolutum ac veracem; Opicus obscœnum; sed quia tales fuere eæ nationes, earum nomine, qui tales sunt, vocari. Nam, ut alibi monstravimus, Gallorum antiquissimorum sermo, cum Germanicus fere fuerit, nihil aliud Cimber quam latro, id est, miles sive bellator intelligetur. Est enim hodieque Danis *Cimber*, **Kimber** sive **Kemper**, *pugnator*, *pugil*, *athletes*. ut ita voce latro, qua utitur Festus, nihil aliud capiendum, quam miles bellatorque. Vnde in Pænulo Plautus: *Hic latro in Sparta fuit*, id est militari sacramento auctoratus. Et apud Nonium Gracchus: *qui apud regem in latrocinio fuisti & stipendium fecisti*. Vnde & illud intelligi simul potest, latrocinium & piratica, quibus terra marique infestæ reddebantur olim ditiones, antiquitus honoratum militiæ genus habitum. Et hac parte excusari haud minus Cimbros Normannosque ac Danos debere, quam Græci, de quibus refert Thucydides, qui hæc habet: *Postquam navibus alii ad alios mare trajicere frequentius cœperunt, sese ad latrocinia convertere virorum potentissimorum ductu &c. quod hoc facinus nondum ignominiam haberet, imo vero gloriæ duceretur*. Quibus adde illud Cæsaris sua ætate de Germanis verba facientis: *Latrocinia nullam habent infamiam; quæ extra fines cujusque civitatis fiunt: atque ea juventutis exercendæ ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicant*. Et vero si rem propius putemus, concedendum eas præcipue gentes & regna, quæcunque mari valuerunt, res quoque magnas fecisse, pomeriaque sua aut facilime tutata, aut etiam auxisse feliciter, cum res & occasio darent. Hinc olim, & apud antiquissimos, Tyriorum & Salomonis navigationes celebratæ, quibus ab ultimis Ophyranis aurum immensasque gazas Hierosolymam transportatas accepimus. Hinc Græciæ opes & Carthaginis vires, superatis jam Hispaniis ac vicinis in mari Tirrheno insulis, ut nihil de Persarum potentia, quæ mare texit mille & ducentis velis; deque Romanis dicam, postquam maritimæ rei intendere propius cœperunt. Propiora Nostraque videamus. Quid Dani Normannique? nonne illi olim vicinis gentibus ac regnis hac maxime re terrori fuere? Nam & in Frisiam Bataviamque, ac demum in Galliam Britanniamque impetu facto, eas sibi omnes aut vectigales aut subditas reddidere: deque Francorum regno abrepta ingenti lacinia, de nomine suo Normanni *Normanniam* condiderunt. Nec intactam quoque habuerunt Hispaniam, inque Asiæ limite positam Constantinopolim. Et hodieque cum hinc deportari, èque boreali Norvegia ligna tignaque necessum sit, quibus onerariæ illæ omneque navium genus conficitur, passim videre est navigiis, quas holcadas, corbitas, carabos, lembos cimbasque ac myoparones vocamus, stipatos portus. quibus æstate & cum cœlum sinit, modo in Hispaniam Galliamque, modo in Angliam, Scotiam, Frisiam, Hollandiamque enaviget, Oceano veluti enutrita, juventus: Subinde & sua, quæ in vicino sunt, visit, urbesque Vandalicas ac Sueciæ tractus, ut & Norvagiam Islandiamque & Orcadum insulas: Et nuper quoque, contracta cum rege Seilonensi apud Indiæ populos amicitia, suas etiam eò corbitas aromatum gratia transmisit, indiesque transmittit. Gens ipsa hominumque genus magis alta quam humili statura est, corpora alens valida compactaque. Nec aliam in genere Gallorum Germanorumque fuisse staturæ rationem, præsertim Cæsar indicat, qui libro secundo de bello Gallico, Gallis ait Romanorum brevitatem contemtui fuisse. Ita enim habet: *Plerisque hominibus Gallis, præ magnitudine corporum suorum brevitas nostra contemtui est*. Vbi haud frustra additum, *plerisque*, ut nimirum Galli intelligantur præcipue qui origine ac positu Transrhenanis erant propiores. Vnde & Hirtius de Bello Africano, Gallis Germanos jungens, *Gallorum*, inquit, *Germanorumque corpora, mirifica specie amplitudineque, cæsa toto campo ac prostrata diverse jacebant*. Hanc in gentibus borealioribus proceritatis causam alii ad traducem populorum; Physici ad ipsum cœlum referunt. Nam sicuti ad austrum ardore, ut plurimum, siccantur corpora, ita boreales humore non tantum, sed & calore interno, qui in Australibus est remissior, abundantes, veluti aluntur atque extenduntur: quamvis & alii alios superent. Et illi præterea qui polum quam proxime accedunt, ut Groenlandii extremæque Norvegiæ & illarum insularum populi, lurore plerumque deformes staturaque exili sunt, utpote qui non minus rigore nimio, quam illi ad austrum nimio adurantur ardore. Vnde recte Hippocrates *libro de aëre, locis & aquis* agens, ad septentrionem homines pallore ac macie deformes pronunciavit; intelligens sc. hos extremi boreæ, non vero eos, qui vicinam Scandinaviam totamque Daniam Germaniamque colunt: quos authores fere omnes, ut dictum, proceros, robustos, venustos candidosque affirmant: ut & alibi memoravimus. Tradit Aristoteles eos, qui sunt ad Aquilonem, esse tenui ac flavo capillo; cujusmodi & Lucanus Suevos descripsit:

Statura & habitus.

Fundit

Fundit ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis.

Dani certe Norvagique & omnes fere ultra mare Balthicum colentes, capillo, ut plurimum, aut albicant aut flavescunt. itaque Angli vulgo eos, quibus oculi cærulei ac rutilæ comæ, cujusmodi in universum fere Germanos describit Tacitus, à Norvagis Danisque trahere originem, & ab iis cavendum populariter denunciant. Nec abit hinc multum sequior, qui dicitur, sexus. Suntque fœminæ virginesque succulentæ pleræque & nitore quodam naturali ac lacteo, ut sic dicam, candore commendabiles. Nonnullas etiam viragines dicas, ita laborisque frigorisque patientes, brachio lacertosque nudæ, ut ille inquit, æstate hiemeque agunt. Quondam apud Danos illustrium fæminarum ecquod studium fuerit ita celebrat Saxo: Fuere quondam apud Danos fœminæ quæ formam suam in virilem habitum convertentes; omnia pene temporum momenta ad excolendam militiam conferebant, ne virtutis nervos luxuriæ contagione hebetari paterentur. Siquidem delicatum vivendi genus perosæ, corpus animumque patientia ac labore durare solebant, totamque fæmineæ levitatis mollitiem abdicantes, muliebre ingenium virili uti sævitia cogebant. Sed & tanta cura rei militaris notitiam captabant, ut fœminas exuisse quivis putaret, præcipue vero quibus aut ingenii vigor, aut decora corporum proceritas erat, id vitæ genus incedere consueverant. Hæ ergo perinde ac nativæ conditionis immemores, rigoremque blanditiis anteferentes, bella pro basiis intentabant, sanguinemque non oscula delibantes, armorum potius quam amorum officia frequentabant, manusque, quas in telas aptare debuerant, telorum obsequiis exhibebant, ut jam non lecto, sed leto studentes spiculis appeterent, quos mulcere specie potuissent. Hactenus Saxo: & exinde Lathgertham describens, sub initium fere libri IX inquit: Inter quas adfuit & Lathgertha perita bellandi fæmina, quæ virilem in virgine animum gerens, immisso humeris capillitio, primo inter promptissimos dimicabat. Cujus incomparabilem operam admirantibus cunctis, cæsaries tergo involare conspecta fæminam esse prodebat. At hodie ac nostris moribus, aliter ac domi agentes, laudem habent ut frugi matres familias beneque administratæ œconomiæ. Et ipso vocabulo, quod alibi haud reperias, quodque soli Danorum idiomati ac genti est proprium, *mater familias* sive *marita*, **hustru** dicitur, quasi *domui suæ fida*; & *maritus* vicissim **husbon** sive **hosbond**, quod aliud haud sonat, quam *domus vinculum*; ut illa scilicet fidem domui ac domesticis rebus præstando, veluti familiæ columna; hic columen ac vinculum rei universæ existat. Tacitus de Germanis loquens asserit haud aliam gentem convictibus atque hospitiis effusius indulsisse, & nefas apud eos habitum, mortalium quenquam tecto arcuisse. Quem postremum morem laudemque hospitalitatis, ubi de Norvagis ac Boreæ remotioribus populis ageremus superius, demonstratum est, eam relegatam veluti inde, hic adhuc locum tenere. Gratis enim peregrinantem excipiunt aluntque. Notum ignotumque, quantum ad jus hospitii, nemo discernit. Abeunti, si quid poposceris, concedere moris: & poscendi invicem eadem facultas. Ipsi jam autem populares seu rustica gens agris ut plurimum colendis intenta est. Domi quoque non tam nitelas aut pecuniam, quam penum curat. Hic ut rite atque opipare instructus habeatur præcipue incumbunt. Vnde & *tantas*, ut ille inquit, *struices concinnant patinarias, ut standum propemodum in lecto sit, si quid de summo petas.* Ita scilicet una eademque sæpenumero paropsis non carnes modo bovinas, sed ovillas simul suinasque & anserum muria ac fumo servatas exhibet, præter pernas laridumque farciminaque ac sumen ejusmodi ceterum. Alias de Germanis quod addit iterum Tacitus, *convivia effuse & armatos* subinde agitare eos, *nec ulli probro fuisse diem noctemque continuare potando*, id mali etiam Danos, sed serius, afflasse ex Saxone est intelligere; qui de Ingillo rege loquens inquit: Postquam se Theutoniæ moribus permisit, effœminatæ ejus lasciviæ succumbere non erubuit. Ex cujus sentina in patriæ nostræ fauces haud parva luxuriæ nutrimenta fluxerunt. Inde enim splendidiores mensæ, lautiores culinæ, sordida coquorum ministeria, variæque farciminum sordes manavere. Inde licentioris cultus usurpatio à ritu patrio peregrinata. Itaque *Regio nostra quæ continentiam in se tanquam naturalem aluit, luxum à finitimis depoposcit.* Et iterum sub annum 1154 de rege Suenone, cognomento Gratenhetensi, agens, eum refert, facta cum Canuto aliquali pace, perinde ac bellorum metu solutum in superbiam lapsum, patrios mores, quod parum ipsi viderentur exculti, tanquam agrestes & inconditos, petita à finitimis urbanitate, mutasse: spretisque Danicis ritibus Germanicos æmulatum. Ac demum adjicit: *Quin etiam, epulandi rusticitate depulsa, externas mensis comitates adscivit, commessationumque ritus cultiore ministerio gerendos instituit. Nec solum cultum novavit, sed etiam edendi bibendique facetias tradidit.* Olim, id est antiquissimis seculis, quod ex auctoribus jam ante monitum, potus Germanorum humor erat ex hordeo in similitudinem quandam vini excoctus, qui nec alius, quod ex Saxone superius ostensum, etiam Danis fuit. Inde vinum aliunde accessit, tanta copia, ut obruat modò, & ad insaniam plurimos præcipitet. Est etenim ex Italia primo in Gallias, atque inde, licet tarde, ad Rhenum ripamque Germaniæ adversam, allata vitis, quæ seculum suo liquore infecit. Cæsaris sanè ævo necdum Nervii, Belgii populus, vinum norant; aut saltem, luxuriæ hoc incentivum ad se inferri, testante eodem Cæsare, noluere. Et tamen seculo exinde vix uno alterove, ipsorum in mores jucundum hoc nefas receptum, cum tradat Vopiscus à Probo Imperatore *omnibus Gallis*, quorum, qui versus occidentem colebant, limes erat Rhenus, concessum *ut vites haberent vinumque conficerent*: Cum antea, quod sua ætate Tacitus notavit, Germanorum qui erant ripæ proximi, vinum mercarentur, ut ita per manus, quod dicitur, alii aliis sua vitia tradiderint, hominumque

Fœminarum habitus.

Mores.

secula corruperint. Itaque jam sæpe memoratus Tacitus cum cetera multa in Germanis laudet, *adversus* verò *sitim*, ut habent ejus verba, *non eandem temperantiam* agnoscat, meminisse vicissim par fuisset, non eos aut Boreæ populum docuisse primos, sine respiratione pocula obducere, &, ut ille loquitur, amystide certare, sed Græcos fuisse, & eorum pergræcationes repotiaque locum proverbiis fecisse; ut & Parthorum mores, quos eo magis sitire, quo plus biberint, vulgò memoratur. Et luxum præterea, potandique assiduitatem non unis jam ante notatam diverbiis in Siculis & Asianis, docentibus adagiis, *mensa Sicula & Asiana*, tum & eo præsertim, quod extat apud Diogenianum, ἀεὶ Λεόντιοι περὶ τοὺς κρατῆρας, *Semper Leontii assident crateribus*. Erant verò Leontini Siciliæ populus, poculis addictissimus. Quin & de ipsis Romanis audiatur Tacito propemodum coætaneus C. Plinius: „Apud nos cognomen meruit Novellius Torquatus Mediolanensis ad Proconsulatum usque è Prætura honoribus gestis, tribus congiis (unde & cognomen illi fuit) epotis uno impetu, spectante miraculi gratia Tiberio principe, in senecta jam severo atque etiam sævo alias, sed qui in ipsa juventa ad merum pronior fuerat. Eaque commendatione credidere L. Pisonem urbis Romæ curæ ab eo delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum jam principem. Nec alio magis Drusus Cæsar regenerasse patrem Tiberium ferebatur. Torquati rara gloria (quando & hæc ars suis legibus constat) non labasse sermone, nec levatum vomitione, non altera corporis parte, dum biberet: matutinas obisse vigilias, plurimum hausisse uno potu: plurimum præterea aliis minoribus addidisse: optima fide non respirasse in hauriendo, neque expuisse: nihilque ad elidendum in pavimentis sonum ex vino reliquisse, diligenti scito legum contra bibendi fallacias. Tergilla Ciceronem Marci filium binos congios simul haurire solitum ipsi objicit: Marcoque Agrippæ à temulento scyphum impactum. Etenim hæc sunt ebrietatis opera. Sed nimirum hanc gloriam auferre Cicero voluit interfectori patris sui M. Antonio. Is enim ante eum avidissimè apprehenderat hanc palmam, edito etiam volumine de sua ebrietate: quo patrocinari sibi ausus approbavit planè (ut equidem arbitror) quanta mala per temulentiam terrarum orbi intulisset. Exiguo tempore ante prælium Actiacum id volumen evomuit: quo facilè intelligatur ebrius jam sanguine civium, & tanto magis eum sitiens. namque & hæc necessitas vitium comitatur, ut bibendi consuetudo augeat aviditatem, &c. Hactenus Plinius. Miratur Euphormio Satyricus libro qui *Icon animorum* inscribitur, è Dania Boreæque his oris tantas olim gentes, numero suo victoriisque celebratas, veluti turbine quodam Europæ universæ infusas esse: indeque Cimbros, Teutones ac Gothos, Vandalosque ac Normannos proruipisse, per quos Italia, Libya, Hispania cum Galliæ parte afflictæ, ac tota propemodum ferro sit domita Britannia. Et nunc suo in solo desiderari eos, & quasi aruisse ibi gentium hanc scaturiginem; cum milite illis opus extraneo, si quando bellum ingruat, & oppida ibidem minus frequentia sint. At eam temporum populorumque vicissitudinem quis in Dania miretur, quæ ei cum reliqua Europa atque orbe pene universo communis est? Vbi nunc florens Oriens, ubi Assyria, Ægyptus, Iudæa? Græciam, quæ domina quondam atque arbitra veluti terrarum audiit, servire modò ac suram præbere Thraciæ tyranno nonne videmus? Ingens quoque illud Romanum Imperium ipsamque Romam, falsò æternam authoribus dictam nonne similiter comperimus? Milite tamen exotico quod uti nunc Daniam belli tempore injiciat, deprehensum est nostro seculo, licet ipsi, ut & aliis Europæ nationibus, Galliæ Belgiique, mercenarius haud desit miles, suo quoque utiliter usam. Indicio sit vel Suecicum superioribus annis bellum; & nuper obsidiones Neoburgensis, Lucstadiensis ac Stralesundana, non ducibus modò ac ductoribus, sed & milite, ut plurimum, Danico viriliter atque animosè ad extremum defensæ. Et fuit, quæ nec hodie emarcuit, Danici jam olim militis ea vis ac virtus quasi propria, ut præsidia ac munitiones locorum præcipuè adversus hostem tueretur ac defenderet, testantibus id, inter cetera, annalibus Fuldensium, in quibus circa annum 895 hoc Danicæ gentis elogium legitur: *Erat ibi gens fortissima Danorum, quæ nunquam antea in aliqua munitione aut capta aut superata auditur.* Et denique quod oppida apud Boreæ populum minus frequentia ac crebra causetur, nec id ex vero dici, ostendunt vel ea, quæ recitata superius sunt, ubi diœceses territoriaque ac urbes singularum regionum municipiaque enumeravimus.

Scioldri.

Ingenia.

Nunc ingenia videamus. Quæ ejusmodi sane protulit Dania, quorum eam pudere aut pœnitere nunquam debeat. Et si in comparationem venire cum ceteris regionibus etiam beatissimis instituat, reperietur sub axe cæli remotiore licet posita, si non certare cum terrarum omnium alumna ipsaque parente, ut eam Secundus celebrat, Italia posset, saltem inter ei proximas haud postremum meritura locum. Certè Iovius ille Novocomensis, Nucerinus Episcopus, postquam Italiæ suæ eruditos viros, ut est unusquisque in gloriam suæ gentis effusissimus, summis elogiis extulisset, seque ad Germaniæ cœlum vertens inter ceteros Alberti Crantzii, Danorum ac Suecorum Historici, meminisset, adjecit continuò: *Occulta hercule siderum commutatione evenisse arbitramur, ut illud cœlum molestis Boreæ flatibus, frigore geluque damnatum, horrida dudum torpentiaque ingenia mollierit atque excitarit. Neque enim contenti sua vetere militiæ laude, qua Martium decus Romanis, gentium victoribus, ereptum, stabili disciplinæ severitate feliciter tuentur, ipsa etiam pacis ornamenta, literas optimasque artes decoquenti Græciæ ac Italiæ dormitanti (quod pudeat) abstulerunt.* At idem Iovius si ad gentis, præsertim Danicæ, acta antecedentia mentem flexisset, etiam antiquissimis seculis cum Marte coluisse Musas comperisset; &, ut „Saxo habet noster, eandem conspicuis fortitudinis editis operibus, gloriæ æmulatione suffusam, Romani styli imitatione non solum rerum à se

„ à se magnifice gestarum titulos exquisito con-
„ textus genere, veluti poëtico quodam opere per-
„ strinxisse; verum etiam majorum acta patrii ser-
„ monis carminibus vulgata, linguæ suæ literis,
„ saxis ac rupibus insculpenda curasse. Scilicet hoc ipso docere quasi nos volens, quid id esset quod Tacitus initio sui libri de Germanis memorat, eos *antiquis celebrare carminibus (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus est) Tuisconem Deum & filium Mannum:* antiqua nimirum Carmina, has ipsas memorias hosque annales intelligendos, qui, rupibus insculpti, vastis se molibus ostentarent, codicum usum à cautibus mutuantes. In his præcipue ingeniis ingentisque spiritus viris primum sibi apud Danos vindicarunt jam olim locum, quos *Scioldros* vocitabant. Eos subinde fatidicos, & triplex eorum genus agnoscit Saxo. qui nec alii sunt, quam qui Ammiano Marcellino *Bardi*, *Eubages* & *Druides* appellantur, ut alibi demonstravimus. Nam *Bardos* fortia virorum illustrium facta cecinisse refert; *Eubages* summa & sublimia naturæ indagasse: *Druidas* vero ingeniis excelsiores secundum Pythagoram quæstionibus occultarum rerum aliarumque erectos ac despicantes humana pronunciasse animas immortales. Quorum inter ceteros Bardi à sono & murmure, quod cantitando edebant, ita proprie appellati, à **baeren** & **baerden**/ ut alibi ostensum: Dani ab eadem nominis ratione, *clangorem* significante, *Scialdros* dixerunt. Notavit eleganter Lucanus:

Vos quoque qui fortes animas belloque peremptas
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Scioldri.

Talis fuit in ordine Daniæ regum quartus, qui *Scioldus* est dictus, & cujus vocabulo, ut refert Saxo, in vetustissimis Danorum carminibus regia nobilitas censita est: Talis quoque *Hiarnus* ille, vernacule *Scial* sive *Scialdrus* cognominatus, qui defuncto rege Frothone tertio, qui ævo Augusti claruerit, ita populum proceresque, paucis suo more concinnatis vernacule versibus, affecit, ut omnium suffragiis regium diadema acceperit. Exilis opera, sed merces ingens, & quæ Africani illius Scipionis liberalitatem longe post se reliquit: qui Ennium suum, viventem adhuc, statua, defunctum sepultura honestasse satis habuit.

Ingenia.

Sed ab illa remotissima ætate ad tempora sequentia descendendo occurrit inter primos memorandus *Eschillus* archiepiscopus Lundensis, *vir*, ut eum celebrat Arnoldus Lubecensis ejus coætaneus, *summæ pietatis, quique relicto episcopatu & patria ad Claræ vallense in Gallias cœnobium se contulit, ubi sancte ac juste vivendo vitam in pace finivit: loca multa ex omni ordine spiritualium in patria construxit. Quæ quasi cedrus Libani multiplicata, non solum Daniam, sed ut vineam Domini Sebaoth, extensis palmitibus, usque ad mare, imo ultra mare etiam Slaviam repleverunt.* Hactenus ille. monasteria autem quæ ab ipso domi exstructa injicit, ea omnia uni divo *Bernardo* esse sacra dicataque voluit. Eum ille virum quanti fecerit, cum ex hoc, tum ex iis, quæ supra retulimus; & quam vicissim ipsemet Eschillus Bernardo gratus amatusque fuerit, ex ejusdem D. Bernardi epistolis, quarum una alteraque ad Eschillum exstat, esse cuivis perspicuum potest. Prodierunt jam nuper Lutetiæ Parisiorum Epistolæ Petri Abbatis Cellensis, divo quoque Bernardo coætanei; In iis ad Eschillum hunc nostrum perplures habentur. Omnium ad eum ultima libri octavi prima est, in qua spirantia sunt omnia, & plena pietatis: Ea etenim postquam Claræ vallem venisset scripta. hac eum solatur dicam, an gratulatur potius, quod, relicta mundi inquietudine, se inter monasticos Claræ vallenses abdiderit. Sed ipsa Cellensis verba superius quidem recitata, hic repetere haud injucundum fuerit. Sunt autem ista: *Circumferimur, periclitamur, naufragia experimur, & exire dissimulamus? quis non optat portum, ne incurrat naufragium? quis non præcidit hærentis in salo naviculæ funem, ne sentiat tempestatem? Gaudeo quia tenes jam portum, sedens ad portam sanctæ civitatis.* Quæ ceteraque ibi videnda. Eschillum *Absalon Vidus* excepit, ex Snareorum prosapia vir nobilissimus, multisque animi dotibus clarus; qui jam ante Roschildensium episcopus, inde ad cathedram archiepiscopalem Lundam evocatus, se per omnia toga & sago præeminentem exhibuit. Rebus etenim sub Valdemaro I, ejusque filio Canuto, ab anno Christi 1158 ad ann. 1200, universis non interfuit modo, sed & præfuit: nec antistitis tantum, sed & ducis exsequendo munia se veluti scopulum, initio rerum, piratarum conatibus objecit. Nam ipse descripto circa recessus omnes portuum præsidio navium, laribus ac domo procul, maritimas stationes peragens, suis excubiis omnium quieti consulere studio habuit. Nec minus tum quoque illius eloquentiam forum ac publici conventus salutarem sensere, dum ad rixas & vim prolapsas conciones domesticas sua mansuetudine ad modum sedatiorem reducere curaret. Atque ita, more majorum, & quomodo illi olim rei Romanæ florentissimi imperatores, non secius militem, quam pontificem agens, Slaviæ populos eorumque ferociam identidem compescuit. Sed hæc aliaque domi forisque præclare ac feliciter ab eo gesta, ex annalibus & iis, quæ supra memoravimus, pro parte repetenda. Decessit XII cal. April an. 1201, completo vitæ die apud Zælandos in monasterio, quod ipsemet ibi ædificari fecerat, Sorano. ubi & sepulturæ honore decoratus est. Epicedium, quod ejus tumulo est incisum, vitio longi ævi hisce tantum primoribus vocibus legi hodie potest: *Terrarum terror tegitur.* Cœnobium, quod indicavimus, suis impendiis è solo excitavit, addito Soreæ oppidulo, quod postea, subductis ædificiis, in arva conversum est. Inter ceteras fundati ejus causas haud inter postremas memoratur, voluisse ipsum ut in eo viri eruditione præstantes alerentur, qui regni annales resque posterorum memoria dignas chartis quotannis mandarent; quod nimirum non ignoraret, quanta fuisset antecedentium seculorum auctorumque ea parte socordia. Absalonem sequutus *Andreas Sunonis*, regni Cancellarius (Saxo in operis sui præfatione *sigilli regii custodem* appellat) vir claris natalibus, ipsiusque Absalonis è fratre pronepos, quique à regibus, ut patet, una cum *Eschillo* genus ducebat, in locum defuncti surrogatus pronuncia-

nunciatuſque eſt Lundenſium archiepiſcopus. Diu ille in Galliis, Italia Angliaque per omnem honeſtarum artium cultum ætatem tranſegerat, utpote qui Lutetiæ Pariſiorum publice docuit, & tandem ad lares reverſus regni rebus admotus fuit. Quantum vero in ſtudiis literarum profecerit, oſtendunt *municipales Scanenſium leges*, quas è vernaculo Latinas fecit, impreſſas, edente regni Cancellario nobiliſſimo *Arnaldo Vitfeldio*, felicis memoriæ, annos ante triginta, & quod excurrit, Hafniæ. Oſtendunt quoque hoc ipſum & alia ingenii ejus opera, & præſertim *Hexameron*, ſive de Mundi creatione Carmen Heroicum, haud inelegans, quod ſuo aliquando tempore, ſi Muſæ faveant, lucem videbit. Talibus viris, ſive ſidera potius appellem, lucentibus, nihil mirum & alia extitiſſe clara ingenia. Sane Italiam, Galliam, Germaniam ceteramque fere Europam univerſam barbaries tum occuparat, adeo ut iſto propemodum terrarum angulo extremoque Borea, quod mirandum, elegantia ac decus literarum ſteterit. Tunc etenim, ſuis tantummodo notus interque frigora atque Arcton ſtudia fovens, ſine exemplo maximus longeque admirabilis rerum Danicarum ſcriptor emicuit *Saxo Grammaticus*, eccleſiæ Roſchildenſis Præpoſitus, è vetuſta atque inclyta *Langiorum* familia oriundus. Quem exinde ſeculis aliquot, ubi emergere è vepribus ac tenebris ignorantiæ denſiſſimis caput cœpiſſet doctrina cultior, admirati ſunt viri doctiſſimi; & in his magnus ille Deſiderius Roterodamus, illo ævo hominem Danum non modo ſplendide magnificeque gentis ſuæ hiſtoriam contexuiſſe, ſed ad id exſequendum attuliſſe inſuper ingenium vividum & ardens, orationem nuſquam remiſſam aut dormitantem, tum mirificam verborum copiam, ſententias crebras & figurarum admirabilem varietatem, ut exputare iterum iterumque haud potuerint, unde homini ad axem propemodo extremi Boreæ poſito tanta vis eloquendi ea ætate promanarit. Habuit ille operum ſuorumque ſtudiorum impulſorem præcipuum ac veluti ergodiocten, Abſalonem Vidum, cujus jam modò memini, Lundenſem archiepiſcopum. In cujus quoque gratiam ac decus ſuæ gentis, hiſtoriam, quæ hodieque eſt in manibus, Latine contexuit. Vnum optandum fuiſſet, ſi adjecta annorum æra, lucem majorem rebus addidiſſet, & inductis quoque ævi illius incerti ac vetuſtiſſimi nonnullis, quod ad libros præſertim primores attinet, hiſtoriam magis quam fabulas, quod ei Vives impingit, poſteris tradidiſſet. Nam cetera ſane (licet & iſta quibus tueatur habet) ejuſmodi ſunt, quæ à legibus legitimæ hiſtoriæ nihil abeant. Eſtque egregium hoc pacto felicemque rerum ſuarum præconem nactus Rex *Valdemarus* eique proximus *Abſalon.* qui haud ſatis exiſtimarunt ſumma cum gloria maximoque patriæ emolumento res præclaras perpetraſſe, niſi earum quoque egregium hunc ſcriptorem ſibi familiarem reddidiſſent: in morem ſcilicet veterum illorum, cujuſmodi fuere apud Romanos *L. Lucullus*, qui Archiam Poëtam coluit, ut & *Marius*, licet ad ſtudia, ut inquit Cicero, durior: Cujus tamen res Cimbricas, ut idem refert Tullius, Archias adoleſcens attigit: Et ille item *Scipio Africanus*, qui nihil hiſtoria & rerum memoriis ad poſteros tranſmittendis præſtantius ducens, ſecum domi militiæque Polybium habuit, ut & Ennium Poëtam: quem exinde defunctum ſuo in mauſoleo deponi Scipiones voluerunt. Erantque de Grammatico noſtro plura dicenda nobis, & ejus præſertim vitilitigatoribus, quos nactus eſt plures, nonnulla ſeorſim pleniuſque reponenda: ſed ea omnia claudam verbis viri clariſſimi mihique ſingulariter chari *Gerardi Iohannis Voſſii*, quæ poſuit Libro 2 de Hiſtoricis Latinis, iſta ſcilicet: *Saxo Grammaticus* Sialandicus, Roſchildenſis in Dania eccleſiæ Præpoſitus, ad Andream Sunonis, Daniæ epiſcopum, hiſtoriam ſcripſit Libris XVI: in qua non pauca ſunt fabuloſa: ut haud cuncta recipi debeant ἀβασανίστως. Nec tamen tantus eſt fabulator, ac videtur nonnullis; qui eum nullo habent loco. Inter hos eſt Goropius Becanus: de quo minus eſt mirandum, cum argumentum tractet, non παράδοξον modo, ſed etiam ἄδοξον. Rejicit igitur non quidquid debet, ſed quidquid obeſt cauſæ ſemel ſuſceptæ. Quod ad Saxonis dictionem, tanta hujus eſt elegantia, ut ætatis illius captum plane excedat: imo cum antiquorum & noſtri ſeculi plurimis certet. Perduxit hiſtoriam ſuam uſque ad tempora Philippi Cæſaris, ſub quo non inglorius vivebat. Mentio ejus fit ab eo, qui Saxonem in Dania, aut vidit, aut videre potuit: diſcipulo dico S. Gulielmi, Roſchildenſis in Dania Abbatis, apud quem in præceptoris vita hæc legas: *Mittit itaque in Gallias Saxonem, Præpoſitum Roſchildenſem, virum honeſtum, qui ab S. Genoveſæ collegio petat dominum Vuilhelmum, cum aliis tribus fratribus, mitti in Daniam &c.* Hactenus Voſſius. *Gulielmus* vero iſte, *Pariſienſis* dictus, Abbas fuit cœnobii apud Danos Ebelholtenſis, quod ad ſanctum Paracletum Latine nominabant.

Saxo Grammaticus.

Ad gentis inſtituta primoſque reges, quod attinet, ſi ex iis, quæ jam ante de Cimbris Theutoniſque ſunt memorata, facere conjecturam libeat, habuere Dani ſuos olim reges vetuſtiſſimos. Nec ad id demonſtrandum adferri aut repeti opus, quos Saxo, eumque ſecuti, recenſent aliquot ante Chriſtum natum ſeculis; in quibus *Danus* primus, ut placet nonnullis, Chriſto trecentis annis prior fuerit; ſed dicere ſatis ſit, quod certis ac claſſicis authoribus ſuperius patuit, Cimbros ſcilicet, cum extra ſuum ſolum cum Romanis belligerarent, Catuli ac Marii Conſulum temporibus, hoc eſt, nondum in terris nato Servatore, reges habuiſſe. Quorum qui Cimbris tribuuntur *Bojerix* & *Beleus*, ſive, ut ſcribunt alii *Bolerius* nominatur. In quibus & *Teutobechus* eſt, Theutonum Rex, & *Viridomarus*, qui à Boreali hac quoque plaga profectus, Rhenum tranſmiſiſſe ſeque in Gallias conjeciſſe refertur, etiam ante Cimbrorum expeditionem. Deinde *Caroli Magni* temporibus & ante ejus ætatem potentiſſimi hujus tractus reges recenſentur: & inter ceteros, qui ipſi *Carolo Magno* negotium faceſſit, ac ſibi ut vero ac genuino Germano deberi Germaniam exiſtimavit, *Gotricus* fuit; alii *Godefridum* nuncupant. Hujus continua præterea nec uſquam interrupta ſerie aduſque

Reges.

adusque reges hodiernos constare prosapiam, dubium haud sit. quamvis defecisse in ultimo Christophoro circa annum Christi 1448 pluribus placet. At eam etiam, quæ modo est, regum domus, Oldenburgicam dicimus, quæque primum *Christianum* regiæ familiæ archegum agnoscit, inde originem suosque arcessere natales, suo exinde patefiet loco. Regni regimen, cujusmodi & hodie animadvertitur, ita est temperatum, ut inter monarchicum & principatum veluti intermedium, monarchiæ tamen persimile fuerit, cum Regum electio non nisi ex regia sit facta familia; & omnis penes eosdem, quemadmodum & hodie, constiterit auctoritas. Adeo ut qui adsertum velint, inter quos Iohannes Bodinus, Daniæ non reges, sed principes potius esse, nec habere jura majestatis, quod peculiaria aliquando pacta inter nobilitatem & regem ante ipsam inaugurationem præter solennia sacramenta intercesserint; illis sciendum, ea cum momentanea fuerint, & in arbitrio cujusque posita, nihil derogare regiæ potestati. Nam ad jura juranda, quibus justitia & salus reipublicæ consistit, priusquam initientur, adigi reges, ex usu ac statu cujusque imperii habetur. Nec in ipsis Galliis aliter fieri aut obtinere Bodinus inficias iverit: cum à solo Rhemensium pontifice, præsentibus populo ac proceribus inaugurati reges in regni statuta legesque jurent. Sic & Sueciæ reges, qui olim haud aliter quam Daniæ reges electione sumebantur, nunc vero hæreditarii habentur, legibus tamen tenentur, inque coronatione jurare solent se religionem Christianam majorumque constitutiones servaturos, nullasque novas vel extraneas leges sine Statuum consensu laturos introducturosque: & Nobilitatis quoque privilegia sarta tecta habituros: Eaque si violaverint, subditi à fidelitatis juramento, quod ipsi vicissim dixerant, se exemptos putant, & alium regno commodiorem, ex eadem tamen familia, regem constituunt.

Nec concedendum eidem Bodino, aut illa ejus verba libro I de Republica, Sectione III, admittenda, ubi inquit: *Consimiliter Daniæ reges, qui etiam Norvegiæ partem possident, jura majestatis sibi vindicarunt; quod quam verum sit, prius exposuimus. Holsatiæ tamen agrum, regno finitimum, imperii Germanici beneficio habent; & antea quidem Daniæ regnum imperii Germanici feudale beneficium exstitit; ipsique Daniæ Duces in fide Germanorum permanserunt, non modo Lothario imperante, cui Canutus Daniæ Dux, fidelitatis obsequium præstitit: sed etiam Frederici* I *imperio. qui primus omnium Petro Duci Daniæ regia stemmata dedit, ac regia potestate beavit: iis tamen legibus, ut in fide ac obsequio imperii Germanici perpetuo maneret; sed posteri tandem ab imperio desciverunt.* Nam primo jura majestatis, ut modo indicatum, non minus quam Galliæ aut alii Europæ reges Dani habent. nec ullo pacto probari potest Daniæ unquam regnum imperii Germanici beneficium exstitisse. Nam de Duce Canuto quod dicitur, is non Daniæ, cujus haud unquam Rex fuit, sed Obotritorum ac Vandaliæ districtuum nomine fidelitatis obsequium Imperatori Lothario præstitit. Daniæ autem Ducem quod vocet, & *Petro* quoque, Duci Daniæ, regia stemmata ab imperatore *Frederico* Barbarossæ cognomento, primitus data dicat, erroneum similiter est, cum Daniæ nulli unquam ut Duces præfuerint, & *Petrus* ille perperam ab Othone Frisingensi ita nominetur, & mox Frisingensem sequutus Trithemius; & hunc Bodinus errorem errore cumularit. Res autem sic habet: Erico Lam, Daniæ rege, humanis exempto circa annum Christi 1147, ut est à nobis suo superius loco enarratum, de regio invicem diademate obtinendo concertarunt *Canutus* & *Sueno*; Sueno, inquam, qui Gratenhede postmodum dictus. Estque hic idem, quem perperam, de quo dixi, Frisingensis, *Petrum* nominat. Eratque ille *Magni* Gothorum regis, hic vero regis Danorum *Erici* Emundi filius. Canutus aliquoties à Suenone superatus ac Daniâ postremum exclusus, ad Cæsarem *Fredericum Barbarossam* se recepit: eumque veluti extremum præsidium ac sacram anchoram amplexus, sibi de eo, utpote communi Germaniæ pacatore, omnia summa pollicebatur. Nec deerant ingentia promissa, quibus allicere imperatorem ac dicto audientem reddere poterat, dum se, præter alia, in ejus beneficio patriæ procurationem, cunctaque ad ipsum relaturum identidem promittit. Itaque Augustus proferendi imperii studiosus confestim ad Suenonem, quo olim juvene ipse ejusdem ætatis in aula imperatoris *Conradi*, dum unà stipendia facerent, familiariter atque amicè usus fuisset, nuncium mittit, oratum ut se invisat, esse de quibus cum eo conferre cupiat, sed & veteris præsertim amicitiæ nomine, tum ipsius post intervalla videndi ac salutandi desiderio, hoc ipsum serio petere; adjiciens semet propius adcurrere voluisse, nisi præpedivissent imperii negotia. Sueno tam honorificâ ac benignâ Imperatoris compellatione invitatus, assumpto sibi, præter cæteros, *Valdemaro* ad Imperatorem Mersburgum Misnorum, quo tum fere totius Germaniæ nobilitas confluxerat, magna cum apparatus majestate profectus est. Cumque ad urbem pervenisset, à Cæsare primo amanter habitus, mox æmuli sui Canuti altercationibus involutus, haud, per omnia, facta promissis respondentia deprehendit. Cæsar enim pacis conditiones, quibus parere utrumque sub pœna læsæ majestatis cupiebat, ejusmodi proposuit, ut *Sueno* Imperatorem recognosceret, *Canutus* vero seposita regni spe Suenonis militem agens beneficii loco Sælandiam acciperet. *Sueno* in re tam ancipiti parendum, aut periclitandum videns, simulata assensione, paterna bona, quibus in Sælandia frueretur, se excipere referebat, ne scilicet à pactis resiliendi in omnem eventum deesset occasio. At in regnum mox regressus, è vestigio literas ad Imperatorem mittit, quibus pactiones cum eo initas, ut fide minus bona transactas, & in quas nemo ante se regum concesserat, eatenus rescindere significat. Ex quibus liquere sat potest, tantum abesse ut posteri Suenonis, quod vult Bodinus, ab imperio desciverint, ut ne ipse quidem Sueno imperii unquam jussa capessierit, aut ullum ab eo regium stemma serio susceperit: cum ejus jam ante majores Daniæ reges fuerint, nec imperio uspiam obnoxii. Et licet id non simplice exinde vice

tentarit idem *Fredericus*, cum & *Valdemarum* atque inde ejus filium *Canutum* Danorum reges imperio innectere satageret, nihil tamen obtinuisse constat. Et, inter cetera, cum anno Christi 1184 per Thuringiæ Marchionem *Suffridum* id identidem ageret, responsum imperator tulit, ferente illud Lundensium antistite *Absolone*, Danica libertate dignum, Cæsari scilicet *Canutoque* æquum regnandi jus esse, nec minore libertate hunc Danici regni, quam illum Imperii Romani gubernacula continere, ut est à nobis suo superius loco memoratum prolixius. Nam & ante cum idem Barbarossa amicè ad se invitatum *Canuti* jam dicti parentem *Valdemarum* imperio item obsequentem reddere Mediomatrici conaretur, causam regis Danorum regnique Danici agente apud Cæsarem luculenter eodem Absalone, frustra similiter Cæsar fuit. Qui & regem tum quoque Francorum *Ludovicum* ad eadem Comitia evocando haud aliud agitare visus fuit. Sed ab eo quam vafre elusus Imperator fuerit, apud Helmoldum est legere. & nos quoque superius ad annum 1162, de *Valdemaro* loquentes, nonnihil eadem occasione injecimus. Vt ita Bodino si conatum & votum Imperatoris interpretari pro facto libeat, ulterius progredi habeat, & alia quoque liberrima regna imperio aliquando obnoxia efficiat. Et ausus est scribere circa annum Christi 1139 *Conradus* Imperator, enarrans imperii sui statum, sibi non Angliam modò & Daniam, sed Hispaniam quoque, & Franciam dicto obedientem haberi. Cujus epistolæ ad *Iohannem Constantinopolitanum* imperatorem exemplar apud Othonem Frisingensem servatur, ubi, præter cetera, hæc legas: *Ad hoc Francia, Hispania, Anglia, Dania ceteraque regna imperio nostro adjacentia, quotidiana legatione sua, cum debita reverentia & obsequio nos frequentant, ad ea quæ imperii nostri mandata sunt, se prompta esse tam obsidibus, quam sacramentis affirmantes.* Nunc Ordines seu status totius reipublicæ inspiciamus.

I. *Rex regisque familia.*

Primus est Rex Regisque familia. Regis filius primogenitus regno destinatus, electusque communi Senatorum suffragio, *Princeps* appellatur. Ceteri fratrum, titulo Ducum atque hæredum regni Norvagiæ, quod hæreditarium habetur, vulgo nuncupantur.

II. *Nobilitas.*

Secundus Ordo Nobilitatis est. Inter nobiles autem nulli Duces, Comites aut Barones censentur; quamvis olim, quod ex historia cognoscitur, non Comites modò, sed & Duces Dynastæque fuerint, cum, scisso per partes regno, alius aliud sibi territorium vindicaret: quos tamen fuisse non tam nobiles quam regum familiæ quamproxime agnatos, aut ei per connubia innexos, eadem docet historia. Interim ipsi nobiles longa majorum serie nobilitatem demonstrant; Clypeos insigniaque gestantes, quæ mutare vel augere, antiquitati eorum ac splendori esse dedecori existimant. Supersunt hodieque familiæ, quæ adfuisse transactioni inter *Carolum Magnum* & *Hemmingum* Danorum regem super Eidoram fluvium factæ putantur, ut *Vren* & alii: Meminit & Saxo Grammaticus *Tottiorum Oxiorumque*, annos ante quadringentos, & quod excurrit celebratorum. Possident nobiles bona sua cum jurisdictione capitis majori minorique. Liberam etiam habent venandi aucupandique potestatem suis in bonis, quemadmodum in Germania Comites. Bona ipsorum non feudalia, sed hæreditatis seu, ut vocant, allodialia sunt.

Bonorum inter Nobilitatem divisio ac ratio.

Castra prædiaque ac bona omnia, tam mobilia, quam immobilia, à parentibus relicta æque dividuntur inter fratres: ad ea sorores etiam admittuntur ex singulari privilegio, ita tamen ut frater duas partes, soror verò tantum accipiat unam, filiisque Arces ac Castra cedant. Sic ad primogenitum devolvi prædia non omnia, sed tantum æque divisa possunt.

Est & salutaris in Regno Constitutio, qua bona immobilia sibi ære comparare à Nobilitate Rex prohibetur: ne forte inter regem hac de causa & regni proceres lis ac dissensus oriatur; & emere Rex velit, quæ vendere nollent Nobiles. Proinde per hanc constitutionem huic rei à proceribus Regni optime provisum est. Licet interim Regi permutare bona cum Nobilitate. Contra, nobilibus nulla bona fas emere à regiis rusticis. Habent enim rustici nonnulli bona hæreditaria & propemodum libera.

Ex Nobilitate Senatores regni.

Ex ordine Nobilium eliguntur *Senatores* Regni, quorum numerus 28 raro excedit. Eis omnibus decreta honesta alimenta à Rege & Regno. Singuli enim Arces regias habent, quandiu Senatoriam obtinent dignitatem: de quibus Regi nihil contribuunt, sed tantum equites aliquot alere pacis & belli tempore, &, à Rege quandocunque evocantur, ei propriis impensis intra regnum præsto adesse tenentur. Si legati extra Regnum ablegantur, honeste illis providetur ex fisco, ut tanquam Regii legati Principum more ubivis agant. Reliqua nobilitas etiam suam habet honestam à Rege sustentationem, sive in aula Regia vivant, sive ab ea discedant. Sunt enim Regi prædia, quæ Danico idiomate **Verlehninge** sive beneficia vocantur. His prospicere pro more solet bene de se regnoque meritis, ad vitam aut ad annos aliquot. Ex horum prædiorum proventu tenentur paratos habere equites aliquot, & fisco etiam Regio certam pecuniæ summam quotannis dependere: eo tamen more modoque, ut ipsi pro labore ac famulitio domestico aliquam sibi commodi partem retineant.

Magister Aulæ.

Ex eadem præterea Nobilitate eliguntur *Præfectus* sive *Magister Aulæ*, *Marischallus*, *Admiralius*, *Cancellarius Regni*, *Cancellarius Regis*, *Ærarii Præfectus*. Quorum *Aulæ Magistri* officium fere est tale, cujusmodi olim Majoris domus in Gallia. Is, ut plurimum, Haffniæ agit, tanquam Regis vicarius, res à Rege sibi demandatas sua cura ac studio exequens.

Marischalcus.

Deinde *Marischalcus* tempore belli & pacis, ea quæ ad expeditiones pertinent, procurat.

Admiralius.

Admiralius naves ædificat, veteres restaurat, & ea singulis annis ordinari ac fieri curæ habet, quæ ad Oceanum tutandum resque nauticas disponendas pertinent. Habet & is sub se constitutum subalternum *Admiralium*, & in navibus singulis præfectum ex equestri ordine.

Cancellarius regni.

Ad *Regni Cancellarium* ex omnibus provinciis atque insulis appellari consuevit: à quo ad Regem & Senatum regni appellatio vicissim devolvitur. Sunt enim divisæ provinciæ singulæ in sua territoria,

Telaxiorum præfecti.

III. *Status Ecclesiasticus.*

toria, seu diœceses, quæ *Herret* vocantur; sub quibus parochiæ perplures habentur. Ibi primum de jure disceptatur, si rixæ fuerint invicem ortæ. Hinc, si necesse fuerit, appellatio instituitur ad terræ sive territorii ejusdem Iudicem. Deinde ad Regni Cancellarium, postremo ad Regem ac Regni Senatores: ibi ultima ac decretoria sententia promulgatur. Habent indigenæ jus scriptum, à *Valdemaro* I, episcopis ac regni Senatoribus primitus congestum; atque inde variè ab eorum successoribus per Recessus, ut vocant, vel restrictum vel auctum. Est hoc ipsum jus legi naturæ valde congruum, nec à legibus Romanis admodum discrepans. nisi quod populari ac vernacula lingua constet, omniumque intelligentiæ pateat. Vnde & lites multo citius, quam alibi, finem assequuntur, lataque sententia paratam habet executionem. Primi judices si iniquam tulerint sententiam, in dimidiam partem bonorum condemnantur, quorum dimidia Regi, cetera pars læso sententiâ injustâ cedit. *Regis Cancellarius*, qui plerumque in aula Regi adest, habet sibi adjunctos 7 vel 8 ex nobilitate, ut secretarios & scribas. Omniaque per eum Regis nomine negotia quotidie pertractantur. Ei ob summam dignitatem atque interiorem ad regiam majestatem inque negotia regia admissionem summus honos tribuitur, & ut plurimum, *Magnus Cancellarius* nuncupatur. Si quid tamen majoris nomenti inciderit, ut de pace aut bello deque fœderibus ineundis, vel de finibus defendendis, ea occasione concilium universi senatus à Rege cogitur. Nec ullum Regno tributum aut onus imponitur, uti nec Rusticis, absque Senatorum ac procerum consensu. *Ærarii Præfectus* omnes totius regni reditus, tam castrorum, quam prædiorum, nec non telonia, cum in mari, tum terra colligit, rationes audit, examinat, inquirit, apochas sive quitancias pecuniam offerentibus reddit. Huic adjuncti sunt duo ex nobilitate & scribæ ex plebe plures. Ei laboris ac curæ hujus nomine annuum salarium est designatum. Præter ærarii regium hunc Præfectum, sunt & alii à Rege constituti vectigalium præsides, qui ærariis ac teloniis aliis ac seorsim colligendis curant. Et, inter cetera, habent fere trajectus singuli ejusmodi, quos vocant telonarios. Et in his præcipue eminet nauticum telonium, quod Helsingoræ ad Zuntæ fretum est collocatum. Cujus, ut & aliorum, non tam ex Nobilitate, quam ex optimatibus aliqui, aut quibus id regia majestas meriti loco aut aliàs indulserit, curam gerunt.

Teloniorum præfecti.

III. *Status Ecclesiasticus.*

Tertius est status Ecclesiasticus, in quo Episcopi septem, ut Archiepiscopus *Lundensis*, Episcopus *Roschildensis*, *Othoniensis*, *Ripensis*, *Wiburgensis*, *Arhusiensis* & *Slesvicensis*, ad quem ceteri etiam Canonici referuntur: His regni decimæ cedunt. quæ tamen in provinciis diversis diverso modo se habent. Dimidiam partem decimarum percipiunt episcopi, dimidiam Rex, aliquam Canonici & Pastores, pars etiam ædificandis aut reparandis ecclesiis tribuitur. Et quantum ad jus pontificium attinet, semper in Dania, quemadmodum & in Gallia, collationes prælaturarum atque episcopatuum penes Reges fuere. Et huc præcipue *Valdemari* III Danorum regis responsum spectat: Cum enim Romanus Pontifex, anno 1370, à Rege hæc & similia postularet, rescripsit in hanc sententiam: *Vitam habemus à Deo, regnum à subditis, divitias & nobilitatem à parentibus, religionem à tuis prædecessoribus, quam si nobis invides, remittimus per præsentes.*

Quemadmodum vero *Caroli* Quinti Imperatoris rescriptum laudatur, quo inhibetur ecclesiasticæ personæ rem ullam immobilem coëmere absque principum consensu: ita *Christianus* tertius æque prudenter constituit, ne Ecclesiastici aliquid divendant absque expresso regis mandato. Alioqui singulari cura per regnum universum provisum est omnibus, qui suam ecclesiæ operam addixerunt. Et scholæ quoque particulares multis in locis erectæ, veluti seminaria ecclesiæ; & Academiæ quoque, quæ unica est, regno universo communis, Hafniensis scilicet. Academia vero, de qua dixi, quamvis actitatum de ea constituenda sub Erico Pomerano, tamen fundata demum est, rerum potiente Christiano Primo, pontificatum Romæ tenente Sixto IV, cum annus flueret Christi 1478. Eam exinde *Fredericus* II, licet bello Suecico septennali implicitus, locupletavit nihilominus, & ejus proventus sexaginta thalerorum millibus adauxit.

IV. *Cives.*

Quartus status est civium & Mercatorum, urbes ac municipia passim habitantium. Sunt his propria sua privilegia, quibus seorsim frui ipsis concessum. Attributi quoque agri ac latifundia propria silvæque limitibus circumductæ. Hi in pagis perque maria in omnibus Europæ partibus mercaturam exercent. Ex his, non exclusis etiam rusticorum liberis, eliguntur Episcopi, Canonici, Pastores & Senatores urbium, Scribæ in castris & arcibus regiis ac nobilium, magistri item ac gubernatores navium, aliqui etiam præficiuntur teloniis: Iudicia denique omnia minora ex his constituuntur, præside interdum uno ex Nobilitate.

V. *Rustici.*

Quintus status est Rusticorum. Horum duo sunt genera. Primum vocatur, **Frybunder**/ id est, liberi coloni. Hi agros possident hæreditarios, paululum tamen inde singulis pendunt annis. Exercent iidem mercaturam etiam ac piscaturam. Servitiis præstandis non opprimuntur, nec tributa pendent, nisi consentiente regni senatu. Alterum genus eorum est, quibus non sunt bona hæreditaria, sed à Rege, Nobilibus aut Ecclesiasticis personis ea conducunt. Vnde & varia dominis suis præstare officia servitiaque tenentur, prout cum domino latifundiorum convenerint.

Ex his liquere sat puto, regni Daniæ politiam peroptime constitutam: dum ita sit libera regis electio, ut ea non nisi ex regia familia perficiatur. Vnde & rarissime inter Danos bella intestina aut dissensiones exortæ: & si quæ talia extiterint, ea interventu nobilitatis ac procerum citissime composita conticuere, præsertim cum ad regum liberos nulla regni pertineat portio. Et nobiles quoque sedato cupidine agant, utpote inter quos, haud existentibus Baronum, Comitum ac Ducum titulis, prærogativæ nullæ aut eminentiæ sint, nec tantis quispiam affluat facul-

cultatibus, ut iis fisus se regum familiæ opponat, cum & paterna singulorum hæreditas, ut & ante memoratum, divisione inter filios filiasque propemodum æquali peragatur. Ab hoste quoque externo, quod sibi magnopere regnum metuat, haud est, modo cum rege subditi, ut domino suo naturali, totaque respublica unum agat.

Anno autem salutis millesimo sexcentesimo sexagesimo paululum immutata est hujusce forma regiminis, quo ad Majestatem regiam; concordibus enim omnium regni statuum suffragiis sancitum est, Regem in posterum fore hæreditarium, filiumque Regis natu majorem regni diadema hæreditario jure possessurum, aut si quando legitima Regis soboles deficeret, jus regni perventurum ad consanguineum Regis propinquiorem: Hoc autem decretum solenni pompa celebratum est, omnes quippe regni ordines, inviolabili juramento firmarunt se constanter observaturos quodcunque Regiæ Majestati de hæreditaria regni successione spopondissent; & hoc jure quidem merito, in signum videlicet devincti prorsus in suum Principem Fredericum III, animi, qui nuper Carolum Gustavum Sueciæ regem funesto belli incendio Daniæ totius exitium molientem strenue propugnasset.

Nobiles denique, licet nec Baronum, nec Comitum aut Ducum titulis, ut indicavimus, gaudeant, *dignitas* tamen ac prærogativa tribui eorum nonnullis, præsertim de republica bene meritis, à rege solet, quæ *equestris* appellatur: Vnde ea quicunque ornati, **Ridders**/ eorumque liberi ac prosapia, **Riddersmens men** vulgo appellitantur. Latine hos tales *Equites auratos* dicimus. Nec illud modò, sed & his quoque illud accedit, ut in *ordinem* hunc *auratorum Equitum* adlecti, aureo nummo, vel torque aureo cum elephanti simulachro castellum gestantis donentur. ita ut ima torquis parte *Elephantus* affabre in eam speciem elaboratus dependeat. quemadmodum in more quoque positum Burgundicæ domus principibus *aureum vellus* equitibus à se creatis donare solitis, quorum primus qui hoc institutum sequutus fuit, *Philippus Bonus* celebratur. & apud Anglos *Garteri Equites* sive *ordo* habetur, quem *Eduardus* Tertius eo nomine Rex instituit. Quorum singulorum causæ atque occasiones varie ab authoribus referuntur.

Equites aurati.

Equitum Elephanti ordo.

„ Est in Dania Ordo militaris Elephanti Equitum divæ Virgini dicatus, quibus pro tessera est torques aureus ex elephantis, castella tergo ferentibus, & calcaribus, quæ Equitum proprie sunt insignia, interpositis connexus, appensa inferius effigie Dei genitricis Solaribus radiis circumdatæ, cui rursus orbicellus aureus tribus clavis insignis, certoque literario emblemate inscriptus, symbola omnia Christianæ pietatis & Equestris dignitatis annectuntur. Cujus quidem instituti leges & à quo conditas, rescire hactenus non est datum. Vidimus tamen non raro Regum Danorum insignia (quæ tres leones viridis coloris, Leopardos feciales nuncupant, in campo aureo lachrymis sanguineis, seu cordibus humanis seminato, præferunt) ejusmodi cingulo seu torque, uti hîc exhibemus, exornata, & apud armorum reges tali facie, inter Principum insignia est reperire. Fecit & nobis copiam aurei nummi Franciscus Bergius vir munditiæ & elegantiæ in omni vita assuetus, & insigni nummorum antiquorum supellectile, aliisque prisci ævi monumentis instructus; quo in pulvere viri Principes, uti quondam illustrissimus Princeps Carolus Dux Croyus & Arschotanus, & etiamnum nobilissimus vir Nicolaus Roccoxius, non tam splendore natalium quam consulari Antverpiana in urbe dignitate multisque virtutibus clarissimus, aliique desudant heroës. In cujus nummi antica parte videre licet effigiem moderni Regis Daniæ cum hac inscriptione: *Christianus* IV, *D. G. Dan. Nor. Vand. Goth. Rex.* præfert enim is in publicis tabulis Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum & Gothorum Regis titulum; ab altera vero *Dux Slesv. Holst. Storm. & Ditmars. Comes in Oldenb. & Delmenh.* cui præter tredecim diversorum regnorum & principatuum Imperii Danici expressorum insignia, insunt arma gentilitia, Daniæ cruci, cui Elephas subest, superposita. Similisque & alius est nummus eadem serie, etsi mutato ordine, cum elephantis castello onusti symbolo, præferens insignia. Ex quibus constat, ordinem Elephanti non infimo apud Danos loco censeri, & parentem dicti Christiani III (forte IV) ejus conditorem asserunt. Huc facit, cujus & Hieronymus Henningus meminit in Theatro suo Genealogico, ubi insignia regni Daniæ hoc ordine & collari, quod Elephantem cum castro appensum prætendit, condecorata, Christierno IV Regi consecrat dedicatque. Nec mirum Elephantis symbolum à Regibus Daniæ huic Ordini cohonestando adsumptum, cum summis virtutibus nobile hoc animal ab antiquis prædicetur, & quod proxime ad humanam rationem accedat, fortitudine scilicet militari, prudentia & fulcro imperiorum, Religione, quæ non nisi in hominem cadit, clementia Regia, quæ Cæsarem Deorum adscripsit numero, Augustum consecravit: Pio cognomentum dedit; clementissimis imperatoribus Maximino, Balbino & Gordiano statuas cum Elephantis decrevit. Adhæc Ægyptii Regem per Elephanti simulachrum intelligebant, non ea tamen de causa, quod cum gregatim semper ingrediantur, is, qui maximus est natu, gregem ducit, quod in regibus eligendis multarum nationum & gentium mos fuit, ut id muneris senioribus demandaretur, & apud Hebræos seniores, apud Athenienses Palæologi, apud Romanos Senatores rerum habenas moderari soliti: Verum propterea quod habeat Elephas hoc animi regii peculiare, ut genua non flectat, quemadmodum animalia reliqua, sed leviter tantum incurvet calcaneum. Nam genua non flectere, dubio procul ostendit supplicabundum non esse; flectere vero calcaneum, humanitatem, qua maxime hoc animal præditum est, subindicat. „

Hactenus illi. Et olim quidem, cum solum vel bellica aut alia aliqua egregia laude insignibus hæc dignitas tribueretur, ordo equestris æstimii majoris fuit, quam isto nostro seculo, cum haud semper testatæ virtutis merito dari, sed qualescunque passim favore principum sublevari, ut plurimum, contingat. Quod tamen licet frequenter

ter alibi, apud Danos hodieque rarissime obtinere solet. Et vix nisi, ut præclarum & ingens compertæ præstitæque virtutis præmium, illis, qui strenuam ac memorabilem domi militiæque operam enavassent, solenni ritu ceremoniaque, idque in conspectu sæpenumero exercitus campisque patentibus, ab ipso conferri rege moris habetur.

Regum insignia.

Ipsa autem Regum insignia, quorum superius mentio fit, quæque regnorum tredecim imagines præferre memorantur, ea etiam cujusmodi sint, operæ pretium existimavi hoc loco silentio haud prætermittere. Olim quidem Cimbri æneum Taurum, ut roboris ac fortitudinis signaculum prætulerunt. Nunc longo id ævo obsoletum est, nec locum habet. Primo igitur, qui exhibentur, Tres Leones Daniæ regni insignia sunt, in solo croceo. Et proxime ei positus cum bipenni Leo, Norvagiæ sceptrum indicat: Qui vero illi locatus est conterminus corda novena saltu transiliens, Gothos eorumque imperium notat, in rosea planitie.

Hinc rigidos Slavos effert pernicibus alis,
Et loca propugnat sanguinolenta, Draco.

Hos eosdem & Vandalos aliàs vocamus. Inde quæ sequuntur Tres Coronæ, unionem trium regnorum Daniæ, Sueciæ Norvagiæque significant. Gothlandiæ, ejusque amplissimam in sinu Balthici maris sitam ditionem, Agnus Christi exhibet, gestans vexillum, cui inscripta in solo rubeo Crux Candida. Hujus origo refertur ad illud, quod factum est apud Livonos, *Valdemari* II Regis memorabile prælium. Vbi Dani, amissa per errorem, quam sequebantur, aquila, cum in fugam agerentur, demissum cœlitus memoratur novum vexillum, in cujus rubeo solo, *crux alba* erat descripta, cujusmodi etiam sequuti fuerant. atque ita revocato continue gradu, hostilem aciem acerrimo conflictu perruperunt; atque egregiam, ad suos, fuso hoste, reportarunt victoriam. Hanc ob causam, quodque Rex idem *Valdemarus* II Christi fidem ad ultimos illos Livonos Esthonumque populos primus propagarat, ostentant regni insignia crucem jam dictam. Vexillum vero ipsum **Danebroga** exinde est nominatum, ac magna semper religione, veluti regni palladium aliquod custoditum: quin & existimatum putatumque in præliis omnibus ex eo certantium pendere fortunam: ad morem fortasse, quo Cæsar quoque *Constantinus* crucem labaris intextum militi præferre pro more habuit, cum ejusmodi symbolo, *in hoc signo vinces*. An vero vexillum idem cælo, ut memoravimus, dimissum sit, an vero à pontifice Romano, ut regis studium excitaret, loco *Cruciatæ*, quemadmodum id temporis vocabant, submissum, disputare hoc loco non est animus. Bini vero, qui proxime adstant, Leones, Ducatus Slesvicensis insignia habentur. Eis qui proxime appingitur, Coronatus Piscis Islandiæ insulam præsignificat. Vrtica vero, quæ subjungitur, Holsatiæ; Cygnus autem coronata cervice Stormariæ ditiones ob oculos ponit. In medio horum insignium, qui est positus Eques Cataphractus, Dithmarsos eorumque territorium præfigurat.

Celsa Trabes *gemini pingit Delmhorsta coloris,*
Oldenburgiaca Crux *vehit* Alba *domum.*
Turrigeri hæc celebres cingunt Elephantis *honores,*
Fama volans quorum tollitur æqua polo.

Nobilium familias notiores, quique longo sanguine ac rerum publicarum felici administratione prosapiam nobilitarunt, subjecimus ordine Alphabetico. Suntque isti:

Familiæ nobiles.

Appelgardii, Axselii, Arefeldii: Brahei, Binggii, Belovii, Bildii, Brockenhusii, Biornii, Banneri, Beckii, Blickii, Bassi, Baxii, Baselichii, Billii, Bockholtii, Buddii, Bammelbergii, Brunii, Baggii: Cnutzenii, Caasi vide K: Dresselbergii, Daai, Duvii, Duramii: Eiderstorper vide Heiderstorper: Frisii, Fassii, Falstrii, Falckii: Guldensternii, Grubbii, Goei, Grenii, Glambekii, Gelschuttii, Gallii, Grammi, Grisii, Gossi: Hardenbergii, Holkii, Hokii, Hundertmarckii, Heiderstorpii, Hubii: Iulii, Iensenii, Iuenamii: Kaasii, Knutzenii, Krusenii, Krabbii, Kragii, Krumpenii: Lungii, Luckii, Lindenovii, Langii, Lindemani, Lutkenii, Laxmanni: Munckii, Mattisenii, Marizeri, Mustii, Matrii: Negelii, Norbui, Normanni: Oxenii: Pasbergii, Podebussi, Papenhemii: Quitzovii: Rosenkrantzii, Ranzovii, Rudii, Rostorpii, Reuterii, Ruthedi, Rosensparii, Rosengaerdii, Ronnovii: Schrammii, Shefeldii, Schelii, Shestedii, Suegii, Sueonii, Santbekii, Splitti, Sparrii, Suabenii, Santbarchii, Spegelii, Schaugardii: Trollii, Tottii: Vrenii, Vlstandii, Vruppii: Walkendorpii, Wipfertii, Witfeldii, Wogersenii, Wenstermannii, Woldii, Wormii.

Iudicia Publica.

Iuris dicundi judiciique exercendi hunc habebant morem. Erat universa ditio in certas parœcias sive curias divisa. Eæ, statis temporibus locisque, pro se quæque seorsim, suis cum armis patente sub dio in campis conveniebant, aderantque ejusdem loci viri nobiles, qui velut testes judicio assiderent. Ibi in medium prodibant, qui aliis litem intendebant, auditisque & cognitis partis utriusque actionibus defensionibusque, conventus universus in consilium ibat, idque temporis spatium, quod interim deliberando terebatur, curæ ac consultationis nomen imponebant. Expensis diligenter & ventilatis in partem utramque controversiis, in consessum redibant, vocatisque litigatoribus de jure pronunciabant. Si quis stare judicio detrectabat, ad duodecim constitutos sive judices sive arbitros, & ab his ad universæ ditionis conventum provocare ei integrum relinquebatur. Hæc minuendarum litium judiciique consuetudo semel quotannis observabatur, & est in hunc usque diem locus non procul Rendesburgo, qui annuæ trabis nomen ab eo judicii more etiamnum retinet; solentque illic nunc quoque terminandis controversiis nonnunquam conventus haberi: ac fuerunt præterea in aliis Chersonesi partibus similia loca, quorum memoria longinquitate temporum intercidit. Reos adulterii convictos capitali afficiebant supplicio, ut certior majorum sanguis propagaretur. Homicidii crimen eadem pœna haud prosequentes, mulcta pecuniaria plectebant, ne uno infelici casu duo de medio tollerentur: Idque ita ad *Christianum* usque ejus nominis tertium Daniæ regem observatum est.

Is enim, ut erat princeps prudentiâ mirâ, & æqui bonique servantissimus, quod ea consuetudo â divino simul humanoque jure recedere videretur, inolitam usu & temporis diuturnitate legem, suo ævo, Senatus ac procerum omnium consensu ita constrinxit ac mitigavit, ut qui inopinantem quempiam, armisque ad corporis sui defensionem non instructum, interfecerit, capite pœnam subiret, aliorumque casuum in sanguine alterius vicissim profundendo ratio haberetur. Erat præterea antiquitus apud eos usitatissimum, acriores contentiones ac lites manu ac duello dirimere, præsertim inter nobiles: quod & veteres fere olim Germanos factitasse universos, authores tradunt, & præter alios Vellejus Paterculus, Varum Quintilium exercitus Romani ducem nominat, qui cum esset ingenio miti & moribus quietus, putavit in media constitutus Germania armis apud eos decerni solita, posse jure terminari. Vnde tandem in summam perductus socordiam, sex legionum occidione pœnas ipsis pependit. Sed & hæc & ejusmodi velitationes congressusque singulares legibus exinde paulatim repressæ. Sicuti & ille diu intra regnum servatus mos, quo reis erat concessum se non jurejurando, sed ferro candenti tueri, suamque innocentiam ferro ignito manu gestato, indigenis **Jernbyrd** dicto, declarare. Et hinc hodieque est, quod *signum veri* sua lingua *signum candentis ferri* vocent, vulgo enim & vernacule **iern tegen** dicunt. In dictis, pactis factisque fides summa & mira animorum constantia erat, quam non præstare, vel leviusculis etiam in rebus, omnino ignominiosum & inhonestum ducebant. Neque opinio ea existimatioque penitus apud posteros evanuit: sed ut ab optimis accepta moribus, studio magno, nec minore cum laude etiamnum retinetur, ut nobili imprimis homini nihil æque turpe putent, quam datam fidem fallere; idque qui facere reveritus non fuerit, is haud obscura infamiæ macula aspergatur.

Conjugia. Honesta inter ipsos connubia; maris unius fœminæque erat copulatio, & ut pares essent conjuges, ejusdemque status & conditionis, quod nec hodie negligitur, magnopere observabant: Qui aliter contraxissent, eorum uterque publicam & ignominiæ & suspicionis notam subire videbatur.

Bella. Ad bella singuli viritim olim procinctum faciebant, ductis secum, quod in Cimbris patuit, etiam uxoribus, quæ auguriis & vaticiniis operantes de præliorum sæpenumero eventibus haud inscienter respondebant. Et eam quoque consuetudinem Germanis antiquitus fuisse Iulius Cæsar author est, ut matres scilicet familiàs sortibus & vaticinationibus declararent, utrum committi prælium ex usu esset nec ne. Vnde & Tacitus tradit: *ad matres, ad conjuges vulnera ferunt: nec illæ numerare, aut exsugere plagas pavent. cibosque & hortamina gestant.* Fugere in bello, res insolens ipsis erat, quique id fecisset, ei nullus ad suos reditus patebat, omniumque commercio ei interdicebatur, neque graviorem ullam turpitudinem noverant. Et hoc est, quod Tacitus etiam de Germanis vetustissimis Libro de eorum Moribus refert: *Scutum reliquisse, præcipuum flagitium.* Notant & idem veterum Francorum Leges, in quibus constitutio est de *armorum depositione*, & iis, qui militiam declinantes, arma abjiciunt. Arma autem quæcunque nomine scuti intelligunt, ac voce utuntur eædem jam dictæ Leges, quæ est etiam Danis hodieque usitata. Nam *Scuti positionem* **Scholtlage** seu **Schioltlegge** nuncupant. **Schiolt** vero Danice hodieque scutum seu clypeus dicitur, nos **Schilt** dicimus. **Legen** sive **leggen** & **nederleggen** / *deponere* notat. Fuisse hoc ipsum apud Romanos quoque ignominiosum, ex Plauto est intelligere, cujus in Trinummo Act. 4. Sc. 3. hæcce querela legitur: *Scuta jacere fugereque hostes, more habet licentiam.*

De cetero, legibus utuntur passim civitates populusque, ac pagi omnes regni municipalibus, auctoritate, communique regum procerumque suffragio latis, iisque numero haud multis, nec mole sua volumina ingentia complentibus. Et vero, ut vir egregius olim dixit, *Leges in Republica ut medicamenta esse debent, atqui nec hæc multa aut varia probentur: non item illæ.* Plato verissime: *Vbi plurimæ leges, ibi & lites plurimæ, moresque improbi.* Quin nec Dania solum, sed & Germania suis olim usa legibus ac statutis; iisque brevissimis, adusque tempora Imperatoris *Lotharii*, non illius Francici, sed hujus Saxonis, qui obiit circa annum Christi 1138. Hic Iustiniani Romanasque leges, quarum tum adhuc Gallia, Hispania, Germaniaque expertes fuerant, primus Iudicum tribunalibus ac dicasteriis induxit. Cujus nomine hoc illi carmen occinit in Monitis suis Politicis Iustus Lipsius: *Bone Lothari, manes tui per me quiescant: sed rosæ aut lilia sepulchrum tuum non ornent, qui tot tricas & spinas nobis sevisti.* Felix igitur Dania, quæ, ut jugo ac jusso huic Imperatorio non subfuit, ita & sua sibi servavit: Leges & decreta majorum semel lata firmiter retinuit: iisque in hoc usque tempus, brevibus saltem, quos vocant, adjectis Recessibus, feliciter usa, ambagibus se atque artibus caussidicinæ non innexuit. Sunt etenim Danorum hæ Leges, quod & supra injectum, & Civili & Canonico juri, unde magnam partem desumptæ, admodum congruentes. nec ullibi in Europa, modò officium Iudex faciat, aut citius quisquam, aut minore cum impendio finem litis assequatur, quam in Dania. Qua de re exteris omnibus, qui forum quandoque Danicum sequuti sunt, liberum esto judicium. cum Platone igitur concludendus hic locus: *Non fuerint concordes unquam, aut inter se amantes cives, ubi multæ leges judiciales sunt, sed ubi eæ brevissimæ ac paucissimæ.*

Superius de viris illustribus ad Saxonem usque fecimus mentionem, sed cum operarum incuria qui ab illo ad hæc tempora clari fuere, præteriti sint, hoc loco eos subjungere operæ pretium putavimus.

A Saxonis vero horumque illustrium virorum obitu justitium veluti optimarum literarum fuit: inciditque seculum horridius, quodque communi cum cetera Europâ barbarie quasi nube Daniam involvit. Exeruit se tamen, caputque è nubilis post unum alterumque seculum protulit *Petrus Laglandus*, *Lolle* vulgo dictus, aliis *Lalle* cognomi-

gnominatus, vir insigni nobilitate, ac judex territorii Hallandensis, ut eum celebrare videtur felicis memoriæ Vitveldius. Alii aliter & alia memorant. Volunt enim ecclesiæ Roschildensis fuisse Præpositum, & amore bonarum literarum curasse ut sua ab obitu ossa conderentur in ludo, qui ibidem Roschildiæ est, literario. Is igitur *Petrus* Rythmos ac dicta proverbialia vernaculo sermone evulgavit; aut verius post excessum ejus vulgata sunt; prodieruntque primò typis excusa Lutetiæ Parisiorum, sub annum 1515. atque inde recusa haud semel Haffniæ superioribus annis. Hisce adagiis, quæ non unam chiliadem conficiant, cum multa inspersa habeantur, quæ lectorem haud ignavum delectent, amœneque recreent, ita vicissim intercurrunt, quæ utiliter doceant, vitæque esse usui universæ queant. Et, præter hæc, indicio sint, eam esse linguæ atque idiomatis Danici non elegantiam modò, sed ubertatem quoque, ut etiam proverbiis certare cum duabus copiosissimis atque instructissimis linguis Græciæ ac Latii possit. Daniam quoque alumnam suam solumque natale agnoscit *Matthæus Delius*, sive *Dalius* fuerit, Astronomorum sui ævi clarissimus, qui, ut inter cetera Variarum suarum Lectionum libro Volphius, itemque Rantzovius memorat, sub annum 1551 *Philippo* Hispaniarum regi ex themate nativitatis ejus, suppeditante id ipsi Caroli V Imperatoris archiatro, ejusque judicium efflagitante, paternarum hæreditatum imminutionem prædixit; lapsurumque eo ipso momento potentiam ejus, cum ad summum promota spectaretur. Idque ex Marte, ut vocant Astrologi, in secunda retrogado, & à Lunæ lumine damnato. *Lollium Matthæumque* ætatis ac dignitatis merito jure præcedet, inter ipsos nobis memoratus reges, Serenissimus *Ericus* X. Cui non solùm sceptri multos per annos gnaviter defensi decus, sed & gentis suæ eam, quæ est in manibus, Chronologicam à Dano primo, ad annum usque 1288 continuâ annorum serie, una cum gentis origine deductam Narratiunculam debet Dania. Quam & ipsam ad sua usque tempora cur minus persequutus fuerit, queri magis, quam à rege tot tantisque implicito negotiis rationem exigere, merito habemus. Ita ille perplurima passim, nec aliis uspiam memorata, lectori non otioso suggerit: Quæ & nos suis quæque locis, quantum id licuit, haud omisisse superius existimo. Laudatur inter Danos quoque, aut è Daniâ oriundus *Nicolaus* sive *Claudius Niger* Mathematicus. Cui obstrictos profitetur doctos omnes Franciscus Irenicus ob Daniæ universæ delineationem: quam ille petitione Regis impulsus deproperarit illo suo tempore perelegantem, eodem memorante Irenico. Extulit Roschildia, cathedralis olim Sælandiæ præsulis sedes, *Petrum Parvum*, cognomento *Rosæfontanum*, Equitem Danum, elegantis ingenii virum, Eloquentiæ in Academia Hafniensi professorem, qui res Regis *Iohannis*, ejus nominis Primi, terso dicendi genere exsequutus, etiam calumnias uno eodemque volumine confutavit *Iohannis Magni Gothi* Vpsalensis: Quibus ille, partim prave ad suum sensum detorto *Saxone Grammatico*, partim invidiæ loligine incitatus, lacerare atque incessere Danicam gentem, famosa sub *Gaddii* cujusdam nomine edita oratione, instituerat. Sed ei non minus doctè quam vere respondit *Rosæfontanus*, & hominis insulsi sordidas atque aniles nænias orbi universo spectandas repræsentavit. Protulit Ripa Cimbrorum Petro Rosæfontano cognominem *Petrum Palladium*, sacrosanctæ Theologiæ Doctorem, ac Professorem item Academiæ Haffniensis, præsulem Roschildensem, virum solidioris doctrinæ laude clarum. quod ejus, præter catecheticas institutiones, Summaria testantur; sive Brevem potius appellare libet in omnes Bibliorum libros magna cum cura contextam seriem; ut omittam, qui de Prodigiis ab eodem est concinnatus, eruditum Commentarium aliaque. Ei successor exinde datus *Paulus Matthiæ*, cui, Zelandiæ urbs, Coagia natalis fuit. Isque dicendo docendoque famigeratus, etiam posteritatem eruditi sui ingenii monumentis post se relictis sibi demeruit. Fato functus est postquam episcopatum Ripensem administrasset annos octo, Roschildensem viginti. Nec omittendus *Iacobus* quoque *Matthiæ* Arhusiensis Cimber, literator ac Theologus insignis. Ei primam nominis claritatem addidit de literis doctissimus Commentarius; sive libelli sunt, qui in omnium hodie, qui de linguis, tam vernacula quam exoticis ac orientalibus, quærere amant, eruditorum manibus ac museis habentur. Docuit Haffniæ, adscitus primò in numerum professorum Humanitatis, inde Philosophiam theoreticam ac linguam Hebræam explicuit: cujus erat non minus quam reliquarum, Latinæ & Græcæ ad miraculum usque peritus. Postremo in ordinem Professorum Theologiæ adlectus, obiit circa annum Christi 1586. Dedit item nobis eadem Cimbria *Erasmum Lætum*: virum in omni literatura summum. Nam & Theologiæ professionem Haffniæ sustinuit. Inter exteros diu versatus Galliam, Italiam Germaniamque perreptando, omnigenæ doctrinæ spico suam instruere penum curæ habuit. Suntque documento edecumati, quos edidit, libelli, longo recensu in Indice Gesneriano memorati. Felicitatem in carmine, ejusque ubertatem ingenii ostendunt præcipue ex officina Oporiniana evulgati quatuor de re Nautica libri; & undecim Rerum Danicarum heroico versu typis Francofurtensibus editi. Tum & Psalmi explicati; nec non Moralia colloquia miro ingenio atque urbanitate. Meminit alicubi & Noribergica à se scriptitata, quæ videre non contigit. Extulit quoque Cimbrorum Arhusia *Iohannem Pratensem*, Philippo patre Gallo, Regibus ab officiis percharo, natum; Medicum, Philosophum ac Philologum clariss. Quod ostendat vel Parænesis ejus, quæ addita est Ideæ Medicinæ Philosophicæ *Petri Severini*: Complectens heroicis versibus, oppidò elegantibus, ac rore passim archaico perspersis, fundamenta universæ Medicinæ Paracelsicæ, Hippocraticæ ac Galenicæ. Obiit Haffniæ in auditorio Medico 1576, repentina morte, ætate non admodum provecta, docens è cathedra ac sanguinem desubito evomens; ejus, ut videtur, circa præcordia ruptis vasis. Corporis fuisse statura perexigua memoratur: sed, ut ille ait, *hoc mente*

major,

major, *quo minor figura*. Defunctum luxere amici veris lachrymis. Pratensem ætate ac tempore præcedit *Petrus Suavenius*, Regius consiliarius, ac functus aliquoties in Academia Rectoratus munere. Ad eum epistolas aliquot missitatas reperio à Ioachimo Camerario, Germaniæ Phœnice. Reperio præterea, eum ex quatuor comitibus Martini Lutheri, ad Comitia Wormacensia euntis, fuisse unum, & quidem tum adhuc studiis operantem. Ceteri erant *Iustus Ionas* & *Amsdorfius*, Theologi: ac *Schurfius*, Jurisconsultus. Reperio & nomen *Georgii Suavenii*, nepotis an filii? Hodæporico sive legationi Moscoviticæ, quam Serenifs. Fredericus II ad Iohannem Basilii Magnum Moscoviæ Ducem an. Christi 1575 instituerat, descriptam ab archego ejusdem viro nobilifs. summæquæ prudentiæ *Iacobo Vlefeldio* seniore, præter cetera, interspersum. Celebratur quoque aut celebrandus suo merito *Iohannes Franciscus Ripensis*, Poëta simul & Medicus, Musicusque omnibus suis numeris absolutus. ut vere eum Apollinis fuisse pullum dicere liceat. Ei Poëtices laurea non è trivio aut à trivialibus data, sed à Poëtarum, quem habuit Germania, principe *Petro Lotichio Secundo*. Cujus hoc nomine libuit adscribere versus, laurum Apollinarem Francisco tribuentis: qui ejusmodi sunt:

Laure Palatini quæ consita Principis horto
Ad Nicri liquidas innuba surgis aquas,
Cresce precor, non tu rigido violabere ferro,
Non in fumosos ibis adusta focos:
Aonio cinges juvenilia tempora vati,
Æternum servans fronde virente decus.
Hunc meus ingenio meruit Franciscus honorem.
Nobilius per quem Dania nomen habet.

Ejus Carminum Libros duos edidit Antonius Gryphius Sebastiani filius. Quibus Sebastiani Gryphii Tumulus & alia quædam diversorum authorum calci sunt addita: in Præfatione libelli istius hæc de nostro *Francisco* Gryphius filius: Di-
„ vertit superiori hyeme ad nos doctifs. vir Iohan-
„ nes Franciscus Ripensis ex Cimbrica Chersone-
„ so Daniæ oriundus: quem propter insignem eru-
„ ditionem & morum integritatem, quæ in ipso
„ elucebat, statim summo amore prosecutus sum,
„ dedique operam, quibus potui officiis, ut me
„ in amicitiam ipsius familiaritatemque intimam
„ insinuarem; voti factus compos, frequenter
„ diuque de variis Poëtis, in quibus ipsum non in-
„ feliciter versatum esse inveni, singulis fere di-
„ ebus, donec apud nos vixit, commentabamur.
„ Ipseque mihi præclarum sui in isto studii genere
„ progressus argumentum de Obitu potentifs. Re-
„ gis Daniæ & Norvagiæ Christiani III, Carmen
„ egregium obtulit: quo lecto mirifice ob insig-
„ nem felicitatem cum suavi quodam lepore con-
„ junctam, quæ inde spirabat, delectatus sum.
„ Idemque data occasione me in lucem editurum
„ melioribus typis sponte recepi, &c. Hactenus Gryphius. quæ scripta sunt anno Christi 1560; cum in fata exinde concesserit Franciscus circa annum 1584; postquam in Academia Regia Haffniensi fideliter & cum uberi auditorum fructu docuisset annis circiter viginti quatuor. Huic proximus jungatur, Francisci, ni fallor, popularis, id est Ripis quoque natus, *Iohannes Suaningius*, juventæ Frederici II moderator additus, Canonicus postmodum Ripensis, vir eruditi ingenii ac laude eloquentiæ inclytus Quo etiam nomine Rex serenissimus Christianus III Frederici parens ei post varia togæ munera, atque institutionem filio præsertim laudatissime præstitam, scribendæ historiæ Danicæ provinciam demandavit. Nec ab eo nisi eximium quid, & numeris suis absolutum omnibus, expectandum fuerat, si fata vitam ulteriorem indulsissent. Ei, ni fallor, successit V. Cl. *Andreas Vellejus*, qui scribendæ historiæ patriæ provinciam ex regio item mandato suscipiens, primo nobis Adamum Bremensem præclaris adnotatum ornatumque scholiis Haffniæ typis descriptum emisit. Inde Saxonem Grammaticum vernacule loquentem popularibus exhibuit, cum eandem jam ante *Christianus Petri*, Lundensium Canonicus, sed minus respondente eventu, versionem tentasset. Qua eadem tempestate hisque iisdem nutritiis, *Christiano* III & *Frederico* II inclytis Regibus, eluxit sine pari clarifs. *Nicolai Hemmingii* ingenium. Qui primum felici & laboriosa opera in Academia Haffniensi artium & linguarum studia multorum utilitate propagavit: Theologicæ professioni adhibitus eam lucem scriptis Propheticis & Apostolicis methodi brevitate ac claritate attulit, ut non domi solum, sed cunctis Europæ doctis admirationi fuerit; fatalibus Theologorum controversiis præter expectationem involutum servavit innocentem Numinis benignitas; ac demum ob diuturnos in Schola labores grato honestoque donatus otio senex, vitæ satur mortalium curas contempsit, ac Deo servatori spiritum firma fide commendans, obiit octuagenario major anno Christi 1600. Maji 23 Roschildiæ. ubi & sepulturæ exequiis honoratus est. Solum illi natale fuisse Lalandiæ insulam in vico Embolts dicto, superius suo loco dixisse memini. Et ut eum sacrarum literarum studium omnibus admirabilem ac clarum reddidit, dum eam mortalibus monstrat viam, quæ ad illud ducit cœlum, in quod raptum se Apostolus testatur tertiumque nominat; ita ejusdem coætaneus *Tycho Brahe* (non Scaniæ tantum suæ, ubi felici primo siderum concursu auram hausit vitalem, sed Daniæ omnino, imo Europæ totius immortale ornamentum) conspicuos & oculis incurrentes cælos propius nobis aperuit. Postquam enim laudatissimæ memoriæ *Fredericus* II, Daniæ Rex huic illustri ac nobili viro insulam Venam, de qua superius dictum, eo fine inhabitandam ac possidendam concessisset, ut ibi Philosophiæ studiis, & imprimis astrorum contemplationi ad artis instaurationem invigilaretur, extrui ibidem sub annum 1575 Vraniburgum, insignem arcem, in insulæ meditullio Tycho fecit. Quam & variis exinde iisque exactis Mathematices instrumentis, quæ ipse non minus labore, diligentia, industria quam impendio incredibili adinvenit, fierique curavit, opportune exornavit instruxitque: Et insuper studiosis juvenibus sibi ut domesticis assumptis (quos inter & me nomen profiteri meum laudi mihi duco, cum ei triennium circiter suavissime cohabitarim) ea annorum fere viginti curriculo perfecit absolvit-

que

que opera, quibus hodie ut Hipparchus aliquis aut Timochares tota passim Europa celebratur, relictis, præter cetera, posteritati ejusmodi cælestium corporum Observationibus, quas præcipue hactenus desideravit scientiarum omnium antiquissima ac præstantissima Astronomia, ut hisce nimirum adminiculis ea solide aliquando constituta vindicari à mendis, pleneque instaurari ac perfici possit. Inter eos, qui ad eum undique è Gallia, Germania, Anglia atque aliunde confluere viri docti, ac coram spectare atque admirari ista consuerant, haud in postremis memorandus Magnæ Britanniæ Rex *Iacobus*. Is etenim, celebratis cum *Anna* Regina optatissimis in Dania nuptiis, integro apud Tychonem triduo in ipsa insula suavissime subsistens, haud satis quæ mentem, quæque oculos pascerent, circumspicere, palamque fateri habuit. Nam postmodum in regnum redux, hæc, inter cetera, è Regia sua Sancruciana Calend. Augusti 1593, Tychoni perscripsit: Astronomica illa vere præclara, quæ tu indefesso studio tot vigiliis elucubrasti, quum te editurum, tum ex tuis ad nos literis, tum ex Iunio nostro intelligeremus, obnixeque peteres, quò ornatiora ac tutiora prodirent, ea nostro elogio versibus scripto prosequi, privilegiumque nostrum regium concedere non aversaremur; utrumque certè tuæ singulari virtuti atque suspiciendæ eruditioni non gravate indulgendum existimavimus. Neque enim nobis ex aliorum relatione, aut nuda Operum tuorum inspectione ista discenda fuerunt. Verum ipsi coram nostris oculis, nostris auribus autoptæ ϰ̀ αὐτήκοοι in tuis illis Vraniæ dicatis ædibus ea vidimus, ea audivimus, variisque literatissimis atque jucundissimis tuis nobiscum habitis sermonibus hausimus, quæ etiamnum animum nostrum ita afficiunt, ut majoréne cum voluptate, an admiratione ista nobiscum recolamus, difficile sit statuere. Quod equidem nos non illubenter omnibus mortalibus, præsentibus, futuris, hoc diplomate testamur, usque adeo, ut si quis de industria Vraniburgum tuum adire velit (nisi prorsus ἄμυσος fit) domum reversus operæ pretium se retulisse comperiat. Tichoni proximum locum, nec longo proximum intervallo, jure meretur *Henricus Ranzovius*, Cimbricæ nobilitatis ut apex ac decus, ita animi vel maxime præclaris dotibus, omnique liberali doctrina oppidò insignis. Is etenim, licet Regia præfectura arduisque Ducatus non Holsatici modo, sed regni quoque universi negotiis toto vitæ cursu occupatissimus, ea tamen eruditi ingenii emolitus est opera Astrologica, Historica, Politica, Militaria, Philologica, Philosophica aliaque cum sua, tum aliorum etiam, dum à blattis ac situ vindicare ea studio habet, ut ei, hoc nomine, vix pares habeat, quas ei persolvat, grates posteritas. Est & ejus sub nomine minime tacendus *Christianus Cilicius* Cimber. qui historiam Dithmarsicam accurate non minus, quam docte atque eleganter exsequutus est. Hic se Ranzoviani Musei domesticum fatetur, & interioris apud eum admissionis, accepisse multo maximam partem, veluti segetem historiæ suæ, ab ipso Ranzovio. Extulit præterea Chersonesus Cimbrica, ejusque haud infima urbium Ripæ, *Petrum Severinum*, Philosophum ac Medicum, mira excellentia aliarumque scientiarum ac virtutum præstantia omnibus Ordinibus summe charum; duorum Sereniss. Daniæ Regum Frederici II & Christiani IV Archiatrum, Canonicum Roschildensem. Cujus Idea Medicinæ, typis Henrici Petri sub annum Christi 1571 Basileæ descripta, Doctrinæ Paracelsicæ, Hippocraticæ ac Galenicæ fundamenta, hactenus in obscuro posita, ita eruit, ac eruditi styli, verborumque involucris explicuit dicam, an texit, ut hodie non nisi initiatis & artis utriusque mystis ad ea sacra aditus ac via pateat. Ita scilicet arduum nunc semperque habitum, obscuris lucem, fastiditis gratiam, vetustis novitatem, dubiis fidem, ignotis nomina dare. Quod se tamen sequutum, an assequutus fuerit, aliorum arbitrationi permittere se profitetur. Agnoscunt quoque eandem Chersonesum patriam suam duo *Cragii*, *Andreas* & *Nicolaus*. Quorum ille artium optimarum Hafniæ Professor, ac Doctor Medicinæ, Philosophicis diatribis exercitus, mireque felix ac dexter in enucleandis sophismatis, ei quoque rei excellentis ingenii sui fœtus studiosæ juventuti reliquit, qui hodie in omnium fere habentur manibus. At *Nicolaus*, Legum ac Iuris Consultus clarissimus, nec minus linguarum, & Græcæ præsertim, haud proletarie peritus, eam Hafniæ non modo publice docuit, sed ejus quoque egregium specimen edidit, publicando atque omnium usui judicioque exhibendo quatuor de Republica Lacedæmoniorum libros multiplici ut lectione, ita eruditione refertos. quibus ille eam, adeo multis jam seculis eversam pessundatamque, præclaram imprimis Rempublicam, ex veterum monumentis, Græcis Latinisque, sed illis præcipue, postliminio luci restituit, dedicatam Sereniss. regis Christiani IV Magno Cancellario *Nicolao Kaasio*, literarum ac literatorum singulari Mecœnati. Latio quoque primus donavit Heraclidæ Pontici de Politiis libellum: itemque Excerpta *Iohannis Stobæi*, sive Collectanea ex *Nicolai Damasceni* de Moribus Gentium universali Historia. Eaque Nobilissimis atque elegantissimis viris *Frederico* & *Oligero Rosecrantiis* consecravit. Inde regio nomine variis obitis legationibus, Sorensi tandem Præfectura à Rege serenissimo est honestatus; ut eo in secessu (demortuis jam ante, de quibus est dictum, *Iohanne Suaningio* & *Andrea Vellejo* regiis Historiographis) Danicam historiam ad colophonem perduceret. Vbi dum agit, jamque frui donato otio parat, statim initio præfecturæ suæ rebus humanis eripitur. Ab hoc eidem scribendæ Historiæ provincia est demandata elegantissimi ingenii viro *Ionæ Iacobæo*, mihi dum viveret amicissimo, *Venusini* cognomine, quod in insula Porthmi Danici *Venusia*, vulgo *Venam* dicimus, esset progenitus. Hic Regius Hafniæ Professor, cum esset similiter Sorensis Præses declaratus, ac se jam totum studiis honesto in otio mancipare cogitaret, communi luce privatus est: nullis magnopere editis scriptis clarus, nisi Theorematibus aliquot, quæ de historia, tum vera tum falsa fabulosaque, promulgari fecerat, cum in Academia adhuc professionem susti-

sustineret. Meretur singularis eruditio *Isaci Gronbeccii*, quem an Zælandia nobis dederit, an vero alia Daniæ provincia, quod dicam non est, ut eum Jonæ nostro quam proximum accenseam. Nam & ille quondam etiam amicus noster, ingenii sui vix quidquam posteris reliquit præter pagellas aliquot Lugduni Batavorum Francisci Raphelingii, Chalcographorum clarissimi, typis promulgatas de literis Hebræorum. Quas tamen æstimatione sui ac pretio supra multorum volumina haberi intelligo. Edidit præterea Apophthegmatum Ethicorum ac Politicorum ex Taciti, quæ exstant, operibus Eclogam Franekeræ Frisiorum. nec alia ejus vidisse memini, nec edidisse quoque existimo, utpote qui è medio studiorum cursu ad res Ecclesiæ mature evocatus, atque ultimò demum Præsulatu Nidrosiensi apud Norvagos honoratus dicam, an oneratus, amœniorum exinde literarum curam seponere necesse habuit, fato suo in eadem illa apud Norvagos statione defunctus annis superioribus. Fuit item celebri apud Danos fama *Iohannes Machabæus* Alpinas, ut & *Christianus Machabæus* filius. Nam ille ex nobili Macalpinorum familia oriundus in Scotia, religionis causa in exilium actus Daniam petiit. Cumque annis plus minus quindecim in Academia Hafniensi litterarum studia propagasset, & illustriss. regis D. Christiani III omniumque bonorum favorem meruisset, felici exitu vitam clausit, anno 1557. Decemb. die 5, relicto, quem diximus, filio *Christiano Machabæo*, regio quoque in Academia Hafniensi post parentem professore. Cujus præter eruditam ac piam Orationem funebrem, quæ ab eo est habita de vita & obitu illustris ac strenui viri *Herlesi Trolle* Herlufsholmiæ Toparchæ, equitis aurati, Senatoris atque archithalassi regii prudentissimi, nostras ad manus nihil pervenit. Hujus nobiliss. viri *Herlesi* inquam *Trolle* ejusque fati meminit in Batavia quoque sua Hadrianus Iunius Hornanus, ut id hoc loco obiter atque ista occasione interjiciam. Sunt enim verba ejus cap. 23, ista: Extat in hodiernum diem ea in gente (Danica) antiquissima primæque nobilitatis familia Trollorum (è qua *Herlesus Trollus* Danicæ classis præfectus, comitate & eruditione clarissimus, singulari me amore complexus illuc evocatum, fuit; abhinc quadriennio morte indigna in navali prælio contra Suiones absumptus) qui pro clypei insignibus ostentant Trolli, id est dæmonis rubri rutilive truncum, capite extra clypeum in apice cassidis supereminente: quod honoratæ militiæ insigne accepisse putantur, dejecto atque obtruncato in acie Gothici nominis principe. Hactenus Iunius. Quibus si adjiciam *Andream Christianum* Medicum, *Ionam* & *Paulum* Coldingensem, *Ionam* ab *Elverfelt*, *Sadolinum*, *Bertholinum*, *Finckium*, *Christianum Longomontanum*, celebrem Astronomum, Tychonis quondam discipulum, *Divadium*, *Bertilum*, *Vinstrupium*, *Slangendorpium*, *Porsium*, *Vuormium*, aliosque, longius fiet.

Et hi quidem ut arte & literis editisque ingenii monumentis clari fuere hodieque sunt: ita quoque patrum ævo, (ut antiquissimos taceam) Marte & armis illustres aliquot viros dedit Dania. In quibus haud postremi fuerint *Iohannes Ranzovius*, *Herulphus Trollius*, & ante eos *Severinus Norbius*, qui è Dania captivitateque Moscovitica in castra Cæsarea ab ipso Imperatore Carolo V. evocatus, ut sua vel opera vel operibus acceleraret deditionem Florentinam, grandiori ibi tormento percussus mortem fortiter oppetiit. Ei epicedium, per id tempus vir clarissimus, *Cornelius Scepperus* Flander, regi Christierno Secundo à consiliis, ejusmodi posuit:

Oceanum hostili toties qui sanguine tinxit,
A gelidæ Thules littore adusque Cronum:
Quem non immerito Slavi, Suedique Gothique,
Vandalicæque urbes extimuere Ducem;
Norbius Hetrusco jacet hic Severinus in antro,
A Florentinâ missus in astra pilâ.
Barbarus ille nequit captivum extinguere Moschus,
Mergere non mediis Ennosigæus aquis.
Debuit in Latio, velut Orbis in Arce, perire,
Tanta Viri ut virtus undique nota foret.

Memorari hic etiam aut addi superioribus potest, quod Statuaria Picturaque literis cognatæ habeantur, quem nobis Flensburgum extulit, obiter jam ante nominatus *Melchior Lorichius*, qui Pulchri incensus amore Italiam, Galliam, Germaniam Belgiumque peragravit, ut artis suæ peritos excellentesque videret ac imitaretur artifices. ut taceam, qui me propius tangit, fratrem germanum *Petrum Isacium*, Picturæ similiter elegantioris peritissimum, Helsingoræ prognatum; cujus superius quoque injecta à nobis per occasionem mentio.

SERIES REGUM DANIÆ,

usque ad annum MCCLXXXVIII,

Ex codice MSS. Erici Daniæ Regis deprompta; indeque ex variis Authorum monumentis continuata.

DAni, ut testantur veteres Historiographi, tempore Saruch proavi Abrahæ, regnum quod nunc Dania dicitur, intraverunt, venientes de Gothia. Qui quidem Gothi, ut dicit Papias, de Gog filio Iaphet orti sunt. Quod autem quidam dicunt Danos à Danaitis, id est, Græcis venisse, verisimile est, sed usquequaque certum non est, nisi ab initio dicti sunt Dani, sed quælibet terra habuit nomen speciale, quod habet adhuc, donec tempore David regis habuerunt regem Dan: nam tempore illo, Dan filius Humble de Suecia veniens, regnavit super Sialandiam, *Monen*, Falster & Laland, cujus regnum dicebatur *Withesleth*. Eo tempore Rex quidam potentissimus ad invadendum Iutos venit. Quo audito, Iuti timentes valde, locum qui

qui adhuc *Kowerki* dicitur, fossatis & fragis ligneis munierunt, miseruntque nuncios ad Dan regem Withesleth, ut eis ferret auxilium, pollicentes ei, victoriam si reportaret, dominium super se. Qui cum suis veniens, apud Kowerki hostibus occurrit, occisis plurimis, & reliquis in fugam actis. Dominus Iutorum factus Dan, cum Iutis Fioniam, Scaniam, ac omnes alias Insulas Daniæ sibi subjugavit, & postmodum communi omnium decreto, regnum suum Daniam, & incolas Danos, à se qui Dan dicebatur, appellavit.

I. Primus ergo Danorum Rex fuit *Dan*, filius Humble, à quo Dani & Dania nomen habet: Dan ergo primus Rex fuit pugil fortissimus & giganteus; cunctis in circuitu terribilis, & prælia clarissima gessit hinc inde. Huic successit secundus,

II. *Humble* filius ejus. Hic erat vanus & iners, & pauca notabilia fecit: unde Lother frater ejus, facta conspiratione Danorum contra fratrem, eum de regno deposuit, & pro eo regnavit.

III. Tertius *Lother* nimis durus fuit incolis regni, & in multis se nequiter gessit, & ideo tyrannidem ejus Dani non ferentes, eum occiderunt. Huic successit Skiold filius ejus.

IV. *Schiold.* Iste antequam haberet 15 annos ætatis, occurrens solus magno urso, eum cingulo suo ligavit. Hic primo Teutonicos Danis subjugavit, & servire fecit sub tributo, & multa strenue gessit. Huic successit filius ejus Gram.

V. *Gram*, à quo Gramhæreth dicitur. Iste cum quodam gigante in Suecia pugnans, solus occidit eum. Regem etiam Sueciæ occidit, & sedecim fratres ejus: & Sueciam tributariam Danis fecit. Postea cum Suibdager Rege Nordmannorum bellum gessit. Huic successit in regnum Suibdager, qui eum occiderat.

VI. *Suibdager.* Iste ex patre Danus fuit, & ex matre Noricus, qui patrem proprium in Norwegia regnantem, de regno expulit, & pro eo regnavit. Hunc in Dania regnantem occidit Haddinger, filius Gram, in ultionem patris, & pro eo regnavit.

VII. *Haddinger* filius Gram. Iste regem Sueciæ & Hellesponti interfecit. Norwegiam & urbem Dymin subjugavit, & multa clarissime fecit, & post multas victorias indignum ducens mori in lecto quasi pecus, propter laudem mundi, & posteritatis memoriam, seipsum suspendit. Huic successit Frothi filius ejus.

VIII. *Frothi Gesmilde.* Iste postquam seipsum & totum regnum in bellis depauperaverat, audito quod in Wendelsysel, draco quidam super thesauros jaceret, draconem solus adiit, & superatum occidit, acceptisque thesauris Britanniam, quæ nunc dicitur Anglia, Scotiam, Teutoniam, Slaviam, Rusciam, & plurimas alias terras subjugavit. Postmodum in Scania pugnans, non manibus inimicorum, sed æstu & pondere armorum suffocatus interiit. Huic successit Haldanus filius ejus.

IX. *Haldanus.* Iste cupiditate regnandi omnes fratres interfecit. Huic successit Roë filius ejus.

X. *Roë.* Iste transtulit civitatem, quæ prius dicebatur *Hagekioping*, de loco qui dicitur *Hagebierg*, & ædificans eam in portu *Ysefiord*, vocavit *Roeskilde*, sermone composito ex nomine suo, & ex fonte, juxta quem sita est. Huic successerunt duo filii ejus Haldan & Helgi.

XI. *Haldan & Helgi.* Isti diviserunt inter se regnum; ita ut Haldan regnaret in terra, & Helgi in mari. Haldan vero pauca notabilia fecit. Huic successit Helgi frater suus.

XII. *Helgi* Rex maximus. Iste strenuus bellator, Hotbrodum regem Sueciæ occidit. Teutonicos tertium subjugavit, & marinis discursibus multa ardua perpetravit. Hic ad portum quendam Lalandiæ veniens, filiam cujusdam rustici, nomine Rolf Karl, sibi adduci fecit, de qua filiam genuit nomine Thora, ex qua dicta est Thororum insula, quia ibi sepulta est. Iterumque post 15 annos illuc veniens, prædictam filiam adduci fecit, nesciens quod filia sua esset, ex qua genuit filium nomine Rolf Kraki. Cumque hoc postea cognovisset, præ nimia verecundia se ipsum suspendit.

XIII. *Rolf Kraki*, filius *Helgi*. Ipse post multas preclaras victorias ab Hiartwaro Comite Scaniæ, qui sororem ejus habuit in uxorem, in lecto suo proditiose est occisus, in Lethra Curia regali, in Selandia, cum quo & Biarchi & Hialti, pugiles clarissimi, cum tota familia regia sunt occisi. Huic successit Hotherus.

XIV. *Hother.* Iste invenit in quodam nemore Sueciæ gladium, qui *mimming* dictus est, cum quo Balder occidit. Ab isto Hother villa Hotherslef, dicta est, & illuc fugiens, occisus est à Boo Rege Sueciæ. Huic successit Rörik filius suus.

XV. *Rörich.* Huic successit Horwendel.

XVI. *Horwendel.* Iste vir valde victoriosus erat, & multa præclara gessit. Hunc occidit frater suus Fengi; & regnavit.

XVII. *Fengi.* Iste copulavit sibi uxorem fratris occisi. Hunc occidit Ambletus filius dicti Horwendel in ultionem patris, & cum eo omnes meliores regni, cum tota Curia regali combussit, ita, quod unus superstes non fuit.

XVIII. *Amlethus*, qui vir astutissimus erat, regemque Angliæ bello occidit, & Daniam, Angliam, & Sueciam, in ditione sua tenuit. Hunc Wichletus Rex Norwegiæ vitricus ejus occidit in Oresund, in prælio, & regnavit.

XIX. *Wichlethus.* Iste accepit uxorem Amblethi, propria uxore repudiata. Huic successit filius ejus Wermundus hin Blinde.

XX. *Wermundus Blinde.* Hic vir bellicosus erat. Hujus tempore Keto & Wiggo filii Frowini præfecti Sleswicensis occiderunt Athislum Regem Sueciæ, in ultionem patris sui. Huic successit Vffo Starke filius ejus.

XXI. *Wffo Starcke.* Iste à septimo anno ætatis usque ad trigesimum noluit loqui; quousque in loco, qui adhuc Kunengikamp dicitur, super Eydoram cum filio regis Teutonicorum & meliore pugile totius Teutoniæ solus certans, ambos ocidit, & sic conditione utriusque gentis, Teutonia Danis jam quartò tributaria facta est. Huic successit Dan filius ejus.

XXII. *Dan.* Huic successit Huglet hin Lilde.

XXIII. *Huglet.* Iste occidit Hœmothum & Hœgrinum tyrannos Sueciæ. Huic successit Frothi.

XXIV. *Frothi hin Frecne.* Iste interfecit Frogerum

rum regem Norwegiæ, & decem duces ejus. Huic successit Dan filius ejus.

XXV. *Dan.* Iste septimo anno ætatis suæ Teutoniam jam quintùm tributariam Danis fecit. Huic successit Frithlevus.

XXVI. *Frithlevus.* Iste urbem Difflinum & Britanniam subjugavit. Huic successit Frothi filius ejus.

XXVII. *Frothi hin Fredegode.* Hujus tempore Iesus Christus natus est. Iste subjugavit Sueciam, Britanniam, Hyberniam, Scotiam, Norwegiam, Saxoniam, Frisiam, Vngariam, & omnia Orientis usque ad Græciam, quorum reges & incolæ omnes servierunt ei. Hujus tempore venit in Daniam Erich Orthiloghe & Rolf frater ejus, filii Regneri. Illi interfecerunt Grep cum quinque fratribus suis. Contra hunc Frothi venit rex Hunnorum cum aliis 69 regibus, qui ex se 6 reges fecerant duces belli. Quorum quilibet habuit sub se 5000 navium, & quælibet navis habebat 300 armatos. Summa navium 30000. Summa virorum, novies mille millia hominum. Hos omnes occidit Frothi, pugnans cum eis in mari juxta Bleking. Hic tantam pacem in regno suo fecit, quod unam armillam auream juxta Eydoram, alteram juxta Scanoer, & tertiam juxta Warthtingborg in via communi suspendit; nec erat qui eam nocte vel die auderet tollere. Hunc occidit una vetula. Huic successit Hiarno Skialdre.

XXVIII. *Hiarno.* Iste modico tempore regnavit; occidit enim eum Frithlevus filius Frothi Fredegothe.

XXIX. *Frithlevus,* filius Frothi Fretegothe. Iste occidit Amundum regem Norwegiæ, & unum draconem. Post quem Frothi filius ejus regnavit.

XXX. *Frothi hin Frekne.* Hujus tempore venit Stercaterus filius Storwœrki in Daniam, qui interfecit Wisinum gladiatorem apud Rusciam, & Tanam gigantem apud Byzantium, & in Polonia Wase pugilem, in Saxonia Hamam pugilem; & Teutonis infestissimus fuit adversarius, & multa eis opprobria intulit. Iste Frothi Teutoniam jam sexto subjugavit; & multa alia præclara armis fecit. Hunc Frothonem occidit Svertingus. Huic successit filius ejus Ingellus.

XXXI. *Ingellus.* Hujus tempore Stercather interfecit septem filios Swertingi, in ultionem regis Frothi. Ipsius etiam tempore occidit Arganturum cum septem fratribus. Huic successit Olaf filiûs ejus.

XXXII. *Olaf.* Huic successit Haraldus filius ejus.

XXXIII. *Haraldus.* Hunc occidit frater suus Frothi Rothbachne, & regnavit.

XXXIV. *Frothi Rothbachne.* Hunc interfecit Haldan hin Biergram, filius sui fratris Haraldi, in ultionem patris sui.

XXXV. *Haldan Biergram.* Iste strenuus pugil fuit; unde provocatus à Siwaldo pugile Sueciæ, ut contra eum & septem filios ejus dimicaret, acceptavit, & omnes pariter occidit. Abjecto enim gladio, quercum radicitus avulsit, & cum ea omnes conquassavit. Alia quoque vice cum quodam gigante de Suecia, qui habebat undecim cubitos altitudinis, nomine Harthbeen dimicans, occidit eum, & cum eo duodecim contubernales ejus, & multa alia præclare fecit. Huic successit Vnguin frater ejus.

XXXVI. *Vnguin.* Huic successit Siwald filius suus.

XXXVII. *Sigwald.* Hujus tempore Sterkather fugit de prælio. Hunc occidit Hako. Huic successit Sigerus filius ejus.

XXXVIII. *Sigerus.* Hic constituit bellum contra Hakonem, in quo ipse & Hako pariter corruerunt. Huic successit Siwald filius ejus.

XXXIX. *Siwald.* post cujus mortem regnum Danorum in quinque regna divisum est. Borgardus, qui habuit filiam Siwardi, nomine Role, in uxorem, regnavit in Scania; Hundenger in Sialandia. Iste semper impediendo alios perdidit, & defendendo se vicit: unde & ex eo tractum est proverbium illud: *Hunder hiemme rigest.* Hani regnavit in Fyonia. Hother in Sunder-Iutia. Reyner in Nor-Iutia.

XL. *Haldanushin Serke* surrexit post Borchardum in regnum, & fuit valde strenuus in armis. Hunc occidit Wesetus in Sialandia. Huic successit Harald Heldetan filius Borchardi.

XLI. *Harald Hyldetand.* Iste hos quinque reges occidit, & ita potens factus est, quod omnes reges contra mediterraneum mare ferebant ei tributum; cui cum Ringer, nepos suus, rex Sueciæ, tributum negaret, intravit, ibique in bello corruit, & cum eo corruerunt Vbbo rex Frisonum, & alii plures reges, & 30 nobilium de exercitu suo. De exercitu vero Ringer regis 12 procerum corruerunt. Ibi cum Haraldo pugnaverunt 300 virgines, quæ Skioldmoer dictæ sunt; quarum vexillum portavit Hether, quæ postea civitatem ædificans Hæterby appellavit. Huic Haraldo, postquam 50 annis regnaverat, successit ei idem Ringer nepos suus.

XLII. *Ringer.* Huic successit Harald frater suus.

XLIII. *Harald.* Huic successit Oli frater suus.

XLIV. *Oli hin Fracker.* Hic adeo agilis erat, quod scansorium ad sellam habere noluit. Iste adeo efferus fuit, quod Starchaterum solo visu super genua prostravit. Hic etiam Sueciam intravit, & provocatus ad singulare certamen, primo die contra unum pugnavit, 2 die contra duos, 3 contra tres, 4 contra quatuor, 5 contra quinque, & sic usque ad 11. & omnes superatos occidit. Qui dum in Lætra curia Sialandiæ sederet in balneo, venit Starchater magno pondere auri corruptus à rege Sueciæ, & petita licentia loquendi aliquid secrete regi, accessit, regemque nihil mali suspicantem gladio transfodit. unde præ nimia verecundia, post tam vilem tanti viri occisionem, se à lachrymis nunquam potuit continere, donec idem pondus auri, quod acceperat, occisori suo, ut eum occideret, impendisset. Huic Oli successit Omunder filius ejus.

XLV. *Omunder.* Hujus tempore Starchcat senio confectus, indignum reputans more aliorum hominum in lecto mori sine gladio, & præcipue propter occisionem Oli regis, multis precibus persuasit cuidam Hother, cujus patrem ipse occiderat, ut eum occideret, objiciens ei quod

quod patrem ejus occiderat, quod ille vindicare teneretur; obtulitque insuper memoratum pondus auri, pro mercede; & sic Other victus spe mercedis & zelo vindicandi patrem Starcatherum gladio proprio, qui skum dicebatur, præcisa cervice, occidit apud pontem Scaniæ, qui Wellingbrooe dicitur, accinctusque gladio, pontem transiens, cum esset in medio pontis, skum de vagina in aquam cecidit, nec inde levari potuit usque in præsens; tamen aliquando videtur ibi in deflexu aquæ. Iste Stercather venit de Suecia tempore regis Ingelli; portans congeriem carbonum in dorso ad acuendum, quemadmodum ipse per jocum dicere solebat, nasum dicti regis, ut vindicaret patrem suum. Idem Starcather pertransiit multas partes orbis pro prælio singulari: Vnde & Græci imaginem ejus æream in Italiam miserunt, dicentes eos non posse ei resistere, nisi haberent unum qui posset pugnare cum tali pugile. Hujus dens per Henricum Æmalthorp militem de Dania in Teutoniam est portatus pro miraculo, habens sex pollices in magnitudine. Post Omunder regnavit Siward filius ejus.

XLVII. *Siward.* Huic se opposuit Simon præfectus Scaniæ, & tandem convenerunt in prælium, in quo utrisque viriliter certantibus, principes ambo corruerunt. Post quem regnavit frater ejus Butel.

XLVIII. *Butel.* Post hunc regnavit Iarmarus filius Siwardi.

XLIX. *Iarmarus.* Iste valde bellicosus erat: intravit enim Slaviam cum exercitu, & Ysmarum regem Slavorum occidit, & totam Slaviam vastavit. Postea Hellespontici Daniam cum exercitu intraverunt, quibus Iarmarus rex occurrere non audens, munivit montem maritimum Scaniæ, qui Kolle dicitur, ibique cum melioribus regni se inclusit. Tandem cum regnum vastassent, exivit ad eos, & negocium fortunæ committens, commisit cum eis prælium in Oresund, ibique corruit. Huic successit Brother frater ejus.

L. *Broder.* Post quem regnavit Siwald.

LI. *Siwald.* Huic successit Snio filius ejus.

LII. *Snio.* Hujus tempore tanta fames erat in Dania, quod ex edicto regis omnes viri & mulieres, non apti ad portandum arma in bellis, occidebantur. Tandem ex consilio cujusdam mulieris Scaniensis nomine Magge, quilibet nonus homo exivit de regno, & omnes terras obtinuerunt usque Romam. Isti propter longas barbas, dicti sunt Longobardi, qui tandem terram quæ nunc Longobardia dicitur, intraverunt, ibique remanserunt. Postea tempore Caroli Magni Apuliam obtinuerunt, ibique usque hodie manent. Anno Domini 637 exierunt de Dania Dani, qui modo dicuntur Longobardi. Post Snio Biorn regnavit.

LIII. *Biorn.* Huic successit filius Haraldus.

LIV. *Haraldus.* post quem Gorm, filius ejus.

LV. *Gorm.* Iste erat mirabilis investigator novarum rerum, unde & assumptis 400 probissimis satellitibus, navigavit versus Aquilonem ad sedem Geruthy, ubi vidit stupenda mirabilia, & multa pericula passus est. Tandem consumptis omnibus sociis usque ad 30 per diversa monstra, vix cum vita in Daniam redit. Huic successit Godric filius ejus.

LVI. *Godric hin giefmilde*, qui & Godefrith dictus est. Hic bellicosissimus erat, & totam Teutoniam jam septimo tributariam fecit. Subjugavit etiam Sueciam & Frisiam. Anno Domini 776 venit Carolus Imperator cum toto imperio suo contra Godefrith regem Daniæ, cui idem Godefrith ultra Albiam occurrens, fugavit Carolum de Saxonia, & eam totam vastavit, quod eodem anno Saxonia conversa fuerat ad fidem Christi per Carolum, postquam contra Francos 36 annis continuis pugnaverat. Postea idem Godefrith fugato Imperatore è Saxonia vastata, ibidem à proprio milite cultro transfixus est in ventre. Post ipsum regnavit Olaf filius ejus.

LVII. *Olaf* dictus Goddreng. Huic successit Henning filius ejus.

LVIII. *Henning* regnavit 28 annis, qui cum Imperatore pacem faciens, Eydoram terminum regni sui accepit. Huic successerunt duo reges, Ring & Siwardus. Ring regnavit in Iutia.

LIX. *Siwardus* regnavit in insulis. Isti duo reges inter se diu pugnaverunt, & tandem in bello mutuo ambo corruerunt, quibus successit in regnum Reyner filius Ring.

LX. *Reiner Lodbroch*, Iste subjugavit Angliam, Scotiam, Hyberniam, Norwegiam, Sueciam, Teutoniam, Slaviam, Rusciam & omnia regna occidentis; ita quod 9 filios suos singulos, in singulis terris reges fecit, & ipse de uno regno in aliud inter eos pertransivit. Tandem in Hybernia occisus est, & filii ejus fere omnes in diversis locis sunt occisi. Hic per 10 annos urbes Franciæ vastavit, & Parisiis veniens, in Ecclesia sancti Germani, & Aquisgrani in palatio Imperatoris stabulum equorum fecit, & multa mala Ecclesiæ intulit. Huic successit Inguar filius ejus.

LXI. *Inguar* filius Lotbroki. Iste omnium fratrum suorum crudelissimus fuit. Cui successit Siwardus. Huic successerunt Anulo & Sigefridus. Isti duo nepotes fuerunt regis Godefridi. Inter quos pugna fuit 10 annis, & cum inter se de primatu regni convenire non possent, sceptrum prælio diviserunt, in quo reges ambo corruerunt, & cum eis 11000 hominum. Pars autem Anulonis cruenta victoria potita, Reinfridum & Haraldum in regnum posuit, & facta est pugna inter eos 9 annis.

LXII. *Haraldus* tandem Reinfridum de regno expulit, & solus regnavit: Tunc filii Sigefridi Haraldum de regno expulerunt. Qui ad imperatorem Lodewicum supplex confugit.

LXIII. *Ericus.* Iste mox ut regnum accepit, Ecclesias claudi jussit, sed & omnes Ecclesias Franciæ, Frisiæ, Angliæ, Lotharingiæ, Teutoniæ, cum Episcopis & clero truncatis, succendit & destruxit. Hujus etiam tempore Rollo Dux Danorum Franciam intravit, & Carolum regem Franciæ compulit dare sibi terram, quæ nunc Normannia dicitur. Tunc ortum est bellum inter Ericum & filium fratris sui Guthorm regem Norwegiæ, in quo tanta cæde mactati sunt utrique, ut vulgus omne caderet: sed & reges ambo

bo corruerunt, nec aliquis de stirpe regia remansit, nisi unicus puer nomine Erik Barn.

LXIV. *Erich Barn.* Iste ut regnum Danorum suscepit, multo plura mala fecit, quam patres ejus in omnibus regnis. Vastavit enim Saxoniam; Brun Ducem occidit, & 12 Comites. Quia plures urbes cum civibus, Episcopi cum grege truncati sunt, Ecclesiæ cum fidelibus incensæ sunt, Theodoricus & Narwardus Episcopi truncati sunt. Anno Domini 902 Anulphus Imperator Danis in Teutonia occurrens, prostravit ex eis 100 hominum, bello cœlitus administrato. Eodem anno obiit Ericus Barn, & regnavit pro eo Olaf rex Sueciæ. Olaf Rex Sueciæ vi & armis obtinuit regnum in Dania, & regnavit 5 annis. Huic successit Giurth nepos Olavi, & ipse natione Danus: & regnavit 5 annis. Hunc occiderunt Dani. Post quem Lotheneknut.

LXV. *Lodneknud* filius Erici Barn. Iste bellicosus erat multum & versutus, & regnavit 11 annis. Hujus tempore quilibet tertius de servis & plebeis hominibus exivit de regno, & venientes totam Pruciam, Semigaliam, & terram Careloram, aliasque quam plures terras subjugaverunt sibi, & delectati terrarum ubertate noluerunt redire, sed ibi remanent usque in præsentem diem. Iste Lotheneknut mortuus est paganus. Huic successit Frothi filius ejus.

LXVI. *Frothi*, victor Angliæ. Iste 20 annis hæc duo regna tenuit; & in Anglia fecit se baptizari. Post quem filius ejus Gorm.

LXVII. *Gorm*, *Engelender.* Hic dictus est Gorm Hartesnute: & regnavit 4 annis, in Anglia baptizatus. Post hunc Haraldus filius ejus.

LXVIII. *Haraldus.* Huic successit Gorm Gamle.

LXIX. *Gorm* Gamle, cujus uxor fuit Yhyre Danebod, quæ post mortem mariti nobiliter regnum tenuit, & munitionem, quæ Danewirki dicitur, fecit lignis tantum. Isti ambo mortui sunt Pagani, sepultique in duobus collibus juxta Iellinge. In diebus hujus Gorm ferunt Danos incensis Ecclesiis sacerdotes ante altaria trucidasse, & clerum vulgo mixtum, aut occidisse, aut in captivitatem duxisse. Cruces etiam truncatæ ludibrio sunt habitæ à Danis. Anno Dom. 950. obiit Gorm Gamle. Cui successit Harald Blaatand filius ejus.

LXX. *Harald Blaatand* regnavit 50 annis. Iste cum exercitu magno subjugavit sibi Angliam, & rediit. Tunc Imperator Otto, qui dictus Otto Magnus, paravit se ad invadendum Daniam. Cumque Legati ejus venissent Sleswic, Dani occiderunt eos, & unum Marchionem cum eis, ad quod ulciscendum Imperator cum exercitu Daniam intravit. Et cum Haraldus rex in extremis finibus regni sui erat, scilicet in Hallandia, Imperator totam Iutiam vastavit usque mare, quod ab eo Odesund dicitur. Ibi enim lanceam suam in mare misit, ad perpetuam rei memoriam. Quo audito Haraldus vehementer commotus, versus Iutiam festinavit cum furore magno. Quod intelligens Imperator fugit, & in Lohete superveniens, Haraldus occidit Ypponem Ducem exercitus Imperatoris, reliqui vero Teutonici fugerunt. Quo facto ipse de consilio matris suæ vallum Danewirki cœpit instaurare. Hunc Haraldum filius ejus Suen de regno expulit, quod ad prædicationem Popponis Capellani Domini Papæ baptizatus fuerat, cum quo pater conflictum ter habuit, & semper perdidit, & tandem miles filii patrem occidit in Scania, qui miles Hako dicebatur, & regnavit pro eo Suen Tyugeskeg filius ejus.

LXXI. *Suen Tyuskeg.* Iste propter scelera sua à Slavis ter captus est, & redemptus, semel tanto pondere auri, quantum in armis ponderabat, & bis tanto pondere argenti; Novissime de regno expulsus, apud regem Sueciæ 14 annis exulavit. Tandem ad Christi fidem conversus baptizatus est, & mox Deo favente, regnum suum recipit, occiso rege Norwegiæ in Mesund, qui regnum ejus tenuerat, & ita Suen duo regna Daniæ & Norwegiæ invasit, & Angliam, & obtinuit illud regnum, & ibidem mortuus est, & portatus Roskildis, ibique sepultus est. Huic successit Haraldus filius ejus.

LXXII. *Haraldus.* Iste homo fuit effœminatus, & totus libidini deditus, hac de caussa Dani eum deposuerunt de regno, & Gamleknud fratrem ejus regem fecerunt, quod bellicosus homo fuit, sed tædio affecti super eo, quod raro in regno fuit, & continue extra regnum in bellis, quod tamen pro gloria regni libenter tolerare debuissent, Kanutum deposuerunt, & Haraldum effœminatum & nihil valentem regno præfecerunt, qui tamen cito post mortuus est, & successit ei dictus Gamleknud frater ejus.

LXXIII. *Gamle-Knud.* Iste cum mille navibus invadens Angliam, eam subjugavit. Estonicam etiam gentem subdidit, Ricardum etiam ducem Normanniæ de Francia expulit, & uxorem regis Anglorum expulsi & mortui accepit, & genuit ex ea filium, nomine Hartheknud, & filiam nomine Gunnild, quam Henricus filius Conradi Imperat. uxorem accepit. Anno Do. 1028 S. Olavus rex Norwegiæ martyrizatus est, cujus regnum obtinuit idem Gamleknud rex Daniæ, & regnavit super tria regna, Danorum, Anglorum & Norwegiæ. Fuit autem omnium regum pulcherrimus, strenuissimus & largissimus. Hic primus religiosos in Daniam induxit, & multos Episcopos de Anglia in Daniam adduxit. Obiit autem Gamleknut anno regni sui 33, relinquens tres reges: videlicet

LXXIV. *Harte-Knut* in Dania; Haraldum spurium in Anglia, Swenonem spurium in Norwegia. Harald vero 4 tantum annis regnavit, & mortuus est. Cujus regnum Hartheknud rex suscepit. Sueno vero 5 annis in Norwegia regnans obiit. Cujus regnum accepit Magnus filius S. Olavi. Quod audiens Hartheknud, cum Anglis & Danis Norwegiam intravit, sed per amicos reconciliati sunt Magnus & Hartheknut tali pacto, quod qui diutius viveret superstes, regnum defuncti acciperet. Iste Hartheknut regnavit super Daniam, Sueciam, Slaviam & Angliam. Qui præter quotidianam familiam suam 6 millia armatorum continue tenuit. Qui cum 60 longis navibus ad domandum regna æstate discurrebant, hyeme vero in castris manebant, quibus quasi religiosis, leges & statuta præscribebat ho-

honestatis: unde tempore suo super omnes reges mundi terribilis & laudabilis exstitit. Transivit etiam cum Imp. in Italiam ad domandum nationes exteras. Obiit autem in Anglia. Huic successit Suen Estreth filius sororis Gamleknut.

LXXV. *Suen Esthret*, filius Vlff comitis Angliæ, regnavit post Hartheknud. Quod audiens Magnus rex Norwegiæ prædictus, non immemor pacti sui quod fecerat cum Hartheknut, venit contra Suen, & vicit eum, & subjugavit sibi. Sanctus tamen Edwardus rex Angliæ frater Suenonis, coactus est tributum solvere, & declarare eum hæredem regni post se. Tunc iterum Magnus rex Norwegiæ ad bellandum Suenonem venit, cum exercitu innumerabili, quasi arena maris, navigio in Oresund, sed cum incaute de navi in navem transiret, cecidit in mare, & submersus est. Quo audito Suen, regnum ejus obtinuit. Item dum idem Suen in Norwegia moram faceret, Slavi vastarunt Iutiam usque Ripas. Qui casu rediens de Norwegia, hostibus cum præda exituris, prope Sleswic occurrit, prostravitque ex eis 6 millia hominum, cæteris fugientibus. Anno Domini millesimo septuagesimo quarto obiit rex Suen Estreth. Huic successit Harald filius ejus.

LXXVI. *Harald* filius Suen. Hujus tempore recessit Anglia à dominio Danorum, postquam 120 annis continuis subdita fuerat Danis. Post hunc regnavit Knut frater ejus.

LXXVII. *Knut* regnavit octo annis. Qui vir bonus erat, & multas Ecclesias in regno construxit, & homines ad cultum Dei pro viribus induxit, sed aliquas partes regni nunquam inducere potuit ut solverent decimas. Cum expeditionem autem congregasset in Fiskebek juxta Wibergh, ut Angliam debellaret, frater ejus Olavus Dux Iutiæ, totum dissipavit proditiose, & eum occidi procuravit. Anno Domini 1088 martyrizatus est S. Kanutus rex Danorum in Othense per proditionem fratris sui Olavi Ducis, in Ecclesia S. Albani martyris, & frater ejus Benedictus cum eo. Cui successit frater suus idem.

LXXVIII. *Olavus*. Hujus tempore facta est tanta fames in Dania, ut homines pro herbis agrestibus litigarent. Nam segetes 7 annis regni ejus per aëris intemperiem perierunt. anno 7 regni sui inventus est in lecto suo subitanea morte præventus Olaf Hunger. Huic successit Erik Eigothe frater suus.

LXXIX. *Erich Eigode*. Qui sic dictus est primo, quod mox, ut regnum accepit, tanta fertilitas terræ reddita est, ut modius parvus cujuslibet blandi non valeret ultra duos denarios usuales. Secundo dictus est Eigothe, quod ita magnus homo fuit, quod super omnem populum ab humero & sursum videri potuit, habens in se fortitudinem quantam quatuor fortiores regni. Tertio quia ita bonus fuit regno, quod cum ad terram sanctam proficisci pararet, Dani tertiam partem omnium bonorum voluerunt dare terræ sanctæ, pro redemptione crucis, ad hoc, ut ipse in regno maneret, sed noluit manere. Imo iter arripuit cum magna militia, & veniens Romam, Ecclesiæ Lundensis Archiepiscopatum & primatum super tria regna obtinuit. Inde Constantinopolim veniens, ab Imp. Græcorum honorifice est receptus. Anno Dom. 1101 obiit Ericus Eigothe, in Cypro insula, cum uxore sua, ubi & miraculis coruscant. Post quem frater suus Nicolaus Anno 1103 Ascerus factus est primus Archiepiscopus Daniæ.

LXXX. *Nicolaus* rex cum filio suo rege Magno Kanutum filium fratris sui Erici Eigothe juxta Ringsteth occidit. An. 1130 Sanctus Kanutus Dux martyrizatus apud Harrestedt à Magno fil. Nicolai regis. Ericus enim factus est rex in Scania. Eodem anno filius S. Kanuti regis Dux Flandriæ occisus est à propriis militibus in Ecclesia.

LXXXI. Vivente adhuc prædicto Nicolao rege, filius ejus Magnus factus est rex Danorum & Gotthorum. Scanienses vero elegerunt prædictum Ericum Emund filium Erici Eigothe in regem, contra quem venerunt reges Nicolaus & Magnus filius ejus, bello inito in Fothwick anno Domini 1135. ubi corruit Magnus, & cum eo 6 Episcopi, quatuor de Iutia, unus de Syalandia, unus de Suecia, & multi nobiles de Dania cum eis. Nicolaus vero fugiens, venit Sleswic, ibique occiderunt eum sutores Sleswicenses. Huic successit Ericus Emund memoratus.

LXXXII. *Ericus Emund*. Qui caussa regnandi occidit Haraldum & liberos ejus. sed anno Dom. 1139. occisus est quadam die in palatio, à quodam Plog Sorte. Huic successit Ericus Lamb filius sororis ejus.

LXXXIII. *Kanutus*, filius suus, qui in Estoniam exercitum duxit. obiit vero anno 1202.

LXXXIII. *Waldemarus* coronatus est in regem eodem anno 1202.

LXXXIV. Anno Domini 1215 Waldemarus tertius eligitur in regem. Anno Dom. 1223 rex Waldemarus, una cum filio suo Waldemaro tertio à suis proditi, capti sunt in lectis suis à comite Henrico in insula Lydoe, & in Slaviam ducti in castrum Zuerin, manserunt ibi fere per triennium, & tunc redempti sunt per Danos pro 60 millibus marcarum in pondere Lubecensi. Anno Dom. 1231 obiit Rex Waldemarus III filius Waldemari Secundi, & Regina Eleonora cito post eum, in partu.

LXXXV. Anno Domini 1232 *Ericus* rex filius Waldemari Secundi, coronatus est à Domino Vffone Archiepiscopo, & frater ejus Abel ducatum Iutiæ accepit. Anno Dom. 1249 obiit Ericus, quem Dux Abel frater ejus proditiose captivavit in Sleswick in nocte beati Laurentii.

LXXXVI. Dux *Abel* in regem electus est & coronatus.

LXXXVII. *Christophorus* fit Rex anno Domini 1253. Rex Christophorus tradidit Waldemaro filio Regis Abel Ducatum cum vexillo apud Kolding. Bellum fuit Skelfischoer inter regem Christophorum & Heinricum Emelthorp.

LXXXVIII. *Ericus* filius ejus regnavit, qui multa mala fecit, Ecclesias spoliando, læsis & injuriam passis justitiam nullam faciendo. Monasteria quoque, quæ patres ejus per se & suos ædificaverant, per equos & canes miserabiliter attenuavit. Comites Holsatiæ magnam partem

tem

tem ducatus vastaverunt. Iarmarus Princeps Ryanorum, magnam partem Sialandiæ vastavit. Anno Dom. 1286 Rex Ericus occisus est in lecto, in nocte S. Ceciliæ, à suis, quos maxime dilexerat, inflictis sibi vulneribus qninquaginta sex.

LXXXIX. *Ericus* filius Erici regis coronatur in die natalis Domini. Hic dictus Erik Menwed. Anno Dom. 1288 Stygotus Marscalcus cum suis multa mala fecit in Norjutia clandestinis incursibus. Obiit Domina Mechteldis regina. Dux Waldemarus duxit filiam Ducis Saxoniæ uxorem suam in Daniam, cum qua priori anno celebraverat nuptias in Molne Slesvik. periit igne proprio; quam Dux Walmarus muniri fecit in circuitu, ex lignis quæ tulerat de castro Gottorp; & destrui fecit castrum Gottorp, quod pater ejus Dux Ericus sumptibus maximis ædificaverat, & erat quasi clavis & custodia totius Daniæ. Castrum Almetorp destructum est.

Hactenus Ericus Rex Daniæ.

XC. *Christophorus* frater Erici & Abelis, nullo facinore gloriosus erat. Sub illius Principatu tanta erat plebis rebellio adversus regem, ut coacta turba irrumperet in arces regias, quas aut destruxit, aut prorsus est demolita. Vno scelere evasit infamis: accepit enim Archiepiscopum Iacobum captivum, quem carceri mancipavit in arce Hagenscow. Cujus causa iam regnum fuit novem annis sub interdicto. Mortuus est anno Domini 1259.

XCI. *Ericus Klipping* erat multis flagitiis opertus, sacrilegiis, oppressionibus, ac infami libidine; ita vocatus, ut omnibus haberetur invisus. Igitur anno 1286 cum ruri ageret venationis gratia, ac nocte beatæ Ceciliæ dormiret in villa Findetorp Wibergensis diœcesis, jaceretque cum multis in horreo quodam multum soporatus, ingressi sunt clam septem viri prævia laternula, studio armati: quorum unus regis caput manui innixum gravi pugione crudeliter transverberat, cæteri vero invadentes regis cadaver jam exanime, intulerunt illi vulnera 70, in ultionem perfidiæ ipsius regis, ac præcipue nefandæ libidinis, qua expugnaverat corruperatque multarum etiam nobilium matronarum pudicitiam. inter quas etiam fuerat stuprata uxor domini Stygoti Andreæ, regni Marscalci. Iste Ericus dedit filiam suam nomine Sophiam Waldemaro regi Sueciæ uxorem: qui ob stuprum ejusdem sororis Sophiæ è regno pulsus, habuit Magnum Ladelaas fratrem suum regni successorem.

XCII. *Ericus Memwidt* Erici filius, aliquot victoriis adversus Teutones insignis, Rostochium triumphavit, & juxta Warnaw turrim extruxit. Hujus tempore anno 1287 juratum est in Dania à 27 viris nobilibus, Dominum Iacobum Comitem Hallandiæ, Dominum Stygotum Marschalcum, Dominum Nicolaum Haldensfar, Dominum Petrum Porse, aliosque multos illorum complices, veros esse regis Erici interfectores: qui statim sibi timentes in Norvagiam fugerunt, receptique sunt sub regis Norvagiæ protectione, anno 1293. Mortuus est autem dominus Stygotus, quondam interfecti regis Erici Marchalcus, in insula Hielmo, quam arce quadam munierat, ubi regis interfectores tuta habebant præsidia, unde etiam piraticam exercebant. A Stygoti enim obitu dispersi sunt, ac diversis locis supplicio affecti. Nam anno statim sequenti captus est Kanelonus, qui extra Roskildiam rota percussus occubuit in ultionem interfecti regis Erici, cujus idem Ranelonus fuerat cubicularius, adeoque proditor infamis. Iste Ericus mortuus est sine liberis anno 1319, cum regnasset annis 33, in Ringstede sepultus.

XCIII. *Christophorus* Erici frater, qui electus est anno 1320, erat regni diademate prorsus indignus ob ignaviam, nec unquam fortunatus aut felix; adhæc omnis nobilitatis osor, populi vorator. Igitur tanquam perfidus princeps sustinuit multorum rebellionem: quam declinare volens, bis è regno fugerat, rediitque spe recuperandi, sed nullo fructu. Nam Holsatis in pignus dederat universam Scaniam.Habebat autem tres filios,Ericum,Ottonem & Waldemarum. Ericum regem constituit, ut una secum regnaret. Verum uterque male regnans,grave odium incurrit.Nam regni proceres,fugato patre,filium captum carceri manciparunt in arce *Hadersleff*: qua occasione cœperunt Holsatiæ Comites regnum ambire, nihil non tentantes, ut Danos in perpetuam quandam servitutem redigerent:quod animadvertentes Danorum proceres, revocant ab exilio Christophorum regem, & Ericum illius filium à vinculis absolvunt, qui paulo post brevi tempore regnantes calamitosa morte defuncti sunt, anno Dom. 1333. Dominus Magnus Rex Sueciæ redemit universam Scaniam à Dominis Holsatiæ, qui illam in pignus acceperant à Christophoro rege Danorum, patre Waldemari Duri. Redemptionis autem pretium erat 70 millia marcharum argenti puri; videntes enim Holsati, ob tyrannidem, qua grassabantur in universam Scaniam, defecisse Scaniæ proceres ad Magnum Smeg Sueciæ regem, coëgerunt vendere, quod alioqui non essent diu habituri.

XCIV. *Waldemarus* cognomento *Reprobus*, fertur fuisse versutissimus, avarissimus & audacissimus,qui cum offendisset regnum pauperrimum, scilicet à suo patre spoliatum, ab hostibus Alemannis vastatum, à quibus tum etiam multæ arces possidebantur, mira vafricie vindicavit è possidentium manibus,minima sanguinis jactura, principio regni sui, scilicet anno Domini 1340. Vindicavit etiam Scaniam, abusus simplicitate Magni regis; ac dolo exustis omnibus ejus literis. Anno vero proxime sequenti vindicata Scania, jam aperto Marte invasit Olandiam & Gotlandiam:atque cum crudelissime vastasset utramque, interfectis in Olandia quingentis viris, in Gotlandia vero duobus millibus; eodem anno amisit Olandiam & Gotlandiam, quæ tamen postea est retenta. Iste Waldemarus in asserendo regno fuit admodum gloriosus. Nam ut illud in libertatem assereret, nihil non tentavit: receperat vastatum, spoliatum, depauperatum, & quodammodo in solitudinem redactum, non tam ignavia patris ac fratris, quam exterorum incursionibus; sed liberum ac florentissimum reliquit. Hanc tamen illius gloriam obscurarunt, insatiabilis

bilis avaritiæ, ac infamis perfidiæ, qua violato jurejurando, cœpit tyrannidem exercere adversus Nobilitatem totius regni, quam etiam extinctam cupiebat, quo crudelius grassaretur in omnes, jam sublato metu, qui solet esse officii custos. Ob hanc enim causam pertulit ab ipsis proceribus frequenter rebelliones, non insidiantibus regi, & crudeli, & formidabili, sed sibi magis prospicientibus ne perirent; quorum tamen rebellionem crudeliter ulta est in multos Margareta, illius filia, trium regnorum regina, quantumvis visa sit aliis virtutibus spectabilis. Erat autem Waldemarus iste adeo irritabilis in omni re, ut etiam facile fuisset fidem relicturus, ni obstitisset religiosus quidam pudor. Nam Romano Pontifici ob tyrannidem ac perfidiam interdictum ac excommunicationem minanti, fertur in hæc veba respondisse: *Waldemarus rex Daniæ Romano Pontifici salutem. Naturam habemus à Deo, regnum ab incolis, divitias à parentibus, fidem vero à tuis prædecessoribus, quam si nobis non faves, remittimus per præsentes. Vale.* Habebat autem uxorem nomine Helwir, filiam Waldemari ducis Sleswicensis, ex qua sustulit præcipue duas filias, unam, quæ nupsit Haquino Norvagiensium regi. hæc fuit Margareta regina trium regnorum: alteram, quæ nupsit Duci Magnopolensi, cui genuit duas filias, matrem Erici regis de Pomerania, & Christophori regis de Bavaria. Cum multis annis regnasset Waldemarus, mortuus est in arce Gurræ à se exstructa, sepultus Soræ cum patre suo, anno Dom. 1375.

XCV. *Margareta* loco regnavit Waldemari patris, mulier christiana ac religiosa valde, & adeo potentia, fortuna, victoriis, divitiis ac prudentia gloriosa, ut fortunatissimos viros videatur non solum æquasse, verum etiam longe superasse. Hæc regnante patre nupsit Haquino filio Magni Smeg regis Sueciæ & Norwegiæ: cui unicum filium genuit, Olaum nomine, anno Domini 1341: qui fertur ignota morte periisse, nondum accepto regno, anno 1384. Regnavit autem post mortem Haquini sui mariti annis 32. Bellum enim ab Haquino cœptum adversus Albertum regem Sueciæ illa gloriose perfecit. Anno Domini 1389 misso ex Dania grandi exercitu, sub principe belli domino Ivaro Lucke, pugnatum est in Asle adversus Albertum regem, cessitque fortuna ipsi Margaretæ victoriam, captusque est Albertus in prælio, una cum filio suo Erico duce; simulque cum illis capti sunt Rodolphus Archiepiscopus Scharensis, Dux Magnopolensis, regis Alberti pater, Comes Holsatiæ, & Comes de Reppin; alii quoque multi Barones, & proceres, interfectis multis militibus plebejis. Equites enim aurati ibidem cæsi fuerunt 19, exceptis aliis nobilibus, qui numerari non possunt. Nam ut gloriosa victoria, ita præcesserat atrox bellum. Captus igitur Albertus, & in Daniam ductus, sex annis in captivitate durat. Liberatus est autem à captivitate anno 1395, circa festum Michaëlis; hac lege, ut præfixo termino aut solveret reginæ 60 marcharum millia argenti puri, aut fieret deditio civitatis Holmensis, aut rediret in captivitate perduraturus. Cumque nec rediret, nec solvere valeret tantam summam, scripsit Holmensibus, & mox consequuta est deditio. Sicque obtento universo regno gloriose regnavit, pepigitque fœdus illud solemne, quod tria regna conjunxit, quod utinam durasset in hodiernum usque diem. Ictum enim erat fœdus hac lege, ut in electione regum, alternis vicibus haberet Suecia primum suffragium, Dania vero alternis. Et quoniam in electione Erici regis Dania primum habuerat suffragium, mox in electione Christophori regis, etiam primum usurpabat suffragium: qua temeritate & arrogantia offensi Sueci, statim elegerunt sibi proprium regem Carolum Canuti; maximo utriusque regni dispendio. Hæc Margareta cum orbata esset posteritatis spe, nimirum mortuo Olavo filio, vocatum ad se Ericum nepotem ex Pomerania, in regem eligendum curavit, anno Domini 1396, cum esset quatuordecim tantum annorum, qui statim anno sequenti Calmariæ est coronatus ab Archiepiscopis Lundensi & Vpsalensi, præsentibus Episcopis Lincopensi, Scharensi, Arengenensi, Arostensi, Vexionensi, Ariosinensi, Ripensi, Orcadensi, ubi creati sunt ex tribus regnis equites aurati centum triginta tres. Itaque Margareta cum Erico habebat commune regnum, usque ad diem mortis suæ, accepitque ille uxorem, filiam regis Angliæ, nomine Philippam, anno 1406. Celebratæ sunt nuptiæ Lundis eodem anno, circa festum Omnium Sanctorum. Cumque diu regnasset, semper cleri amatrix, magno laicorum odio, tandem mortua est, ac Roschildiæ sepulchro precioso sepulta anno 1412, circa festum Simonis & Iudæ.

XCVI. *Ericus* filius Ducis Pomeraniæ, Waldemari pronepos. Hunc Ericum narrat Suecorum Chronicon, sic educatum fuisse à Margareta regina in omni perfidia & crudelitate, ut Waldemaro nihil fuerit inferior, imo perfidia superior, adeo ut dicant illum ex Margaretæ uberibus suxisse quicquid malitiæ illa velut hæreditario jure à patre crudelissimo & versutissimo possederat. Obtestata enim super literis, & juramentis servandis, de fide castrensi non in exteros transferenda, solita erat respondere; *Servate vos qua potestis diligentia nostras literas, nos curabimus arces servari.* Hic Ericus obtestatus de jurejurando, fertur eadem sententia respondisse Primatibus Sueciæ. Hujus Erici temporibus fecerunt Alemanni gravem irruptionem in regnum Danorum, sed nullo suo commodo; Philippa regina & Senatu regni adversus illos pugnantibus & vincentibus. Rex autem Ericus visus est bellis nihil aliud quæsisse, affectasse, desiderasse, quam suorum procerum ac nobilium interitum, ideoque fertur amasse bellum, victoriam non amasse, semper contentus cladem aliquam suorum fidelium procerum accepisse. Qui cum erga omnes esset perfidus & iniquus, tandem ab utroque regno deturbatus, elegit Gotlandiam insulam, tanquam exilii tutissimum præsidium: unde piraticam in Suecos perpetuam exercuit, Danis interim parcens, à quibus etiam recedens, & in Pomeraniam rediens, tradidit totam Gotlandiam possidendam & asservandam. Adversus hunc

Ericum feruntur multa scripta accusationum capita, quibus palam est illum fuisse è regno justissime profligatum: ac inter cæteras gravissimas querelas, 27 proditiones capitales & infames. Fugit sibi male conscius anno Domini 1438, cum à coronatione sua regnasset annis 14.

XCVII. Rex *Christophorus* dux Bavariæ, etiam Waldemari pronepos: hic electus est in Regem consilio Erici regis. Cui si contigisset vita diuturnior, evasisset valde gloriosus, præcipue adversus petulantiam civitatum quæ Hanseaticæ dicuntur. Cum duxisset uxorem filiam Iohannis Marchionis Brandeburgensis nomine Dorotheam, sine liberis mortuus est, anno regni sui septimo, Domini 1447, in arce Helsingborg.

XCVIII. Rex *Christianus*, ejus nominis primus, filius Theodorici Comitis de Oldenburg, & Hedwigis sororis Adolphi ducis Slesvici. Electus est autem consilio domini Adolphi ducis Holsatiæ, cujus erat consanguineus. qui ducta uxore Dorothea, præcessoris sui Christophori relicta vidua, genuit ex illa filiam unam nomine Margaretam, postea Scotiæ regis uxorem; ac duos filios, Iohannem & Fridericum. Hæc electio facta est anno Domini 1448. Hujus temporibus plene defecit Sueciæ regnum à fœdere trium regnorum, coronato sibi proprio rege Carolo Canuti filio, ejusdem regni Marschalco; quo tandem expulso ob tyrannidem ac perfidiam, assumptus est Christianus etiam in Sueciæ regem, sed parvo tempore regnantem, seditionem adversus illum moventibus Suecis quibusdam natura factiosis, Carolo jam revocato ex urbe Gandavensi, in qua 7 annis exilium transegerat. Iste Christianus cum esset natura clemens, egregiusque pecuniarum contemptor, nec odii tenax, aut injuriarum vindex, habuisset suo seculo regnum minime violentum, parum etiam cruentum, si calumniatores quidam illius simplicitate non fuissent in magnam regni Sueciæ perniciem abusi. Archiepiscopus enim Vpsaliensis, Dominus Iohannes Benedicti, vir nobilissimus, falsis delationibus quorundam calumniatorum à rege Christiano captus ac ludibriis affectus multis, in Daniam etiam missus, ubi magna injuria calamitose vixit. Cujus tamen patrocinio ac præsidio Christianus rex adeptus erat regni diadema. Idem enim Archiepiscopus succensus patriæ libertatis amore, odio habens Caroli regis maximam perfidiam, crudelissimam tyrannidem, atque insatiabilem avaritiam, semper restitit Carolo regi, principi perfidissimo, quem sciebat contra trium regnorum solemne fœdus privatis quorundam suffragiis violenter intrusum esse regem. Rex tamen Christianus, deprehenso calumniatorum dolo, à captivitate absolutum Archiepiscopum in Sueciam magno cum honore remisit: qui restitutus gradui pristino, contempta captivitatis injuria, ad mortem usque magna Suecorum perfidorum admiratione permansit regis Christiani regno & Principatui fidelissimus. Cum igitur Christianus iste grandi pecunia, partim à regni tributis collecta, Holsatiæ Ducatum redemisset, Sueciam armis vicisset, Gotlandiam occupasset, Erico rege decrepito in Pomeraniam reverso, filioque suo Iohanni uxorem accepisset, urbemque Romam religionis gratia visitasset, regnassetque annis ferme triginta tribus, anno Dom. 1481 inter Pascha & Pentecosten diem clausit extremum; fortitudine, armis, & victoriis potens; misericordia, gloria, & magnificentia dives; fide vero & religione pius: sepultusque est Roschildiæ, in sacello quodam à se fundato & extructo, atque amplissimis possessionibus donato, quod ad australem plagam adhæret Basilicæ beati Lucii Martyris.

XCIX. Nonagesimus nonus rex *Iohannes*, primus ejus nominis. Hic uxore ducta nomine Christina, filia domini Ernesti Ducis Misniæ, genuit duos filios, Christiernum & Franciscum, & filiam unam nomine Elizabetam, quæ nupsit domino Ioachimo Marchioni Brandenburgensi. Iste Iohannes cœpit regnare statim ab obitu patris sui Christiani, multisque annis, nimirum triginta pene duobus, christianè regnum Danorum moderatus est. Nam principio regni sui, sequutus consilium prophanorum procerum, decreverat molestus esse viris Ecclesiastici Ordinis: postea vero cum sentiret prophanos inveterato odio (quo laici sunt semper clericis offensi) id suasisse, sententiam decreti sui mutavit. Igitur ad finem usque vitæ suæ erga clerum fuit optime affectus, deprehenso procerum dolo. Mortuus est peste captus in civitate Olburgensi, mense Februario, anno Domini 1513. Hic Princeps post fata multorum lachrymis est desideratus, etiam illorum qui viventem aversabantur, quando jam videbant filii principatum minari cruentam tyrannidem, horrendumque & inauspicatum exitum portendere. Hic Iohannes sepultus est Ottoniæ, cujus Epitaphium ibidem extat descriptum, cum Epitaphio uxoris Christinæ.

C. *Christiernus* secundus, Iohannis filius. Hic ex florentissimo regno post patrem accepto, reliquit tam calamitosum, ut nunquam fuerit ab orbe condito calamitosius. Cæterum cum sævitia ac crudelitate sua, quam exercuit in omnis generis homines, tam Ecclesiasticos quam Politicos, defunctis etiam non parcens, proceres regnorum offendisset, pulsus est ab ipsis, patruo, & Lubecensibus in exilium, anno Domini 1522, regni 9, in quo per decennium vixit in Germania. Reversus cum exercitu in regnum, spe ejus recuperandi, captus est, detentusque in captivitate usque ad mortem, quam Callenburgi oppetiit anno Domini 1559, 25 Ianuarii: cum vixisset annos 77 & aliquot menses: sepultus Ottoniæ juxta patrem. Vxor ejus fuit Elisabeth vel Isabella filia Philippi regis Hispaniarum & Archiducis Austriæ, quæ in sævissima tempestate Hasniam appulit anno Domini 1515, 9 Augusti: mortua anno Domini 1525, 19 Ianuarii, sepulta Gandavi: matrona ob pietatem in Deum aliasque virtutes laudatissima. Ex hac nati sunt Philippus, Maximilianus, ambo infantes mortui: Iohannes apud avunculum Carolum V Imper. in Vngariam moventem obiit Steinbruchi, anno Domini 1532, eodem die quo pater captus est, cum pueriles annos egressus esset; Princeps ingenio præstans: Dorothea nupta Friderico Palatino Electori; an.

Dom.

Dom. 1532: Christina; hæc conjux fuit prima Francisci Sfortiæ Ducis Mediolanensis, secunda Francisci Ducis Lotharingiæ ducta anno Domini 1541.

CI. *Fridericus* I, pacificus & humanus, Rex Daniæ & Norwegiæ, Dux Slesvicensis, Holsatiæ, Stormariæ, Wagriæ, & Ditmarschiæ, testamento patris constitutus: verum cum esset puer novem annorum, in conventu Kiloniensi frater rex abolito patris testamento, cum ipso divisit has regiones, & reliquit ipsi Gottorp, Tunderen, Haderszleven, Eile, Stenborch, Trittow, Aldenborch, Plone, Kyle; Canonicatumque ipsi Coloniæ impetravit: sed cum ad ætatem pervenisset maturiorem, considerans iniquam divisionem à fratre factam, repetiit legatum paternum ab eodem per Consiliarios Regios, & partem regnorum jure hæreditario addi volebat: verum responso minus jucundo, additis insuper minis, Consiliarii dimissi sunt. Quievit itaque quoad frater vixit, & eidem militavit contra Ditmarschos anno Christi 1500. A Christiano II patruele eadem quæ à fratre petierat, requirens, nihil impetrat. Eundem, conjungens se cum proceribus Danicis, & cum illis fœdus contrahens, propter tyrannidem pellit, & curam regnorum, Daniæ, Norwegiæque suscipit, anno Domini 1523. Hafnienses se dediderunt illi ineunte anno 1524, die trium Regum, quibus Magnum Gye Fridericus præfecit. Ipse urbem nondum ingressus est. Sed ad Comitia regni generalia proceres regni Hafniam ad diem Iohannis Baptistæ convocavit. Qui excluso, ob tyrannidem & perfidiam in Suecos & Danos nobiles perpetratam, Christierno, Fridericum Regem, nobilitatis privilegia certis articulis inclusa confirmantem, unanimi consensu elegerunt, & die 7 Augusti coronarunt, 1524. Obiit Gottorpii anno 1533, 3 Aprilis, sepultus Slesvigæ in choro templi Cathedralis, ornatusque alabastrino monumento, cum vixisset annos 56, & regnasset annos 10. Vxores habuit duas. Primam Annam, filiam Iohannis Electoris & Marchionis Brandenburgici, ductam anno Christi 1500, mortuam anno Christi 1514, 3 Maji, sepultam in Borsholmensi monasterio, sub monumento orichalcino. Ex qua sustulit filium unum & unam filiam; Christianum III, Daniæ Regem, & Dorotheam I, natam anno Christi 1504, Alberti I Borussiæ Ducis anno 1525 uxorem. Alteram Sophiam Bugislavi X Ducis Stetinensis in Pomerania, ductam Kilonii anno Christi 1518, ubi etiam mortua est anno Christi 1568, ætatis 70 & ultra, sepultaque Slesvigæ; ex qua genuit tres filios, totidemque filias: Iohannem seniorem hæredem Norwegiæ, Ducem Slesvici, Holsat. Stormariæ & Ditmarschiæ, nutritium Ecclesiæ & scholarum, mortuum ἄγαμον Haderslevii anno Christi 1580, 2 Oct. ætatis 59, sepultum Slesvigæ in crypta regia; Adolphum hæredem Norwegiæ, Ducem Slesvicensem, &c. natum anno Christi 1526, vigesimo sexto Ianuarii, & Fridericum, natum anno Christi 1529, Episcopum Hildesiensem & Slesvicensem, Coadjutorem Bremensem, mortuum Kilonii anno Christi 1556, 27 Octobris, ætatis 25, sepultum Slesvigæ in monumento avito: Elisabetham, natam anno Christi 1524, nuptam primum anno Christi 1543 Magno Duci Megapolensi; & deinde Vlrico Duci Megapolensi. ex hac nata est filia unica Sophia, uxor Friderici II, regis Daniæ. Anna peste mortua Flensburgi, sepulta Slesvigæ; Dorothea II, nupta anno Christi 1573 Christophoro Duci Megapolensi, mortua anno Christi 1575, 2 Novembris, sepulta à sorore Elisabetha Gustrovii in monumento Regum Obotritorum.

CII. *Christianus* III, Rex Daniæ & Norwegiæ, Gottorum & Wandalorum, Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarschiæ, Comes Oldenburgensis & Delmenhorstensis, natus anno Christi 1503, 13 Augusti. Patre Friderico Daniæ regnum tenente, patrium Ducatum administrabat. Primam Ecclesiarum inspectionem suscepit anno Christi 1527; commendata rerum Ecclesiasticarum & visitationis cura præcipue Eberhardo Widenscio Theologiæ Doctori, quem Magdeburga Princeps evocarat; & Hermanno Tastio, pastori Flensburgensi. quibus ex nobilitate, Iohannes Ranzovius aulæ Magister, Iohannes Reventlow, & alii adjungebantur: electus in Regem Daniæ à proceribus anno Christi 1535, coronatus à Iohanne Bugenhagio Pomerano, anno Christi 1537. Patruelem Christianum II captivum detinuit Sonderburgi in insula Alsen, & postea in arcem Kallenborch transtulit. Obiit anno Christi 1559, Kalend. Ianuar. hora 5 vespertina, cum vixisset annos 56, regnasset 24: Princeps pietate, justitia, æquitate, moderatione, prudentia, sapientia & reliquis heroicis virtutibus aliis regibus prælucens. Depositus primum Odensehe in Fynia, sed à filio Roschildam translatus, & monumento alabastrino ac marmoreo, cui regio Septemtrionalis simile non habet, honoratus. Vxor Dorothea, filia Magni Ducis inferioris Saxoniæ, Angriæ & Westphaliæ, nata anno Christi 1511, 9 Iulii, coronata Hafniæ cum marito anno Christi 1537, obiit anno Christi 1571, 7 Octobris, vesperi hora 5; sepulta Sonderburgi; sed postea Roschildam translata, & juxta maritum humata est. Ex qua procreavit Fridericum II, Regem Daniæ, &c. Annam, conjugem primam Augusti Electoris Saxonici & Marchionis Misniæ, &c. ductam anno Christi 1548, 14 Octobris, & mortuam anno Christi 1585, 1 Octobris. Magnum, Ducem Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarschiæ, &c. natum anno Christi 1540. 14 Augusti, Hafniæ, qui factus est Episcopus Orpatensis in Livonia, dynasta in Osel & Wick, duxitque in uxorem Mariam Magni Ducis Moscoviæ ex patruele neptem, & mortuus est anno Christi 1580. Dorotheam, uxorem Wilhelmi junioris ducis Brunsvicensis & Luneburgensis, ductam anno Christi 1561, 12 Octobris. Et Iohannem juniorem Ducem Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarschiæ, &c. natum Coldingæ anno Christi 1545, 25 Martii. ducentem in uxorem I, Elisabeth filiam Ernesti Ducis Brunswicensis & Luneburgensis in Embeck & Grubenhagen, anno Christi 1567, Coldingæ in Iutlandia. II Agnem Hedwigis, filiam Ioachimi Ernesti Principis Anhalti-

ni,

ni, viduam Augusti Ducis Saxoniæ, Electoris, &c. anno Christi 1586.

CIII. *Fridericus* II, Rex Daniæ, Norwegiæ, Gotthorum, Wandalorumque, Dux Slesvicensis, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarschiæ, Comes Oldenborgensis & Delmenhorstensis, natus est anno Christi 1534, 1 Iulii, in Hadersleben, electus & coronatus anno Christi 1559, 20 Augusti, quo anno Ditmarschios auxilio patruelium Iohannis & Adolphi, &c. vicit & subjugavit. Cum Erico 14 rege Sueciæ septennale bellum gessit, ab anno Christi 1564 usque in annum Christi 1570. quo interventu Principum pax facta est inter hunc & Erici 14 germanum fratrem Iohannem.

His tot ac tantis rebus domi forisque gestis, Fridericus Rex quum totum se pacis studiis dedisset, anno 1587, 3 Octobris, in prædio Neugardt tentari primum morbo cœpit; qui etsi jugulum statim non petierit, lenta tamen ægritudine corporis vires ita prostravit, ut finem vitæ Rex instare præsentiens, totum se ad animi emigrationem compararit. Tandem igitur omnibus quæ ad morituros pertinent pie sanctèque compositis, Sacramento Cœnæ Dominicæ provisus, in vera ac pia divini nominis invocatione, firmaque in Christum fide, placide constanterque, 4 April. anni 1588, circa vesperam inter quartam & quintam horam in Regia arce Anderscow sita in Sielandia, annum agens enneaticum 54, quum regnum annos viginti novem tenuisset, magno omnium bonorum mœrore decedit, obdormit, ac ex turbulento hoc ad cœleste regnum emigrat. Nam præter heroicam animi magnitudinem, qua tam gravissima bella gessit, felicitatem, auctoritatem, tanta pietate Deum colebat, tanto amore literas complectebatur, tanta sinceritate erga confœderatos, tanta virtute & justitia erga cunctos antecellebat, tanta constantia Christianam Remp. asserebat, tanta in bello magnanimitas, in pace fides culta erat, ut ejus morte Ecclesia & literarum studia, & Respub. magnum vulnus accepisse videri possent, si non eum filium post se reliquisset, qui paternæ virtutis æmulus, spem ejus sanandi certissimam sustineret. Ipso die Paschatis Regium funus præstantissimo balsamo conditum, in sarcophagum positum, Anderschowio Roschildam lugubri pompa deductum, ibidemque regio monumento 5 Iunii illatum est, comitantibus Illustrissimo, illustrissimique generis Principe ac Domino, D. Christiano ejus nominis quarto, Daniæ Norvegiæque &c. electo Rege, cum avo suo materno Illustrissimo principe ac Domino, D. Vlderico, Duce Megapolensi, Principe Wandalico, Comite Suerinensi, Regionum Rostock & Stargardt Domino, &c. aliisque Principibus ac Legatis. Vxorem duxit Sophiam, ex qua progenuit Elisabeth, anno Christi 1573, 25 Augusti, Coldingæ; Annam uxorem Iacobi Scotiæ regis, & postmodum Angliæ, anno Christi 1574. 12 Octobris; Christianum, Friderichsburgi, anno Christi 1577. 12 Aprilis; Vlricum, anno Christi 1578, 30 Decembris; Augustam, anno Christi 1580, 8 Aprilis; Hedewigem, anno Christi 1581, 5 Augusti; Iohannem, Haderslevii anno Christi 1583, 26 Iulii.

CIV. *Christianus* IV, Friderici Secundi filius, Friderichsburgi 12 Aprilis anno Salutis 1577 natus, Patris regnum adeptus est anno ætatis decimo; bella gessit varia, sed præsertim adversus Carolum IX Sueciæ Regem anno 1611; anno deinde 1627 in partibus Germaniæ; tandem impugnante Christina ejusdem Sueciæ Regina, ipse etiam acerrimè dimicavit; generosa indole Princeps, ubique magnanimitatis & strenui animi specimen edidit; ipsemet armata classe regia, numerosoque milite instructa, æstuantis Oceani sese procellis commisit, atque primas in navalibus præliis ipse partes executus est. Anno 1596 Annam Catharinam Ioachimi Frederici, Marchionis Brandeburgici filiam, & Ioannis Sigismundi Electoris sororem, matrimonio sibi copulavit, ex qua Christianum V Daniæ postea electum regem, (qui Magdalenam Sibyllam, Ioannis Georgii Saxoniæ Electoris filiam, uxorem duxit,) sed prius patre & absque sobole vita functum; atque Fredericum, primò quidem Bremensem Archiepiscopum, suum verò deinceps in regno Successorem; & tandem Vdalricum è vivis ereptum anno 1633, natos suscepit. Tres civitates à fundamentis excitavit, Christianopolim nimirum anno 1600; Christianiam 1614; & Gluckstadium 1620. Demum omnibus magnanimi Principis perfunctus muneribus obiit Hafniæ, anno 1648, currente Februario, postquam omnium votis feliciter per 60 annos regnasset, & 70 ætatis peregisset.

CV. *Fredericus* III, Rex Daniæ, Norwegiæ, Gottorum, Wandalorumque, Dux Slesvicensis, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarschiæ, Comes Oldenburgensis & Delmenhorstensis, regno post patrem potitus, multis annis in pace regnavit, usque dum Carolus Gustavus Sueciæ rex, belli sufflammaret incendia; contra quem iniquo quidem Marte, sed summa omnino prudentia strenuitateque decertavit; nuper enim de summa rerum, deque regni statu periclitatus est, sed propitio Numine illique opem ferente, inclinatum jam regnum summa fulsit prudentia. Princeps invicto plane in tot adversis animo, & ad ardua capessenda, atque ad exitum perducenda prorsus incomparabili, illatas undecunque molestias glorioso tandem fine coronavit, novo cum infensis sibi Suecis ab eorum Regis obitu, inito fœdere, effuseque plaudentibus subditis omnibus, atque ob tantam in rebus desperatis solertiam, sceptrum regni hereditarium deinceps unanimiter decernentibus; quod etiam omnes regni Ordines solenni juramento postmodum firmarunt. Sophiam Ameliam, Georgii Ducis Luneburgensis filiam sibi matrimonio junxit, ex qua egregiam utriusque sexus sobolem suscepit, eximium videlicet Principem, Christianum nomine; & Fridericum, natum quidem anno 1651 exeunte, sed in teneris extinctum anno 1652; deinde Annam Sophiam an. 1648; Fredericam Ameliam 1649; Wilhelminam Ernestinam 1650. Dignus immortalitate Princeps vivit felix sibi, munificentissimus omnibus.

I V-

I V T I A.

Rima pars Daniæ, quæ IVTIA dicitur, ab Egdora in Boream longitudine protenditur, habens iter tridui, si in *Finen* insulam divertis. Si autem à *Sliaswig* per directum viam metiris, quinque aut septem habes iter dierum. Hæc est strata Ottonis Cæsaris usque ad mare novissimum *Wendile*, quod usque in hodiernum diem ex victoria regis *Ottinsund* appellatur. Latitudo Iutlandiæ secus Egdoram diffusior est, inde vero paulatim contrahitur ad formam linguæ, in eum angulum, qui *Vindila* dicitur, ubi *Iutland* finem habet. Ibi brevissimus in Nordmanniam transitus est. Ager ibi sterilis loca flumini propinqua, omnia fere deserta videntur, terra salsuginis & vastæ solitudinis. Porro cum omnes tractus Germaniæ profundis horreant saltibus, sola est *Iutland* ceteris horridior, quæ in terra fugitur propter inopiam fructuum, in mari vero propter infestationem piratarum. Vix invenitur culta in aliquibus locis, vix humanæ habitationi opportuna. Sicubi vero brachia maris occurrunt, ibi civitates habet maximas. Hanc quondam regionem Cæsar Otho tributo subjiciens, in tres divisit episcopatus, unum constituens apud *Sliaswig*, quæ & *Heitheby* dicitur, quam brachium quoddam freti *barbari* alluit, quod *Sliam* vocant, unde & civitas nomen trahit. Ex quo portu naves emitti solent in *Slavaniam* vel in *Suediam*, vel in *Semland*, & usque in Græciam. Alterum in Ripa, quæ civitas alio tangitur alveo, qui ab Oceano influit, & per quem vela torquentur in Frisiam, vel in nostram Saxoniam, vel certe in Angliam. Tertium vero in *Arhusen*, & hanc fretum quoddam à *Finne* dirimit brevissimum, quod ab orientali pelago ingrediens, longis anfractibus in *Finne*, & *Iutland* protenditur in Boream, usque ad eandem civitatem *Arhusen*, à qua navigatur in *Finnen* aut *Seland*, sive in Sconiam vel usque Norvegiam. Postea vero deficiente hoc episcopatu, quem tertium posuimus, *Iutland* duos solummodo episcopatus retinuit, *Sliaswicensem* videlicet ac *Ripensem*, donec nuper mortuo Valdemaro Ripensi episcopo, diœcesis illa in quatuor discreta est episcopatus, auctoritatem suam præbente archiepiscopo. Qui mox consecravit in Ripa Oddonem; in *Arhusen* Christianum, in *Wiberg* Haribertum, in Wendela Magnum; cui, cum post ordinationem rediret, in Albia naufrago surrogavit Albericum. Hi quatuor episcopi tunc Ripensem dono Suein regis sortiti sunt parochiam. Archiepiscopus vero de suis clericis ordinavit in *Sliaswig* Ratolphum, in *Sieland* Gulielmum, in *Finne* Elbertum, quem tradunt conversum à piratis, Farriam insulam, quæ in ostio fluminis Albiæ longo recessu latet, in Oceano primum reperisse, constructoque ibi monasterio fecisse habitabilem. Est enim feracissima, frugum ditissima, volucrum & pecudum nutrix, collem habet unicum, arborem nullam, scopulis includitur asperrimis, nullo aditu nisi uno, ubi & aqua dulcis. Locus venerabilis omnibus nautis, præcipue vero piratis. Vnde nomen accepit ut *Heilichland* dicatur. Hanc in vita sancti Willibrodi *Fotisland* appellari didicimus, quæ sita est in confinio Danorum & Fresonum. Sunt & aliæ insulæ contra Fresiam & Daniam, sed nulla earum tam memorabilis.

Ambitus.

Soli qualitas.

Idem nobis declarat universum eum districtum, qui est ab Albi flumine, Eidoram & Sliam versus, eo adhuc seculo Nortalbingiam, & populos eam incolentes; qui sæpenumero in Reginone & ejus ævi Chronologis occurrunt, Nortalbingos appellatos: Nec Holsatiæ aut Holsatorum, qui eas nunc terras tenent, vocabulum aut nomen tum temporis magnopere usurpatum. Non quod notos aut nominatos tum Holsatos negemus, sed quod eo ævo, ut ex Adamo Bremensi authore famosissimo liquet; necdum eorum generale esset vocabulum, & plures, quæ ibi sunt, gentes complectens. Declarat deinde & illud, reliquum, qui in boream extenditur, ejusdem peninsulæ districtum, appellitatum per id temporis *Iutlandiam*. *Barbarum* vero quod ait ad Sliam usque *mare*, id *Balthicum* est: *Barbarum* appellat à gentibus, quas alluit extremis partibus, tum adhuc parum cultis. Ita enim alibi habet: *Sinus ille ab incolis appellatur Balthicus, idemque mare barbarum seu pelagus Scythicum vocatur, à gentibus, quas alluit, barbaris.* Quæ deinde extensio Iutlandiæ ab Eidora recensetur, ea satis indicat *Iutlandiam* ei duplicem esse, *Meridionalem* & *Borealem*. Quarum illa haud multo Coldingam ultra progrediatur; ubi est ex adverso Fioniæ Melfartum, seu, ut vocant alias, Middelfurtum. *Finne* autem *Fionia* insula est, *Fyn* hodie. *Stratam* quam vocat *Othonis Cæsaris*, ea de itinere capienda, quod, Haraldi Danorum regis tempore, Otho Magnus Imperator cum exercitu confecit ad fretum usque Iutiæ Borealis, quod *Lymfiord* indigenæ appellant. Ipse mare vocat novissimum; Si, ut videtur intelligendum, Oceanum Norvagicum vult, in quem circa Schagæ promontorium desinit borealis hic Iutiæ tractus, toto errat cælo, cum non maris oceani, sed freti istius *Limfiord* sive Limici, de quo mox plura dicentur, sinus sit accipiendus, qui hodieque aut portio potius ejus ab Othonis vocabulo & lancea, quam in eum, ut terminum borealis hujus expeditionis, projecit, *Otesund*, id est, *Othonis fretum* appelletur; quemadmodum superius suo loco docet prolixius historia. Helmoldus etiam, qui Adamum, ut videtur, Bremensem est secutus, errorem ejusdem errans, mare similiter novissimum appellat, & addens, quod Normannos dirimit à *Danis*, satis superque significandum dat Norvagicum se mare, non sinum illum maris, quomodo debuit,



Occidens
MARE GERMANICVM.
Helgelandt
Amrom
Meridies
Septentrio
Alfen
FIONIÆ PARS
Arroe inf.
LANGELAND
Femern inf.
LALAND
Lesoe
SINVS CODANI PARS.
IVTIA, olim CIMBRICA CHERSONESVS.
Milliaria Germanica.
Oriens

18.


buit, intellexisse. Interium ex eodem freto in Norvagiam navigari posse non negamus; & forte eo pacto excusandus Adamus, cum Vendelam, quæ est ultra hoc fretum, insulam faciat; in eo tamen iterum impingens, cum non insula sed peninsula sit, ac Iutiæ continenti versus occasum adhæreat. Notandum deinde quod suo tempore Adamus *Civitates* hic agnoverit *maximas*, sicubi præsertim maris brachia ac sinus essent. Quæ autem addit, *regionem totam ab Othone redditam imperio tributariam*, nequaquam concedendum, si nimirum Annales domesticos & Saxonem præcipue sequamur, de quo superius consulenda historia. Interim verba ipsius Saxonis veluti in memoriam priorum repetisse, hoc loco haud abs re erit: Superveniente, inquit, Haraldo, Cæsar Iutiam, utpote regio ductu vacuam, nullo resistente, permensus, cum Lymici sinus objectu, tunc temporis aquis Vendilam claudentis, ulterius excurrere vetaretur, conjecta in undas lancea, non solum iter ad Eidoram reflexit; verum & simillimum fugæ reditum habuit. Siquidem hastam, cujus usum habebat maritimos in fluctus, relinquendi monumenti gratia, jaculatus, suum freto vocabulum indidit. Verum ut impetu gravis, ita exitu vanus apparuit. Haraldus quippe ardentissimo cursu abscedentes hostium reliquias insecutus, Epponem, extremi agminis ducem, cum iis, quos reperit, trucidavit. Ex portu deinde Slesvicensi, quod in Slaviam, Suediam, Semlandiam ac Græciam enavigatum mercesque transvectas referat, *Semlandia* eo loci *Semlandique Sembi* sint, ut eos Saxo vocat. Gentem hanc esse antiquissimam, & à *Semnonibus*, quatenus etiam illi mare præsertim Suevicum attigere, nomen & originem ducere, paucisque hoc animadversum, dicetur inferius. Vt igitur qui est præscriptus ordo teneatur, ipsam modò, cujusmodi fere hodie est, peninsulam inspiciamus.

Iutarum origo.

A Iutia Iutlandiam dici cum dubium non sit, quæritur de ipsa Iutia: præsertim cum Beda gentes ex hoc tractu commemorans, quæ in Britanniam delatæ nova ibi nomina, novasque populorum appellationes induxerunt, præter *Anglos & Saxones*, *Vitas* nominet. Et alibi quoque *Vitarum* mentionem faciens, de eorum origine esse plures Anglici districtus populos doceat, ubi inquit: *De Vitarum origine sunt Cantaurii & Vectauri, hoc est, ea gens, quæ Vectam tenet insulam, & ea quæ usque hodie in provincia occidentalium Saxonum Vitarum natio nominatur; posita contra ipsam insulam Vectam.* Hic *Vitas* esse *Iutas*, nec inter *Iutas & Vitas*, faciendum discrimen, sed literæ unius transpositione pro *Vitis Iutas* rescribendum, plures existimant. Sane Cambdenus, insignis olim Britanniæ suæ illustrator, locum illum Bedæ, qui est libro 1. cap. 15: *Angli de illa sunt patria, quæ Anglus dicitur, & ab eo tempore usque manere deserta inter provincias Vitarum & Saxonum perhibetur*, aliter in MSS haberi, & loco *Vitarum* legi *Iutarum* asseverat. Obiit Beda sub annum Christi 732. Quem secutus est duobus & ultra seculis post *Ethelwerdus*, Adulphi regis abnepos, utpote qui claruit circa annum Salutis 950: Hic de eadem re agens, Bedæ lectionem scriptam affirmare videtur, cum non *Vitas* aut *Iutas*, sed *Giotos* diserte scribat; Ait enim: *Anglia Vetus sita est inter Saxones & Giotos, habens oppidum capitale, quod sermone Saxonico Slefwick, secundum vero Danos Haiteby dicitur.* Quo loci *Giotos* proximo deflexu ad *Iutas & Gothos*, non *Vitas* abire, nemo non fateatur: adeo ut eadem Ethelwerdi scriptura satis eorum adstruat opinionem, quæ est fere doctorum omnium, à *Gothis & Gutis*, quorum in Scandia Ptolemæus, ut postea dicetur, meminit, originem esse Iutarum & Iutlandiæ repetendam. *Vitarum* interim nomenclaturam haud quaquam expungendam multa convincunt. Nam ut omittam, qui Tacito memorantur in Germania Anglis vicini *Nuithones*, vel ut scribendos eos verius putem, *N* in *H* mutato, *Huithones*, nonne & *Vitungi* authoribus celebratissimi sunt? Quorum & superest hodieque haud sine manifestissimis vestigiis nomen in illa Cimbricæ Chersonesi, haud procul illustri Riparum oppido, notissima nomarchia *Widung Hærridt* dicta: & in Scania item proxima *Gungi* quasi *Giutungi* dicti. Quin & ipsi *Vitungi*, cum Suidæ & aliis authoribus *Iuthungii* nominentur, & populus intelligatur, qui à Borea veniens, Istrum trajecit, & eorum quoque in epistolis subinde Ambrosius mentionem faciens, haud aliter quam *Iuthungos* appellet, quis ista considerans, in eam non veniat sententiam, promiscuam quoque *Iutarum* aut *Vitarum* fuisse appellationem? Nam ecce Sidonius Apollinaris *Vithungorum* vocabulum retinens, dixit carmine 7: *Nam post Vithungos & Norica bella.* At Prosper Aquitanus *Iuthungorum* vocem, ut Suidas superius & Ambrosius, reservans, de Ætio ita scribit: *Ætius Iuthungorum gentem delere intendit.* Quin & *Guthungos* veteribus eosdem nominatos, colligi ex Ammiano Marcellino potest lib. 27. ubi legitur, *Grutingos bellicosam gentem aggressus est:* Quis enim legendum ibi, pro *Grutingos Guthungos*, magnopere addubitabit, aut saltem, ut est non una populorum dialectus, ita pro *Guthungis* appellitatos, cum gentem, ut diximus, fuisse Borealem, ac Gothis sociam ex eodem Ammiano, qui semel iterumque nominat, intelligi manifesto queat? Quibus ex omnibus liquere haud obscure posse existimo, sive *Vithungos*, *Iuthingos*, *Guthungos*, aut denique *Huithonos* seu *Iuthones* pronunciando efferamus, eas omnes voces ac dialectos quam proxime ad Cimbricæ nostræ *Vitas*, *Iutas*, *Gutas* & *Iuthones* sive *Iutlandos*, prout à variis varie efferuntur, accedere: Et easdem postremo voces *Vitas*, *Iutas*, *Guthas* & *Iuthones* haud minus quam illas esse promiscuas, nec uno modo, prout gentes ac dialecti non unæ sunt, proferri: Obtinuisse tamen & esse hodieque usitatissimum, ut *Iutiam* & *Iutlandiam* efferamus, cum ipsi Chersonesi indigenæ se *Iuder*, & solum suum *Iulland* appellent, idque idioma etiam genti familiare demonstret. Nam & eodem modo Dani hodieque Ostrogothos & Vestrogothas *oster ob Vester Iyllant* vocant. Quæ autem earum dictionum notatio sit, quæri ultimo possit. Ego qui eas certo enodarit, necdum reperi. Conatus est interim jam nuper vir ut eleganti doctrina, ita scriptis clarus, Arngrimus Ionæ Islandus, inter glaciem licet atque extrema cæli sui frigora ingenii cultum fovens, qui, proxime

xime accedens ad vocem *Giothos*, *Læt gigantem* notare Norvagis aut Islandis inquit, & esse in ditione quadam Norvagiæ vicina Risalandt / id est, *gigantum terram*, & ab eadem haud longe abesse *Iætum haimar*, id est, *gigantum habitationem* nec aliud esse, quæ olim Cimbrica Chersonesus, nunc Iutlandia dicta, quam *Iætumland* sive Jütland. Vt ita, qui olim à Kempers & *Cimbers*, id est, *bellatoribus Cimbri* & *Cimbria* Romanis appellati, iidem deinde, non re, sed nomine solum mutato sint dicti *Iyte*, & *Iitlandia*. Sed de hoc dicemus fortasse amplius alibi. Nunc illud tantum, ne causam hanc plane desertam è manibus amittamus, dicere habeam, esse in ipsa hac, sive Iutlandiam sive Gutlandiam appellare libeat, amnis nomen, omnium ibi celebratissimi, qui *Gudius* sive *Guttalus* dicitur. Ab amnibus vero populorum, ut plurimum, deduci appellationes, doceat vel *Iberus* Hispaniæ fluvius, à quo *Iberi*: ne ad testimonium nunc alia citem, & alibi nobis memorata: & inter cetera ejusmodi item esse *Indum*, à quo *Indi*; & *Suevum* in Germania, à quo *Suevi*; & *Lanum* à quo *Alani*; & *Alemonum* sive *Alemanum* in Germania quoque, à quo Alemanni; & denique *Rhenum* ibidem, à quo *Rhenenses* & *Rheni*, Persio pro Germanis nominati, ubi inquit Sat. 6: *Ingentesque locat Cæsonia Rhenos.* Quo & Stephanus Ethnographus respiciens, inquit: *Rheni, gens fluvio Rheni accolens, & inde ita dicti.* Dixi huc spectantia plura quam constitueram, sed ignoscat lector, quia necdum omnia.

Cimbrica Chersonesus tot illustribus scriptoribus Græcis Romanisque celebrata, atque ultimo, *Iutlandia* dicta, dupliciter distribuitur, ut altera *meridionalis*, altera sit *borealis*. Meridionalis initium ponitur circa isthmum, qui est haud procul Slesvico; ut ita totum illud, quod est introrsus & ultra Eidoram ad Albim usque, nunc *Holsatiam* dicimus (Adamus Bremensis *Nordalbingiam* appellavit, Ptolemæus, & Ethelwerdus, Saxonibus attribuit) ea divisione excludatur. Nos vero eam regionem insuper habebimus, quamvis Daniæ regum pro parte hæreditariam, & antiquissimis quoque authoribus, Chersoneso ipsi perpetuo adscriptam. Hodie enim Germaniæ accenseri solet. Omnis autem hujus regionis cum borealis, tum meridionalis longitudo ab illo maris novissimo promontorio, quod hodie exteris domesticisque Schagen appellatur, ad amnem usque Leonis (Leechens Aa) in milliaria se Germanica exporrigit quinquaginta & tria; qua vero est latissima, prope nimirum Lymicum sinum & Alburgum, ultra viginti patet. Quibus si Holsatiæ accedat longitudo, quæ ab amne eodem ad Billæ & Albis fluenta, versus austrum & occidentem excurrit, septuaginta propemodum Germanicis milliaribus, universa vix Chersonesi finietur longitudo. Quod spatium haud multo minus erit Italiæ longitudine. Vt ita Chersonesus ista inter mundi celebriores Chersonesos, sive gentium robur, sive terræ videamus præstantiam, haud habenda postrema. Primo nunc igitur loco *Plagam* hujus tractus, quæ est *meridionalis*, lustremus.



IVTLANDIA
MERIDIONALIS.



A, præter cetera, *Slesvicensem Ducatum*, *Anglos* & *Frisiam*, quæ Saxoni Grammatico *minor* est dicta, complectitur, indigenis, vulgari vocabulo *Sunderjuthia* appellata. Prope autem Slesvicum ipsum, unde inclytus ille Ducatus nomen habet, ad certam rei memoriam, & ut constare omnibus possit, eum semper Ducatum regium ac regni Daniæ fuisse, insignis hodieque ad Isthmum, qui ibi est, agger visitur, fossarum ac valli vestigia ostentans, quod Opus Danorum, vulgo *Danewirck* appellant. Hoc olim cum indies Slavorum Saxonumque metuerentur incursiones, eundem Chersoneso usum præbuisse videtur, quem in Britannia *Vallum Severi*, quod ipsi *Severwall* appellant. Conditoris autem primi, & qui deinde instauratum conservarunt, ut & limitaneorum præfectorum, qui operi ac munimento custodiendo publicis regni sumptibus eo loci perpetuo excubarunt, nomina ignorantur.

Extenditur autem hæc Iutia ab amne Leonis, per lineam rectam septentriones versus, ad amnem *Schodburgensem*, qui latitudinis peninsulæ borealis est terminus; versus occasum oceanus occurrit Britannicus; ad ortum æstivum progreditur versus agros & urbem, quæ ibi est amœnissima, *Coldingam*. Quæ si latitudo ab Eidora flumine oppidoque *Rendesburgo*, ut oportet, sumatur, ad octodecim usque milliaria juxta oppidum Coldingæ jam indicatum, se extendet. Latitudo, quæ est, inæqualis habetur. Ea tamen, inclusis *Anglis* & *Frisia* Minore, sex vel septem, & alicubi etiam octo implebit milliaria. Quod ad ipsum Ducatum, eum Holsatiæ Principes à regibus Daniæ in feudum accipiunt, excepta episcopali dignitate, quæ Daniæ regno perpetuo cohæsit. Oppidum Sliæ amni, sive maris est sinus, unde & nomen habet, est adsitum. Incolæ olim totius territorii *Sigulones* Ptolemæo, vel *Sliewones* potius nuncupati. Est & *Hedeby* oppidum ipsum ante secula aliquot ab *Hetha* regina Danis dictum. Ita enim habent verba regis Anglorum pientissimi, Ethelredi, qui claruit anno Christi 905. Sunt enim ista: *Anglia vetus sita est inter Saxones & Giotos, habens oppidum capitale, quod sermone Saxonico* **Slesvich**/ *secundum vero Danos* **Haitebu** *dicitur*. Ex anonymo etiam Chronologo de vita Caroli Magni colligere est, *Sleistorpium* quoque antiquitus nuncupatum. Refert is quippe inter Carolum Magnum & Daniæ regem *Godefridum*, alii *Gotricum* nominant, controversias fuisse de finibus inter Daniæ regnum & Saxoniam, quam sibi Carolus vendicabat, conventumque fuisse, ut uterque alteri ad colloquium sese obvium daret. Venisse itaque Carolum in *Hodinstede*, regem vero in **Sliestorff**. Dissuasum regem à suis, detrectasse colloquium, remque per Consiliarios actam, ut habet suo loco historia. Fuit autem urbs olim ingens & imprimis potens, ob situm sedemque episcopalem, & mercatorum ex Britannia, Gallia, Hispania, Flandria totaque Belgica illuc commeantium frequentiam. Nam ad Egdoræ fluminis ostium ex Oceano Germanico appellentes naves, per Threanam amnem merces suas Hellingstadium usque subvehebant, atque inde Slesvicum delatas, per urbes maris Balthici varie in Dania, Norvegia, Suecia, Livonia, Polonia, Russia, Borussia sitas distribuebant. Adamus Bremensis, qui claruit circa annum millesimum centesimum, *civitatem* passim appellat *opulentissimam ac populosissimam*. Templum primum condidit *Ericus* Rex, frater *Haraldi*, quem S. Anscharius ad fidem convertit. Sed irruentes in loca ista Slavi, urbem expugnarunt, funditusque ecclesias ac templa depopulati sunt, restituto etiam in locum veræ religionis paganismo; cujus monumenta exstare adhuc existimant in vicinis quibusdam fanis, ac præcipuè in eo, quod nunc D. Michaëli archangelo sacrum extra urbem conspicitur, forma rotunda, in monte, ad viam qua itur Flensburgum. Pulsis Slavis, restitutus est paulatim Dei cultus. Templum cathedrale restauratum: Angli quoque negotiatores prope forum Ecclesiam S. Spiritus condidere, quod vicinum habuit Xenodochium. Erat etiam Ecclesia B. Nicolai in Australi cathedralis ecclesiæ latere, quæ adjunctum habuit monasterium, orientem versus. Sed hæc nunc solo æquata sunt, vix ut vestigium ullum superfit. Remansit tamen monasterium nobilium virginum in peninsula Slesvicensi, quam *Holmam* vocant.

Vicinum est Slesvico *Gottorpium*, Holsatiæ Ducum habitatione & structura nobile. Est & *Eckelfurtum* haud longe ab eodem versus meridiem dissitum, à sciuro animalculo, cujus etiam triplici turri insignia gestat, nomen trahens. Hoc in peninsula maris orientalis ita positum, ut eo prope ad centum usque passus circumdetur. Vnde & portum habet satis oportunum tutumque, adeo ut facilis ex eo fit in Daniam ac regna regionesque vicinas navigatio. At boream versus unius circiter diei itinere abest Slesvico *Flensburgum*, inter quod & ipsum Slesvicum collocati *Anglorum* populi, aut eorum saltem nominis tenue vestigium hæret. Ethelwerdus, cujus antea meminimus, scriptor Anglicus, circa annum 950 *Angliam veterem* eam ditionem vocat, adjiciens habere metropolim Slesvicensem civitatem, esseque primigenium solum, ex quo progressa Anglorum ea gens, quæ postea nobilissimum illud, quod hodieque in magna Britannia

tannia celebratur, Anglorum regnum constituerit. Verba ejus superius posita. Quo ex loco non obscure posset colligi eorum Anglorum, quos Tacitus & Ptolemæus nominant, quorumque sedem magis orientalem videntur facere, utpote collocantes eos extra propemodum Chersonesum, versus Albim & Suevicum mare, seu, ut alias vocamus, sinum Codanum, eorum inquam introrsus exinde mutatas fortasse sedes; aut saltem, quod etiam suspicati superius sumus, magnam fuisse gentem hos Anglos, & isto quoque loco, quo eos Ethelwardus ponit, pedem fixisse, præsertim cum Ptolemæus, quasi bipartitos Anglos faciens, *Anglos Suevos* ultra Chalusum seu Travæ flumen commemoret. Et sane quis non eos reliquis illis populis, qui cum iisdem in Britanniam transgressi referuntur, *Saxonibus* & *Vitis* præcelluisse dicet, cum ipsorum præsertim vocabulo inclytum illud & per omnem terræ orbem celeberrimum Angliæ regnum in eadem magna Britannia sit conditum? Cujus hodieque nominis appellatio in ore & memoria hominum durat, nec ullo unquam delebitur ævo: Nam licet omnes jam maximæ illius insulæ populi sub regis unius imperio feliciter floreant, eorum tamen potissima pars hoc sibi Anglicum nomen retinet.

Flensburgum autem, de quo dictum, positum est item ad sinum Balthici maris. Nam Sliæ amnem, qui Slesvico nomen dedit, alii & rectius, non amnem, sed Balthici potius maris sinum existimant: ut & Flensburgi sinum, *Flenum* dictum, atque eum & arci & urbi nomen dedisse Flensburgi. Sunt qui à Flenone viro nobili, qui eo loco casas quasdam piscatorias & rusticorum tuguriola habuerit tributaria, inditum hoc urbi nomen memoret. Iacobus Meierus, rerum Flandricarum florentissimus scriptor, ad annum 1427 de Henrico Duce Slesvicensi, qui in obsidione Flensburgensi periit, loquens, ait non *Flensburgum*, sed *Vlensburgum* potius scribendum, quod *Vlens* maris æstum, fluctum ac recessum significet. Situm est Flensburgum, *Flenopolim* appellat Chytræus, inter excelsos colles, portum habens tantæ profunditatis, securitatis & commoditatis, ut & appellere eò tuto onustæ naves possint, & singuli fere cives ex suis ædibus naves queant mercibus implere, easdemque, ubi rebus confectis reduces fuerint, exonerare. Locus est peramœnus, aër salubris; fundi, ob montium vicinorum opportunitatem, vivas habent ac salientes aquas; Ager reliquus uberi omnium ad vitam rerum necessariarum copia abundat. Ædes sunt magnificæ, ad unam præcipue plateam seriatim exstructæ, cujus est longitudo pass. 1351: alii 2341 passus ponunt. Arx adjacet in colle suburbano, qui portui & urbi imminet. Sunt & parochiæ aliquot, quarum omnium D. Iohannis est vetustissima: Hic sita est Valdemari II Daniæ regis filia, habens monumento suo inscripta hæc verba: *Sophia Marchionissa de Brandenburch, Filia quondam Regis Valdemarii* II, *hic sepulta est cum prole.* Ejus in historia suo loco ut & fati, quo obiit, uberior fit mentio. Suo ortu nobilitavit Flensburgum præstantissimi nominis cælator, sculptor & pictor, *Melchior Lorichius*, qui Græciam, Italiam, Galliam, Belgiumque peragravit, ut ejus artis peritos excellentesque videret atque imitaretur artifices. Quin & Flensburgo patriæ suæ ornamento existit *Thomas Finckius*, Geometricis artibus & scriptis clarus, inter primarios Academiæ regiæ apud Hafnienses Professor.

Haderslebia septem supra Flensburgum milliaribus, Boream versus, Harudum veterum, quorum in Chersoneso sua Cimbrica meminit Ptolemæus, memoriam renovare videtur. Alii ad *Hotterum* regem, alii ad *Hater*, quod *rixas* & *lites* notat, referunt: verum de his alibi memoratum. Volunt eam à Woldemaro Iutiæ Duce, circa annum Christi 1292, jus & privilegia civitatis impetrasse. Arcem quondam in colle positam habuit, quam *Ioannes* Holsatiæ Comes solo æquavit, & aliam vicissim haud procul oppido in peninsula cœpit exædificare, nomine ipsius *Hansburgum* nuncupatam, addito sacello, quod marmore & auro est exornatum. Hanc deinde arcem jure successionis adeptus Daniæ rex Fredericus II, ad colophonem perduxit. Vrbis viæ omnes elegantes sunt & spatiosæ. Forum amplum. Est & cathedralis ecclesia, in qua Silesiæ Dux Romboldus, à Cæsare Sigismundo eo missus, sepultus jacet, marmoreo monumento. Cum enim, volente Sigismundo Imperatore, in has oras venisset ad componendas lites exortas inter Daniæ regem Ericum Pomeranum & Holsatiæ Comites de Ducatu Slesvicensi, nondum confectis rebus, in legatione morbo correptus obiit. Ei igitur Ericus Pomeranus Daniæ rex monumentum condidit, & se, & ipso, & Imperatore, à quo erat missus, dignum. Sed de hoc & universo litis hujus negotio plenius historiæ. Habet præterea Xenodochium in ipso oppidi ingressu, & Scholam erudiendæ juventuti à Duce Iohanne olim exædificatam, copiosisque dotatam reditibus. Adest & portus navibus recipiendis quamplurimis accommodus ac tutus. Inter eam & Flensburgum, jam ante memoratum, medio propemodum itinere Apenroa est collocata, cujus quoque in ipsa historia sæpenumero occurrit mentio. In occiduo deinde sunt littore Husium & Tonninga, ut & Tundarium majus minusque. Est & Oitinum oppidum. Quorum *Husium* sive *Husemum* ad Heverum maris sinum patet. *Tonninga* ostio propemodum Eidoræ est opposita. Husemum, mari occidentali adjacens, domibus, plateis, longitudine, amplitudine ac ubertate soli Flensburgo & Haderslebiæ propemodum par est. Iura civitatis contulit Dux Holsatiæ *Adolphus*, qui & arce pulcherrima ornavit.

In eodem hoc littore Frisii Minores sunt, Saxoni Grammatico celebrati. Sunt hi Strandii, sive, ut appellant vulgo, *Strandfrisii*, incipientes haud procul Husemo, atque inde in Boream erecti, non minus quam per milliaria 4, angusti littoris oram tenent; cujus spatii medio forum habent elegans & bene cultum, multisque ejus tractus oppidis haud impar, mercatuque celebre, *Brestedam* nuncupatum, atque is terminus soli pinguidioris in ea maris ora. Vlteriora fere arenosa. Vtrimque vero vici duo more

Frisico culti, quorum ad septentrionem extremus *Langehorna*, omnem tandem Frisiam istic finit. Vnde ad Flensburgum, nobilissimum, de quo dictum, meridionalis hujus districtus oppidum, quatuor milliarium iter patet. Eandem regionem his olim verbis Saxo celebravit: Interea Canutus Frisiam minorem, quæ ipsa Danicarum est partium, cum paucis exilii comitibus petit. Dives agri provincia est, pecoribus opulens. Ceterum confinis Oceano patet humilis, ita ut ejus interdum æstibus eluatur. Qui ne irrumpant, vallo littus omne præcingitur: quod si forte perfregerint, inundant campos, vicos & sata demergunt. Neque enim illic locus natura alius alio editior exstat. Plerumque agros ab imo convulsos alio loci trajiciunt, locum eorum occupante lacuna, in quorum consederint præsidiis possidendos. Inundationem comitatur feracitas. Gramine tellus exuberat, torrefacta in salem gleba decoquitur. Hyeme continuo celatur æstu, stagni speciem præbentibus campis; unde & in qua rerum parte locanda fuerit, pæne ambiguum Natura fecit, cum alia anni parte navigationis patiens, alia aratri capax existat. Incolæ ejus natura feroces, corporibus agiles, anxiam & gravem armaturam contemnunt, ancilibus utuntur, missilibus dimicant: Agros scrobibus cingunt, saltus contulis edunt. Penates in editum, subjecto glebarum acervo, provehunt. Hos à Frisionum gente conditos, nominis & linguæ societas testimonio est. Quibus novas quærentibus sedes ea forte tellus obvenit, quam palustrem primum ac humidam longo duravere cultu. Administratio deinde provinciæ sub nostris regibus esse cœpit. Hactenus Saxo; qui deinde, ubi res Canuti in ea parte gestas persequitur, Mildæ fluminis meminit, his nimirum verbis: *Canutus cum forte præsidium ab his implorasset, prompto omnium favore suscipitur, pollicitus se aliquid de consuetæ pensionis onere laxaturum. Avidi promissionis Frisii, intuitu exilis præmij immani se negotio onerant. Ac primum mœnia propter Mildam fluvium, quis eum recipiunt, condunt*; Et statim: *A latere ei Milda fluvius fuit, angustis alveis, sed placide manantibus aquis.* Sed notari debet, Saxonem etiam Eidorenses, qui versus Heverum maris sinum patent, Frisiæ suæ accensuisse. Siquidem Eiderstadia ante annos perplures peninsula fuisse memoratur, amne Milda, perexiguo ab Eidora intervallo versus septentrionem à continente separata, cum hoc tempore continenti prorsus conjuncta sit. Milda enim per fossas plures angustis alveis distincta, æstuariisque versus occidentem ingenti incolarum labore extensis, & limosa terra, quæ interjacebat, reciprocantis maris alluvione aucta, aggeribusque munita, vix nomen suum hodie retinet. Aliud autem ab hoc Milda Meldæ erit flumen, cui *Meldorpium* adjacet, Dithmarsiæ oppidum. Invenioque mœnia, quæ *propter Mildam fluvium condita* Saxo memorat, *Millenburgum* appellata. Et vero Saxonem, cum Dithmarsiæ mentionem nullibi injiciat, minorem hanc Frisiam extendisse latius, est verisimile. Nam & iterum de eâdem verba faciens, in operis præfatione ita loquitur: *Huic etiam* (Iutiæ boreali) *Frisia minor adjacet, quæ a Iutia prominentia subsidentium camporum ac gremii devexioris inclinata recessu, maximos frugum proventus beneficio Oceani inundantis assequitur. Cujus refluxionis vis plus utilitatis, an periculi incolis afferat, ambiguum exstat. Siquidem tempestatis magnitudine perruptis æstuariis, quibus apud eos maritimi fluctus intercipi solent, tanta arvis undarum moles incedere consuevit, ut interdum non solum agrorum culta, verum etiam homines cum penatibus obruat.* In verbis præterea Saxonis antea memoratis illud, inter cetera, nequaquam etiam prætereundum, quod referat terræ glebam, quæ hiberno tempore Oceani aquis tecta jacuerat, postea torrefactam in salem sapidissimum cocturæ atque ignis beneficio ab incolis tum temporis conversam; cum id etiamnum obtineri, & sal ibi Candidissimum atque optimum confici, non sine incolarum uberrimo quæstu commemoretur. Accepi & idem artificium in Schaldiæ quoque insula Belgii Zelandica annis superioribus fuisse usitatum, & eum terræ cespitem bituminosum ac salsuginosum **darrij** populariter ibi nominari. Cum vero idem Saxo doceat indigenas ibidem agros scrobibus cinxisse, imaginem non modo Frisiæ, quæ inter Flevum & Amasum nunc est, sed & Hollandiæ Zelandiæque mores ob oculos nobis poni videmus, & maxime cum eos contis (quos Hollandi utpote perticas longiores **polsen** vocant) scrobes seu fossas transilire, in more positum habuisse adjiciat. Et denique cum addat Saxo, à gente Frisonum conditos hos Frisios, nominis & linguæ societatem testari, quærere sit operæ pretium, quando eorum colonia in eam Oceani oram deducta fuerit. Lego quidem apud Helmoldum, Adolphum II Holsatiæ Comitem, qui eo in bello cujus Saxo superius meminit, Canuto adfuit, oppressis Obotritis, novas in Vagriam colonias ex Frisiis, Hollandis, Westphalis & Trajectensibus collectas jam ante duxisse, sed cum sola tum Vagria istis populis exculta referatur, hanc Frisiorum coloniam longe antiquiorem esse, verisimile est, quod tum præsertim, cum illud adversus regem Suenonem Canutus bellum gereret, auxiliares etiam copias suas eidem Canuto præstare potuerit. Vt omittam non Holsatiæ, sed Danicarum esse partium minorem hanc Frisiam, testante ipsomet Saxone. ut ita non ab Holsato, sed à regibus Daniæ ea colonia permissa Frisiis fuerit. Interim verba, quæ apud Helmoldum sunt libri primi cap. 58, adscribere quid vetat? *Ad hanc vocem surrexit innumera multitudo de variis nationibus, assumptisque familiis cum facultatibus venerunt in terram Wagriensium ad Comitem Adolphum, possessuri terram quam eis pollicitus fuerat.* Et paulo post: *Dargunensem pagum Westfali, Vtinensem Hollandi, Susle Frisii incoluerunt.*

Subjacet porro Slesvicensi diœcesi, utpote exigua intercapedine circa Fleni sinum à continente semota, *Alsæ* insula, *Alosias* Ptolemæi nomine quam proxime referens, modo situs & cetera responderent. In hac, præter cetera, magnifice extructa arx visitur *Synderburgi* vocabulo, ubi annis jam pluribus aulam ac sedem suam habuit Serenissimus princeps ac Dominus Dux *Iohannes*, Regis Frederici II frater germanus. Nunc Iutlandiam borealem videamus.

IVT-

IVTLANDIA SEPTENTRIONALIS.



IVtia, quæ ſequitur, borealis auſtrali multo eſt productior,& ad inhabitandum area ampliſſima , viginti tribus civitatibus inclyta , ſedeſque Epiſcopales quatuor complectens. Quarum principem locum *Ripenſis* ſibi vendicat , ſecundum *Arhuſienſis* , tertium *Burglavienſis* , atque ultimum denique *Viburgenſis*. Burglavienſis præſulatus , vulgo nunc Alburgenſis nuncupatur. Et habet hic tractus circa ipſum Alburgum latitudinem fere maximam. Ibi præterea ſinus ille ingens Lymicus Saxoni Grammatico dictus , *Lymfiord* vulgo , qui è Balthico mari illapſus totam hic Iutiam , occidentem verſus, in latum penetrans , eam pene inſulam reddit, ac vaſto tandem alveo dilatatus,plures in ſe inſulas peninſulaſque inſignes, ut infra patebit, conſtituit. In hoc , ut plurimum , ſinu claſſes olim paratas inſtructaſque , quæ è Dania in Britanniam miſſæ,Saxo non uno loco innuit. Regio eſt cultura hominumque induſtria eum in modum compoſita,inque jugera amœnoſque fundos redacta , ut frugum ac fructuum generatrix celebretur fœcundiſſima. Boum item & equorum piſciumque variis generibus nobilitata. Quorum copia atque ubertate vicina regna , ingraveſcente annonæ caritate , ut plurimum ſublevantur. Feris ubique abundant ſaltus. Quarum cervi primum obtinent locum , tanta ibi copia, ut certo venationis tempore , quod in menſem plerumque Auguſtum incidit , ultra mille ſexcenta cervorum in arces ac regia palatia deportata fuerint , exceptis damis , capreolis , apris, leporibus & id genus aliis. Nam avium captura paſſim obvia eſt , & imprimis perdicum , anatum , anſerumque ferini generis , & autumnalibus præſertim menſibus ſcolopacum , quas Plinius ruſticulas , Martialis ruſticas perdices dixit. Piſcium porro ubertatem ſi recitare hoc loco animus eſſet , & illa ſolum repetere , quæ Saxo ſeculi ſui præco , memorat , eam quondam his in oris piſcium,& halecum præſertim,fuiſſe affluentiam , ut manibus non modo , & abſque naſſis aut piſcatoriis verriculis caperentur , ſed ita ſæpenumero freta ac ſinus omnes eorum repletos frequentiâ , ut impacta ſubinde navigia vix remigii conamen (ſunt ejus verba) eriperet ; fortaſſe excedere fidem narratio poſſet. Itaque à loco alienum non erit referre quid aliquando Europæorum regum Legatis ab imperio convocatis hac parte uſu veniſſe, teſtentur rerum memoriæ. Cum enim cuivis conſtet non omnia uni regioni data , & aliam hac , aliam illa re abundare , vel egere : *Nec omnem ferre omnia terram,* ut ait Poëta ; contentio hinc orta inter Legatos de ſupereminentia ſuorum regum , quis videlicet præſtantior ac opulentior jure haberetur. Alio enim aurum , alio argentum , alio denique frumenti ac vini copiam jactante ; Dano poſtremum loquendi poteſtas facta : Cumque omnes , quò ejus ſententia tenderet , avide expectarent ; ſi , inquit , potentiſſimi ac locupletiſſimi omnium totius Europæ regum gazæ univerſæ , latifundiaque venum exponerentur , cariſſimeque omnia venderentur , eoque repræſentato pretio, ligneæ viciſſim eorum loco parophides viliſſimo coemerentur , omnibus tamen iſtis, licet infinitis futuris , vaſis ſufficere Daniæ regem triplici diverſi generis recenter capto piſce onerandis exornandiſque. Quo dicto , ſuffragiis omnium , qui aderant , Daniæ regis felicitatem pluris , quam omnes ceterorum opes , faciendam demonſtravit. Vnde à Gallo , qui dextrum Imperatoris latus clauſit , haberi proximus obtinuit. Quæ cum ita habeant , illud ſimul fatendum , eam hodie per univerſum, qua patet , regnum , capturæ ac piſcium ubertatem haud eſſe, & halecariam præſertim negotiationem jam alio tranſlatam , ut eſt humanarum rerum quædam ſive viciſſitudo , ſeu Nemeſis occulta, quæ nihil , quod modum excedit , & maxime cum luxus bonorumque, quæ cœlitus obtingunt, abuſus concurrit , eſſe diuturnum permittit. Quod & olim Satyricus animadvertens , in ævi ſui profligatiſſimos mores verſum jecit , qui & hic habere locum poteſt ; meritoque cum eodem dicere nobis liceat :

Atque ita defecit noſtrum mare , dum gula ſævit.

Iam diœceſes ſupra memoratas eò quo à nobis poſitæ ſunt ordine videamus , una cum oppidis, caſtellis , fluminibus , aliiſque eodem ſpectantibus.

Sedes Epiſcopales.

Sinus Lymfiord.

Soli qualitas.

Animalia.

Venatio.

Aucupium.

Piſces.

Legatorum quorundam honeſta concertatio.

Regis Daniæ felicitas.

PARS AVSTRALIOR IVTIÆ SEPTENTRIONALIS, in qua DIŒCESES RIPENSIS et ARHVSIENSIS.

Milliaria Germanica

1 2 3

Septentrio

Meridies

Occidens

Oriens

MARE GERMANICVM


MARE BALTHICVM

FIONIÆ PARS

IVTIÆ SEPTENTRIONALIS
PARS MERIDIONALIS.

DIŒCESIS RIPENSIS.

Ripæ.

Iœceſeos hujus caput *Ripæ* in ipſa Oceani occidentalis ſeu Britannici ripa civitas, Auſtrali Iutiæ proxima: mater plurimorum eruditione præſtantium virorum, præclariſque ingeniis hodie fœcunda. Eam limpidiſſimum flumen **Ripſaa** triplici meatu interſecans, ac paulum ſe infra eandem in oceanum evolvens, urbem quoque ob trifidum illum ſui influxum ac commoditatem trium leonum inſignibus exornavit. Et licet in tres ſectiones, horum rivulorum curſu, fiſſa ſit urbs, totidem tamen pontibus ſublicíis ac molis frumentariis viciſſim connexa denuo coaleſcit. Antiquam hic ſedem fuiſſe Cimbrorum *Phundusiorum*, quos Ptolemæus nominat, haud abnuere ſitus videtur ab eodem Ptolemæo indicatus, ut dictum ſuperius. Taciti interim verba, quod nonnulli urgent, ubi caſtrorum Cimbricæ gentis in libello de Germaniâ meminit, quorum veſtigia in ripâ utraque perhibet manſiſſe, ad haſce Ripas referri haudquaquam poſſe, cum de caſtris Cimbrorum ad Athiſonem, Italiæ flumen, ibi loquatur, jam ante eſt indicatum. quamvis interea etymon nominis peperiſſe maris viciniam, eamque condendæ urbi occaſionem dediſſe, certo habeam. Cui & argumento ſint, cum res olim urbis eſſent florentiſſimæ, vicorum nomina à Flandris, Anglis, Gallis aliiſque nationibus exteris indita, quæ hodieque ab indigenis uſurpantur. Caſtellum habet, ſive acropolim potius appellare regiam libet, munitiſſimum, quà Oceanum ſpectat. Videtque præterfluentem, de quo dixi, Nibſæ rivulum, amnium vicinorum opibus auctum, inſtar mæandri in maris vicini ſe gremium inſinuare. Hoc uno milliari ab urbe ſe aperit portu commodo, exſtantibus undique inſulis, vulgo nautarum notiſſimis, *Mandoa, Phanoa, Roma, Forda, Sulda, Amroma, Helgelanda* cum peninſula *Canglegia*, & promontoriis variis in mare idem latè excurrentibus, in quibus à diverſis nationibus piſcatus exercetur longè uberrimus. Eſt & templum ſatis amplum è ſaxo quadrato, unà cum turri miræ altitudinis, in Lilio monte primum ab Erico, quem S. Anſgarius Chriſtianam pietatem docuit circa annum Chriſti 848, magnificè exſtructum. Referuntur ad ipſam diœceſin, præter urbem Ripenſem, de quâ jam dictum, hæ præterea civitates, *Coldinga, Wellea, Warda, Holſtebroa, Lemviga, Ringcopia.* Arces ac regias domos decem habet; Caſtella verò nobilium circiter centum ſunt. Amnes quoque plurimi ditionem latè irrigant. Quorum qui famam habent, memorantur, præter ceteros, *Schodburgicus*, Auſtralem Iutiam à ſeptentrionali diſterminans, memorabili clade Slavorum maximè illuſtris: Et eidem confluens **Holſtedaa**/ qui alveo uno in oceanum deſcendit. Eſt & *Vardenſis, Carupenſis* ut & **Spiernaa**/ aliique fluvii memoratu digni, qui parvis initiis in oriente concepti, ac poſtea multorum fluminum aquis aucti, in occaſum præcipites vergunt, oceanoque illabuntur. *Vetlenſis, Coldingenſis, Hylchius*, & qui *Trux* dicitur, in mare orientis ſe exonerant. Diſtincta autem eſt diœceſis univerſa in Nomarchias 30. Parœcias rurales 282. Arces regias, 10. Arces nobilium, 100. Vrbes, præter Ripam ipſam, 6.

Arx regia.

Maris portus, cum inſulis.

Vrbes.

Amnes.

Coldinga.

Quarum primum poſt Ripas locum Coldinga obtinet, urbs perquam amœna ac vetuſtate præcipua, utpote quæ Ptolemæi *Cobandos* aut *Chalos*, de quibus eſt indicatum, revocare in memoriam videatur. Situm enim habet, ubi *Chalos* propemodum collocat Ptolemæus, Ripis planè adverſum, quâ nimirum Fioniam atque ortum peninſula reſpicit. Alii qui Latino etymo à colle vicino ita dictum augurantur, quàm rectè ipſi viderint. Eam præ aliis Chriſtianus III ob loci poſitum, aëris clementiam ac ſalubritatem in deliciis habuit. Vnde & arcem Aquilæburgum, vulgo **Arnsburgh** dictam, civitati ſupereminentem de integro ſtudioſè renovavit: Cum initia ejus poſuiſſet antè tria circiter ſecula Ericus VI cognomento **Glipping**. Amnis ad meridiem, oppidi mœnia alluens, Cimbriam ab Holſatiâ limitis inſtar diſtinguit, ſeque per duo oſtia, altero ad meridiem, altero ad ſeptentrionem in mare Balthicum exonerat. Huic pons impoſitus, ex quo totus ruralis tractus, oppido vicinus, nomen habet, & *Broherrit*, ut vulgo appellant, nuncupatur. Idem pons regi Daniæ inſtar fodinæ metallicæ eſt, qua aurum affabre confectum depromitur. Quotquot enim boum & equorum capita præter alias merces ex hac Cimbrica Cherſoneſo in Holſatiam atque Albim, & urbes Hanſeaticas aliaque Germaniæ emporia & mercatus deducuntur, hoc in ponte dalerum imperialem perſolvunt. Vnde vectigal inæſtimabile colligitur. Atque ibidem rebus humanis exemptus, de quo dictum, Chriſtianus III animam Deo reddidit. Quæ ſequitur Wellea, ſive, ut vulgo ſcribunt, Weela, ad ſinum ortivi quoque maris eſt poſita; Oppidum non tam mole aut vaſtitate, quam ædium ac platearum elegantia, ſuccinctaque ſymmetria nobile. Ei natales ſuos debet Andreas Vellejus, vir clariſſimus, ac regius olim Hiſtoriographus, qui, præter alia, Saxonem nobis Grammaticum idiomate patrio loquentem, & Adamum Bremenſem, ſcholiis eruditiſſimis annotatum, primus dedit.

Andreas Vellejus.

dit. *Varda Ringcopiaque* uni eidemque fluente, quod se in mare occiduum exonerat,appositæ,ita tamen,ut ipsi oceano quam proxima sit Ringcopia. Holsterbroa similiter, maximeque Lemviga, Lemovices nomine referens, eidem oræ imminet, haud procul freto, quod se ibi expandit, Lymico dicto, cujus etiam sinui, qui eo fere loci, versus occidentem, est extimus, quam proxime apposita *Lemviga* ipsa, nomen inde accepit. In ipso autem oceano occidentem ac boream versus complures, sed minores insulæ veluti tuberes in mari exstantes, sparsim conspiciuntur, quæ fere omnes Ripensis diœceseos jurisdictioni subsunt. Has inter est *Harboore*, *Harsiliæ* auricula. A qua haud procul *Bovensberga* se attollit, primum Iutlandiæ promontorium, montem ostentans altissimum, importuosum crebrisque naufragiis infamem, cujus jugum primam aëris regionem adæquare videtur. Inde hoc idem littus prætexunt *Numindia*, *Huga*, *Mandia*, *Fandia*, *Rimmæa*, *Lystræa*, *Sildræa*, *Feorea*, aliæque illis minores. Quartum *Listræa*, *Listoe*: *Sildræa*, **Silderoe** dicitur, quatuorque habitatur parœciis. *Feoræa* tres parochias continet. Qui primus diœcesi isti ut episcopus præfuit, Leofdagus memoratur, natione Frisius, ad eam dignitatem evectus ab Adeldago II, Bremensium præsule, annum circiter Christi 950.

Minores Insulæ.

DIOECESIS ARHVSIENSIS.

Arhusii notatio.

Ripensem ditionem excipit proxime *Arhusii* territorium, episcopatu similiter nobilitatum. Qui notationem vocis indagarunt, eam nihil aliud significare crediderunt, quam *domum remorum*, cum **Aar** Danice *remum*, **Hus** *domum* notet. Nos superius, quia hoc circiter loco in Cimbrica sua Chersoneso *Harudes* agnoverit Ptolemæus, cogitandum existimavimus, num aliquid ad illud indagandum vocabulum conferre *Arhusii* possent, quamvis & *Haderslebios* quoque nominavimus, quorum vocabulum, licet primoribus syllabis magis videatur exprimere nomenclationem *Harudum*, in Chersonesi tamen situ, cum videantur Harudibus Ptolemæi nonnihil australiores, Arhusios quoque ad has partes vocare libuit: utpote Haderslebiis multo borealiores. Est autem civitas hæc plane maritima, ortivam peninsulæ partem tenens in ora ipsa Balthici maris, habens sibi ex adverso positam *Samum* insulam, *Samsoam* hodie dictam. Sedes Episcopalis constituta ibi, ut volunt, circa annum Christi 1014. At si Poppo primus Arhusiensium episcopus fuerit, quod innuere annales videntur, & nos suo loco meminimus, integro propemodum seculo antiquior ejus erit institutio. Sed de hoc, alibi accuratius. Positus oppidi, si respicere ad meditullium septentrionalis hujus Iuthiæ libeat, in ipso quodammodo ejus umbilico deprehenditur silvis, feris, pascuisque gaudens ac agris multo lætioribus magisque frugiferis, quam reliquæ ejusdem soli partes. Nomarchias habet 31, Civitates 7. Parœcias rurales 304. Arces 5.

Samsoa insula.

Situs.

Fertilitas.

Quarum inter arces maxime eminet *Scanderburgum*, quasi *Schonderburgum* à pulchritudine & amœnitate dictum. *Gutulo* fluvio quem Gudium vulgò dicimus, adjacet, qui amnem suum longo flexu per amœnissima territoria in oceanum Balthicum deducit, adlambens hinc inde arces præterea regias alias ac monasteria. Inter quæ præcipuum est nobilissimum illud cœnobium **Emecloster** appellatum. Habet & saltus ac venationes suas, amplissimosque, ex præfecturis adjacentibus, reditus. *Gudius* autem, de quo dictum, fluvius celebris est & maximus eo tractu, pisciumque generibus variis confertissimus & admirandus. Inter civitates, *Arhusium*, de quo dictum, primum meretur locum ob situs opportunitatem,ac præsulis, qui ibi sedem habet, prærogativam. Ab eo secundum est Horsnesium, atque inde Randrusium. Quorum hoc borealius est Arhusio, oppidum egregium ad Gudium flumen; illud australius; utrumque vero ad idem peninsulæ ortivum littus vergit, ac Balthicum mare vicinum habet. Est & Ebeltofia haud procul Randrusio, sed littori proxime adsita; Sinus habent singula ejusdem maris patentes, quibus veluti gremio ex Scania, Sælandia, Fionia, urbibusque Vandalicis, ac denique Suecia ac Norvagia appellentia navigia,mercesque peregre advectas commodissime recipiant: Vt & Grimstadium æstuario similiter maris ibidem appositum: Referunt & Hobroam ac Mariagrum ad eandem hanc diœcesim; cum alii aliò, & ad proxime sequentem trahant. Insulæ præterea nonnullæ sunt, quæ eidem huic diœcesi subjacent. Quarum primo nominari meretur, quam dixi modo, *Samsoa*, Samus Danica jure dicenda. Est enim insula piscatu ac venationibus amœnissima, parœcias quinque habens. Habuit & arcem olim *Brattingsburgum* appellatam, & aliam *Vesburgum* nomine: Quarum illam Anno 1288 funditus evertit Marschallus Stigotus, de quo consulenda historia. Fuit hæc olim insula reginæ Dorotheæ, Christiani Tertii conjugi,usufructuariæ possessionis loco, post Randeshemium, concessa. Nec abest longe, sed multo hac minor, ex opposito propemodum Ebeltoftæ Hielmia, facinore ejusdem *Stigoti*, viri sane magnanimi, sed admodum in *Ericum* regem, ob suspicionem, vere an falso de læsa conjugis pudicitia conceptam, severi vindicis. Cum enim, trucidato *Erico*, regno esset extorris, ita hanc insulam communiit, ut ipse cum ceteris parricidis certum ibi refugium haberet. Est quidem exigua ea insula, sed loci natura admodum firma, tum & commoda omnibus, qui è sinu Balthico Norvagiam petunt; nam & portum situs ipse facit, & aquæ præterea dulcis scaturigines habet, ac denique edito ac lato colle è mari exstans, ad vim circumquaque avertendam est opportuna. Dicitur & **Grotehelm**/ id est, *Magna Helmia*, aspectu *Helmiarum minorum*, quæ sunt prope Scaganum promontorium. His minus sunt celebres, sed proxime circumadsitæ *Thuna*, *Melsa*, *Ramsoa*, *Endelavia*, *Hiarnoa* sepultura Hiarni regis, ut tradunt, clara.

Scanderburgum.

Emecloster, cœnobium. Gudias. Gudius, fluvius.

Civitates aliæ.

Insulæ.

Arces.

Hielmia.

Minores Insulæ.


PARS BOREALIOR
IVTIÆ SEPTENTRIONALIS,
in qua DIŒCESES
ALBVRGENSIS
et
VIBVRGENSIS.


MARE GERMANICVM.
SINVS CODANI PARS.
Occidens.
Oriens.



Milliaria Germanica.

20.

IVTIÆ SEPTENTRIONALIS
PARS BOREALIS.

DIOECESIS BVRGLAVIENSIS.

Alburgum.



Rhusio, Corum versus, Alburgum est, diœceseos hujus caput, ab anguillarum copia atque uberi earum captura, ita fortasse nuncupatum. Hæc præcipuarum urbium, quæ borealem peninsulæ tractum tenent, omnium est ultima, ad Lymicum sinum, de quo dictum, loco admodum opportuno collocata, sub poli elevatione, quæ gradus numerat quinquaginta septem, minuta quatuor. In hac sedem suam habet diœceseos episcopus. Dividitur universa regio in Nomarchias 13. Parœcias rurales 180. (Vitfeldio 167.) Civitates 6. Arces nobilium 100.

Divisio.

Nomarchiæ.

Inter *Nomarchias*, seu partes totius ditionis illustriores sunt *Vensilia*, *Hannomarchia*, *Thya*, *Morsingia*, *Kiarherret*, *Huitbya* & *Venneberga*. *Vensilia* Saxoni Grammatico *Vendela* dicitur, Læto *Vendsolia*; Vitfeldius *Vendelboam* appellat. Olim etiam Burglæ vocabulum obtinuit, unde & diœcesis est appellata *Burglaviensis*, seu ut alias scribitur *Borglumiensis*, & vulgo hodie ab ipso Alburgo, *Alburgensis*. Et exstat hodieque haud procul oceano, boream versus, pagus, cui *Borlum* nomen. Quod olim monasterium fuisse à rege *Suenone* Esthritio primo conditum, atque inde episcopi sedes ex actis diœceseos intelligitur. Vendelæ ipsius oppidum *Vensyssel* dictum, amnem interfluentem habet, qui patrio sermone *Ryaa* nominatur, seque in Lymicum sinum exonerat. Estque universi istius tractus idem illud Lymicum fretum versus meridiem limes; versus boream oceanus; ad occidentem & orientem mari similiter affunditur, hic Balthico, ibi Britannico. Longitudo à meridie ad *Schagæ* usque promontorium, nautis metuendum, quatuordecim aut circiter milliarium est. Ab hoc districtu *Vandaliæ* populos, de quibus mox dicetur, originem sui nominis repetere debere, quamvis pauci observaverint, quis magnopere negarit? Habet nomarchias sex, ecclesias parochiales septuaginta, arcem unam, cui *Selstrupia* nomen: oppida, præter *Venlysselam*, memorantur *Sebya*, *Hieringium* & *Schaga*. *Hanmarchia* nomarchia Danice *hanhærret* dicitur, longitudine ab ortu in occasum quinque circiter milliaria Germanica complectens. In latitudine duobus patet. Dividit ab ea Huitbyæ præfecturam *Ryæ* amnis, qui ad Africum defluens in Lymicum sinum evolvitur. Parochiales ecclesias supra viginti comprehendit. In parœcia ejusdem, quæ parva dicitur, Danice *liden Soghen*, rupes *Scarrinaa*, *Skarring klinth*, visendæ altitudinis assurgit. Sunt præterea his in oris syrtes periculosæ, undis opertæ, quas *Sandoras* & *Bragas* indigenæ appellant. In has multi impingunt. Visuntur & hic insulæ nonnullæ, ut sunt *Oelandia* & *Opoholmia*. Hanmarchiæ proxima est *Thya*, ora veluti ac margo continentis, quæ Lymici freti incursum à mari veluti obex sejungit ac dispescit. Hodie qui Germaniam incolunt Theutones **tyscke** Danis dicuntur. Hos à deo *Tuiscone* Tacitus deduxit, ab hoc fortasse *Thyæ* tractu verius deducendos, sunt qui existimant. Fœcunda admodum est ac piscatura præcipue nobilis Thya, cum hinc oceano, illinc sinu, quem dixi, maris alluatur. Incolæ ab ululando appellatam *Thyam* autumant. Narratur enim nunc arboribus nudata, olim silvis densissimis instructa, luporum aliarumque ferarum fuisse latibulum, quamvis verius putem ululatum eum non à feris aut lupis, sed à maris oceani vicino fremitu repetendum. Distincta est in nomarchias quatuor, quibus parœciæ rurales sex & quinquaginta continentur, in earum convallibus imbrium rivi restagnantes, lacus quamplures & stagna piscosa quadraginta quatuor efficiunt. Arcem unicam *Orumnam* habet, & oppidum similiter unicum *Thystadium*, ubi Christianus III scholam juventuti primus aperiri curavit. Est & *Vesterviga*, cœnobium pervetustum, in quo sepulta est, inter ceteros, regia puella, patrio sermone **liden kiersten** dicta, Danicis carminibus ac odis sonoris, ob pulchritudinem ac virtutem decantata. Est & nomarchia, cui *Hillersherret* vocabulum, inter sinum & oceanum veluti limes. Insularum ad hanc præfecturam spectantium in sinu Lymico occurrit loco primo *Hansholmia*, milliare unum longa, interque amnes rapidissimos duos sita, ac tribus parœciis habitata. Inde est *Ostholmia*, insula rotunda, quæ & tribus parœciis colitur. *Iegena* unam ecclesiam habet. Memorantur & *Livolandia*, *Egholmia* ac denique *Bodumna*, quæ non insula sed peninsula est, ac unum cœtum parochialem alit. Sequitur *Morsingia*, insularum in freto Lymico omnium opulentissima ac maxima. Complectitur enim longitudine sua milliaria Germanica quatuor, in latitudinem vero duo, facto ab ortu in occasum progressu. Ad eam quinque locis trajicitur. Nomarchias tres continet, parœcias vero rurales undetriginta. In parte insulæ australi arx antiquitus fuit posita, cui **Lundslot** nomen est. Vnica ei civitas *Nicopia*, vulgo **Nykiobing** dicta, cujus elevatio est ad gradus circiter 56, minuta 50. Est & insula in eadem hac insula **Aggeroa** nominata, stagna sunt duo, ac flumen præterea haud ignobile, quod **Scarmaa** dicitur. Sinus denique ac freta quibus alluitur, multa memorantur. Interque cetera quod **Fegesundt** nuncupant, illustre est ob regem, sive regulus potius Iutlandiæ fuit, *Fengonem* dictum, qui ibi sepultus creditur. Vt autem insula ipsa *Morsa* dicitur, ita populi seu incolæ

Ryaa amnis. *Syrtes.* *Thya.* *Nicopia.*

colæ ejus Morſingi, Marſos ac Marſingos illos exterarum nobis gentium veluti in memoriam reducentes. Morſingiæ vicina eſt *Tyrholmia* à *Thyra* ni fallor, *Gormonis* Anglici conjuge, Hedelradi Anglorum regis filia, ſic appellata. Cujus ſingulares dotes, ut & pietatem Chriſtianam celebrat hiſtoria. Intra hanc & continentem, meridiem verſus eſt *Othezuntæ* fretum, ab *Othone* Imperatore, & ejus hucuſque acceſſu, de quo antea dictum, ſic nuncupatum: Eſt & *Otby* pagus, ſed in inſula ipſa, ab eodem Othone, inque memoriam famigerabilis expeditionis ejus has in partes ſic dictus. Epiſcopatus inſtitutus eſt à conditu ſtatim ipſius monaſterii Borglumenſis, quod ut memoratum, fundari primus curaverat *Sueno Eſthricius*. Qui & anno 1065 adminiſtrandæ diœceſi *Magnum* præfecit. Sed is, haud multo poſt ab archiepiſcopo Bremenſi Bremæ cum eſſet inauguratus, ac domum redire pararet, ſubmergitur Albi flumine. Sicque ſurrogatus ei *Albericus*, atque ipſi viciſſim alii aliique longa ſerie: Adeo ut manſerit hoc pacto Borglumenſe cœnobium epiſcopi ſedes ad annum uſque 1536. quo tempore *Stigotus* pontificiæ religionis præſul ultimus renunciare epiſcopatui, & ad vitam poſſidere monaſterium Borglumenſe juberetur: Inde, qui ei eſt ſuffectus mutatæ religionis epiſcopus, *Petrus Thomæ*, aliique poſt illum, inhabitare Albugum cœperunt: Reliquæ nomarchiæ, ut *Kiarherret*, *Huitbya* & *Venneberga*, & ſi quæ præterea aliæ, prioribus & jam dictis celebritate cedunt.

DIŒCESIS VIBVRGENSIS.

SEquitur diœceſis Viburgenſis. Cujus longitudo ab ortu in occidentem duodecim milliaria Germanica patet, collocata cis Lymicum ſinum, inque nomarchias ſedecim diſtincta. Quæ eccleſias continent parochiales ducentas octodecim; arces tres ac totidem civitates. Quarum *Viburgum* principem locum obtinet; ubi & ſedes epiſcopi, ac clarum Canonicorum collegium, tum & victus ratio perfacilis. Ibidem præterea generalis concio triumvirûm nobiliſſimorum, inque jure dicundo exercitatiſſimorum ſuper cauſſis civilibus cognoſcendis ac dijudicandis toto fere anni ſpatio continuatur. Eoque univerſæ Cimbricæ Cherſoneſi de finibus, deque hæreditatibus querelæ, omneſque capitalium cauſarum animadverſiones, cujuſmodi ſunt cædes, adulteria, furta ſimiliaque crimina deferuntur. Suntque dictatores hujus concionis, ut & alii in aliis regni provinciis à rege conſtituti, Areopagitis Athenarum propemodum pares, aut ſaltem cum illis conferendi, cum ſuperiorem ſe agnoſcant neminem, eorumque ſententia ſit immutabilis; niſi ſi forte ad regem ipſum ac regni comitia anniverſaria provocare quis cupiat. Reliquæ hujus diœceſeos civitates ſunt, *Niba* & *Scheva*: Freta memoratu digna nominantur *Sallingicum* Sallingſundt: *Virkenum* Vircckeſundt / *Hualpenum*, Hualpſunt / *Seberum* Seberſundt; & fretum Imp. *Othonis* Otheſundt / haud procul Lemvico in hiſtoria celebratum, ſupraque nobis jam ſemel iterumque memoratum. Amnes maxime illuſtres decem fundit, quorum facile eſt maximus ac celeberrimus amnis *Gudius*, ſive *Gutalus*, Gudden Aa vulgo, itemque *Guddenus* alias dictus. Inter reliquas hujus diœceſis latiſſime patentis partes *Sallingia* peninſula fertiliſſima eſt, Lymico freto circumdata, diœceſi Vendelboenſi ad ortum objecta. Superius meminimus hanc præcipue provinciolam aliquam nobis veterum *Sabalingorum*, quos in Cimbrica hac Cherſoneſo conſtituit Ptolemæus, refricare memoriam; tantum quod auſtraliores eos faciat, quam eſt hodie, de qua loquimur, *Sallingia*. Dividitur in Nomarchias quatuor, quæ parœcias rurales complectuntur triginta. Eſt præter cetera, equorum generoſiſſimorum feraciſſima, quos præcipuè exteri avide expetunt, ac magno pretio coëmptos longo agmine aliò abducunt, venaleſque exponunt. Wiburgenſis præterea capituli juriſdictionem agnoſcit *Leſſoa* inſula, inter Norvegiam & promontorium Schagæ poſita. Hæc quibuſdam Gleſſaria inſula, cujus in littore Iutiæ adverſo reperiri ſuccinum volunt, de quo alibi dicetur. Spectat & huc quæ eſt inter Thyam, de qua relatum, & Salingiam, Inſula Faſſuerlandt / à *pulchritudine* ſic dicta, utpote ſilvis ſuperba & anguillarum copioſâ piſcaturâ celebris. Epiſcopatus hic eundem, quem Borglumenſis, agnoſcit fundatorem *Suenonem* Eſthricium, regem Danorum longè celeberrimum, multâque doctrinâ ac uſu rerum inclytum, ut eum non ſemel dilaudat Adamus Bremenſis, ejus ſynchronus ac perfamiliaris. Ab ipſo, qui primus omnium gubernandæ diœceſi eſt ordinatus, *Heribertus* fuit, idque anno etiam eodem quo Borglumenſi ditioni præfectus eſt Magnus. Adeò ut videri ambiguum queat, utra antiquior habenda. Nobiliſſimus interim Vitfeldius in eâ, quam idiomate vernaculo evulgavit, epiſcopatuum totius Daniæ recenſione, hanc Borglumenſi præponit.

INSVLÆ DANIÆ MINORES
à promontorio Schagæ ſecundum Orientale Iutiæ latus Fimbriam uſque.



DE inſulis Codani ſinus, & quid de iis tradiderint authores antiquiſſimi, & quatenus hoc mare illis fuerit cognitum, vide in veteri Geographia. Hoc loco quo modo in totum ſe hodie univerſus hic ſinus habeat, paucis aperiemus. Et primo quidem tractus ejus, qui eſt intra Cherſoneſi Cimbricæ promontorium *Schagam* & *Norvegiam* Hallandiamque, præcipuas exhibet *Leſſoam* & *Anholtam* inſulas, præter *Helmias* tres minores, *Nidingumque* & *Haſelinam*. Quarum *Anholta* tribus eccleſiis inſignis,

gnis, ob cœca & sub undis latitantia vada, ut & *Lessoa Nidingumque* naucleris præcipue vitanda. Quamvis *Lessoa*, sive *Lessö* ut Saxo vocat, non ut *Nidingum*, quod tuberis, aut scopuli verius quam insulæ nomen gerat, ecclesias contineat haud pauciores quam *Anholta*; quarum una turrita, velut pharus à prænavigantibus ad exeunda pericula sedulo solet observari. esse qui Plinii *Glessariam* existimarint, alibi memoratum. Habere quoque eandem sibi admodum propinquum insulæ instar haud magnum tumulum, *Rommæ* nomine, tabulæ indicant. Ab ea *Anholtium* plus minus milliaribus sex, à Nidingo circiter octo est dissitum. *Helmiæ* autem *minores* contiguæ sibi invicem sunt, in modum, ut *Alocias* suas tres haud longe hinc descripsit Ptolemæus, nisi quod *Helmiæ* ad orientale promontorii Cimbrici latus, austrum versus, sint positæ, *Alociæ* autem Ptolemæi ad latus occiduum. Quo situ cum nullæ sint insulæ, has intelligi voluisse, aut hoc circiter situ collocatas, verosimile est. *Lessoæ* incolas capitulo Wiburgensi parere superius est indicatum. Quam vero hæ insulæ navigantibus noxiæ ac formidabiles sint, indicat proverbium vulgo inter eos jactatum

Lassoe / Niding und Anholt /
Maecken dat menich stuerman niet wert oldt.

id est

Lessoa, Nidung atque Anholtium insulæ
Sunt causa multus ne senescat navita.

Hinc ad sinum Lymicum, vulgo *Limfiord*, de quo suo loco superius dictum, ultraque descendendo perplures in eo maris sinu, qui Balthicus est proprie appellatus, sparguntur insulæ minusculæ; cujusmodi sunt *Helmia*, *Tuna*, *Kitholmia*, *Iordholmia*, *Alroa*, *Gernoa*, *Vorsia*, *Samsoa*, *Arroa*, *Sundervida*, *Aria*, *Alsa* & *Fimbria*. Ex quibus *Helmia* & *Samsoa* superius nobis, ubi de Arhusiensi diœcesi, fuerunt memoratæ. *Tunna* ab Arhusia Iutiæ abest milliaribus circiter tribus, vix in longitudinem milliare complexa. Parochiam unam habet. Inter eam & *Samsoam* ordinarius est nautarum cursus in Norvegiam tendentium. Habetque *Kitholmiam* & *Iordholmiam* sibi quam proxime adsitas. Nec longe inde, in ipsis faucibus sinus Horsensis, tres aliæ sunt, *Arroa*, *Gernoa*, *Worsia*. Est & *Endola* milliare longa, medium lata. Vnam parochialem ecclesiam habet, silvis ac lucis opaca. *Aroa* in aditu Slesvicensis Ducatus sita, ubi in Fioniam per Assensem sive Ottensem sinum ad oppidum Fioniæ Asnesum, *Assens* vulgo, trajicitur. Quatuor hæc distincta est pagis. *Sundervida* & *Aria* Alseno vicinæ sunt: quarum hæc sesqui circiter ab Alsa milliare distat, silvis amœnè vestita, ac proinde oportunos gratosque venationibus recessus præbens. Tres habet parœcias, & aliquot nobilium prædia, cum arce & oppido haud ignobili *Copingia*: Illa duas exhibet parochiales ecclesias, adjunctam habens Ducalem arcem *Sandpergam* nomine. Ipsa autem *Alsa* magnitudinis mediocris est insula. Quatuor enim in longum milliaria, duo in latum complexa, nec magno intervallo à Ducatu Slesvicensi separata, ac sinum Flensburgum, (*die Flensburger wick*) respiciens, ab Anglis populis (de quibus, utpote nobilissimæ gentis Anglicanæ conditoribus, jam ante dictum) eorum sinu disterminatur. Castrum in ea, seu sedes Ducis Iohannis Holsati *Sunderburgum*, & oppidum ejusdem nominis, de quo & supra nonnihil, ubi de Slesvicensi Ducatu, dictum memini. Sunt & alia ibidem municipia ut *Nordburchum*, *Osterholtum*, *Holla* & *Gamelgarda*. Parochias habet populosas admodum, numero tredecim. Vnde aliquot armatorum millia, re id flagitante, educi ex ea quam promptissime possunt. Est præterea lucis ac nemoribus saltuosa, atque ideo cervorum variique generis ferarum venationibus quam amœnissime patet. Habet & pascua uberrima agrumque siligini ferendo haud inidoneum. Nobilissimus olim Rantzovius insulares hosce *Elisios*, &, qui in *Aria* vicina *Arios*; & *Manimos*, qui in *Mona*, de qua mox, nuncupandos injecit, respiciens scilicet ad *Elisios* Tacito in Germania memoratos, quibus & *Arios Manimosque* conjungit: quasi ab *Alsen*, *Ar* & *Mone* sic dictos. Nec abs re Rantzovius, si nimirum dedisse hos originem eis dicamus, utpote Theutonis populis. Theutoni enim ut ex Mela indicatum, Codanoniam, id est, insulam Zelandiæ eique conterminas habitarunt. Nam alias hi populi Taciti seculo in intima fuere Germania, ad Lygios eorumque societatem spectantes. Ita enim de iis Tacitus loquitur loco jam dicto: *Dirimit scinditque [illegible]viam continuum montium jugum, ultra quod plurimæ ge[illegible] agunt. Ex quibus latissime patet Ligiorum nomen, in plures civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiat, Arios, Helveconas, Manimos, Elysios, Naharvalos.* Et statim ibidem: *Ceterum Arii super vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces, nigra scuta, tincta corpora, atras ad prælia noctes legunt. Ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum. Trans Ligios Gothones regnantur, inde ab Oceano Rugii* &c.

Fimbria, vulgò Femeren.

Fimbriam, Cimbrici nominis vestigium, unica tantum litera immutata, referre quibusdam placet. Vnde & *Cimbria* parva iisdem dicitur. At si nomen, quo censetur, vernaculum, inspiciamus propius, vix quidquam ejusmodi apparebit. Est autem id *Femeren*, nihil cum *Cimbria* aut *Cimbris* commune aut consonum habens. Sita vero ex opposito Wagriæ, à continente brevi trajectu separata, piscatu & grata fertilitate famosa est, cum vix ulla sit in tota insula terræ gleba, quæ non siliginem, & maxime quidem triticum, copiose producat; & ejusmodi quidem quod in in oras exteras ob grani præstantiam, ut plurimum avehitur. Quatuor est distincta parochiis, nimirum *Landskircken*, *Burgh*, *Petershoff* & *Badendorff*. Quin & eleganti decoratur municipio, quod *Burgum* appellant. Et brevi inde spacio arx est, olim celebris, inque historiis non semel memorata, *Glabecensis*: cujus nunc rudera tantum supersunt.

FIONIA.

Nomen.



IONIA, vulgo *Fuynen*, tam formæ quam situs amœnitate conspicua est. Vnde & vernacule loquentibus id nominis *pulchrum* notat. Adamus Bremensis, ad Teutonismum propius accedens, *Fini* dixit, quasi **Feyn**: & alii fortasse *Finningia*. Situm quod attinet, primum hæc à Zelandia inter ceteras in sinu Codano Insulas locum tenens, ita à continente Daniæ discreta est, interfluente Freto *Middelfarsunt*, vulgo dicto, ut cohæsisse videatur. Hæc sicut ab occasu Iutiam, ita ab ortu Zelandiam prospectat, ac medium Daniæ locum obtinet, ab extimæ remotionis limite pari spatiorum intercapedine disparata. Habet in longitudine milliaria duodecim, & in latitudine quatuor. Terra est uberi gleba dives. ideoque colono admodum grata: frumentorum enim copioso proventu ita abundat, ut ad remotissimas regiones ea quotannis transmittat, præsertim siliginem & hordeum: ac quamvis ager multis dotibus & cerealibus bonis sit fœcundus, nunquam tamen stercoratur: quare passim circa civitates intolerabilis fœtor ob ejectos pecorum fimos, nulli usui commodos, oboritur; non parum suavem aëris temperiem inficiens; siquidem regio hæc tot boum armentis abundat, tot fœcunda vaccarum atque equorum mater ac nutrix est, ut annuatim numerosa boum & equorum præstantium agmina Germaniæ suppeditet. Qui littus adhabitant, præter agriculturam piscationibus etiam incumbunt. Nec desunt, ob plurimas, quibus passim inumbratur insula, silvas, cervorum, capreolorum, leporum ac vulpium venationes. Hanc à Iuthiæ continente maris Balthici incursus occiduus, angusto quasi porthmo, sed vehementi impetu ac violento fragore, præsertim prope Middelfurtum, sejungit. In ejus propemodum meditullio metropolis est *Ottonia* vulgo *Ottensche*, urbs episcopalis; Adamo Bremensi est *Odanse civitas magna*. De cujus conditore variant sententiæ, cum alii ab *Othino*, alii ab *Othone* ejus nominis imperatore primo deducendam velint. Qui *Othinum* urgent, Saxonem Grammaticum authorem proferunt, qui Othinum, ut numen quoddam cultum Danis memorat lib. 1. & 5. *Othonem* conditorem qui asserunt, nomen præcipue esse indicio affirmant. Cui & illud accedit, quod Othonis Tertii, qui primi Othonis nepos fuit, literæ habeantur, quarum meminit historia sub annum 987: In quibus diserte urbem *Othonesvigensem* nominat. quamvis, si quid hujus sit, non tam Othonem primum, qui insulam, quod quidem constat, haud unquam intravit, quam Haraldum Gormonis, qui ab eodem *Othone* I ad sacra Christiana est invitatus, conditorem loci habendum, verius existimetur: quod is nimirum Imperatori jam dicto, à quo & filius baptismate susceptus *Suenotto* fuit dictus, hanc præterea rependere gratiam, & urbem à se statutam, in memoriam Imperatoris tam benefici, nomine quoque ejusdem insignire voluerit. Hoc oppidum, insulæ universæ emporium est celeberrimum. In quo circa festum Epiphaniæ omnium propemodum indigenarum, & præsertim nobilium, cujusmodi in Holsatia Chiloni haberi conventus solet. Templis ornatur duobus elegantis structuræ: Quorum alterum Canuto, alterum Francisco sacrum est. Circa illud, forum patet insigni amplitudine, in quo Daniæ rex inclytus Fredericus Secundus cum Holsatiæ & Slesvici Ducibus antiquum fœdus anno Christi 1575 renovavit, ut inde refertur. Cumque, ut dictum, in insulæ meditullio situm sit, circa idem veluti centrum suum civitates reliquæ numero septem æquali propemodum distantia ita sunt positæ in maris circumflui littore, ut portuum situsque opportunitate, negotiationes suas non solum in mari Balthico, verum etiam per Sueciam, Norvegiam, Russiam, Belgium atque Germaniam late exercere queant. Nomina earum sunt, *Neoburgum*, *Suineburgum*, *Foburgum*, *Ascens*, *Boens*, *Middelfurtum* & *Kertemunda*. Quarum *Neoburgum* ædificari cœptum à Canuto Prebeslai filio Lalandiæ Duce, anno Christi 1175. Hodie circa hoc oppidi regis prætoria navis stationem, ut plurimum, habet, cujus inter cetera, est operam dare ut navigia minora nec per Oresundæ fretum, de quo mox, commeantia, & quibus minus periculi est ab insulis ac locis vadosis, quæque ex Holsatia, Lubeca aliisque vicinis regionibus solvunt, & subinde quoque mercimoniorum suorum gratia ad urbes hujus *Balthici* sinus aliunde appellant, ut inquam vectigal regi debitum Neoburgi pendant. Fuit alias hæc civitas vetus regum & Danici Parlamenti sedes. Ex ea in Selandiam communis trajectus est. *Kiertemunda* egregia est, & portu oportuna civitas. *Boens* aliàs & Latinius Bounsonia dicetur, sicuti *Asnesum*, quod vulgo *Assens* audit. Regias arces habet quatuor, *Neuburgum*, *Hagenschovam*, *Hinsgagelam*, *Escheburgum*, & prædium regium *Rugardiæ*. Pagi complures, quorum qui templa ostentant, numerantur ducenti sexaginta quatuor. Sunt & prædia arcesque nobilium haud paucæ: Monasteria sex. Stagnis insuper piscosis, aquisque perennibus passim irrigatur.

Situs. *Soli qualitas.* *Ottonia.* *Civitates aliæ.* *Arces regiæ.*

Ad Episcopatum præterea Fionensem spectant insulæ minores perplurimæ, habitabiles pleræque. Quarum illustriores & quidem contra Vandalicas civitates projectæ sunt, *Langelandia*, *Lalandia*, *Falstria*, *Alsa*, *Arrea*, *Tassinga*, *Strina*, *Turoa*, *Egholmia*, *Vresenia*, *Orrea*, *Bogoa*, *Basthol-mia*. Ex quibus *Alsa* aliæque nonnullæ superius memoratæ.

Insulæ minores.

Sunt & loca nonnulla apud Fionios præliis superiorum temporum nobilitata. Quorum, inter cetera, mentionem facit historia Tauri montis, qui *Ochsenberg* vulgo dicitur, haud procul arce

Loca memorabilia.


FIONIA
vulgo
FVNEN
Milliaria Germanica communia
I
II
III
IV
V
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
MARE
BALTICVM
ALSEN.
Arr.
LANGE
LAND.
Ottonia
Odensee
Nyborg

21

Hagenſchovenſi. Vbi Chriſtianus III anno Domini 1536 celebrem de hoſtibus victoriam reportavit, fuſis atque interemptis Comitibus duobus, Hoienſi & Tekelenburgenſi, itemque Archiepiſcopo Vpſalenſi Guſtavo Trollio; Chriſtophoro vero Principe Oldenburgico caſtris in totum exuto. Quin & Ottoniæ magnificus peractus eſt triumphus, dum ibi publico in foro, qui fuit annus 1580, tres principes Holſatiæ ac Slesvicenſium Duces honorem, ob Fimbriam feudo donatam, Ducatumque Slesvicenſem libero allodio traditum, regibus ſuperioris ſeculi debitum, nec tamen omnibus ſolenni ritu exhibitum, ſed à regis Chriſtophori Bavari temporibus, ejus nominis ultimi, annis circiter centum quadraginta neglectum, opportune conſultoque demum Frederico II concordes deferunt, facto promiſſo, ut regem Danorum injuriarum vindicem agnoſcerent, ipſum in hoſtibus propulſandis, bellove impetendis conſulerent: juſſi, adverſus rebellantes ſuppetias eidem mitterent, & denique hoſtis quicunque Dano declaratus ſit, idem Holſato inimicus haberetur; & vice verſa, ut latius memorabit hiſtoria.

LANGELANDIA.

L*Angelandia* à longitudine ſic dicta, cum ſeptem milliaria Germanica longa, duo tantum lata ſit. hæc parœciis ruſticis 16 ornatur. Regiam arcem *Tranekeram* habet, probe munitam. Sunt & prædia nobilium perplura. Oppidi vice eſſe *Rutcopia* poteſt. Quem Plinius *Lagnum ſinum Cimbris conterminum* dixit, haud alibi quam hoc circiter freto ſtatuendum, ſupra injecimus.

Tranekera.

Rutcopia.



LALANDIA.

Nomen.



Alandia ab humili & profundo suo situ sic appellata, octo milliaribus longa, quinque lata censetur. Separatur à Selandia, de qua statim, freto Gronesunda, à Falstria exiguo admodum trajectu. Frumentorum perquam est ferax. In qua, præter vicos & parochias perplures, quatuor sunt oppida, *Naschovia*, *Saxcopia*, *Neostadium* & *Lavinscopia*. Est & Monasterium *Mariboeæ*, in historia memoratum: præter arces ac prædia Nobilium, quæ habet permulta, olim Ducatus titulo fuit censita. Hanc patriam suam agnoscit eximius ille passimque celebratus Theologus Nicolaus Hemmingius, natus in vico *Embolds* dicto. Qui postquam initio felici ac laboriosa opera in Academia Haffniensi artium & linguarum studia magno juventutis commodo excoluisset: Theologiæ professioni adhibitus, eam lucem scriptis propheticis & Apostolicis methodi brevitate ac perspicuitate attulit, ut non domi solum, sed cunctis Europæ doctis admirationi fuerit. Tandem senex ac decrepitus, utpote annorum 87 Roschildiæ, ubi jam annos aliquot, grato otio donatus, conquieverat, satur vitæ spiritum Deo Servatori reddidit.

Soli qualitas. *Oppida.* *Nicolaus Hemmingius.*

FALSTRIA.

Arces.



Alstria milliaria quatuor longa, multas parochias, oppida duo, regiasque arces *Nikopiam* & *Stubbecopiam* complectitur. In usum fructum concessa paruit olim Reginæ matri Sophiæ. Plurimum frumenti annuo proventu vicinis exterisque locis suppeditat. Ex hac insula frequens in Germaniam trajectus est, juxta regis prædium pagumque, cui nomen est *Gessora*, Gessoriaci nobis, quod in maritima Galliæ ora ex adverso Britanniæ Suetonius & Ptolemæus collocant, momenclaturam referens. Distat autem à littore Gessoræ septem milliaribus Germanicis, quæ est è regione Varnemunda, pagus infra Rostochium ita dictus, quod circa eum se Varnus amnis Balthico mari affundat.

Soli qualitas. *Gessora.* *Varnemunda.*

MONA.

Nomen.



Ona insula, & in ea oppidum *Stega*, hoc habet memorabile, quod parilis plane nominis insula inter Britanniam & Hiberniam sita, Cæsari, Plinio ac Ptolemæo describatur. Meminit & Tacitus *Monæ* circa Britanniam; quæ tamen à priori illa sit alia, utpote continenti Britanniæ proxima, cum ex ea, in insulam Britanniæ nando per vada transmissum Tacitus memoret. Sed & illam *Manniam* verius quam *Monam* esse, *Monoedam* Ptolomæo dictam, quasi *Monumeitham*, id est, *Monam remotiorem*, ad alterius *Monæ* differentiam, ostendit jam ante nos vir clarissimus Cambdenus. Nostra hæc seu *Danica Mona*, cum illa Britannica, præter nomen, commune habet, quod illa interstitio exiguo ab ipsa Britannia separetur, ut & hæc à Selandia, ex adverso præsertim oppiduli *Prestoæ*: illa clivosa, ita & hæc altissimos habet montes, & maxime promontorium unum eminentissimum, quod **Woensclinte** vulgo dicitur, Germaniæ objectum. Tacitus suo ævo illam Britanniæ *Monam* incolis *validam* agnovit, & nunc etiam vicos in ea multos, & unum alterumque municipium agnoscit Cambdenus: Nec aliter hæc Danica. Nam præter pagos & parochias, quas habet hodie plurimas, oppidum in ea *Stegæ*, ut dictum, & Regia insuper *Elmelunda*. Supra ostendimus, ubi de Falstriæ egimus *Gessoriaco*, quod in Galliæ boreali littore agnoverunt olim veteres, paris esse appellationis navale sive Trajectum in Falstria, *Gessoram* vulgo nominatam, ab insula hac Mona haud longe dissitam, ut de Mona hoc loco, nominis similiter vicinitatem mirari haudquaquam habeamus.

Woensclinte.

LALANDIA, FALSTRIA, et MONA, INSVLÆ IN MARI BALTHICO.

Septentrio.

Meridies.

Occidens.

Oriens.

ZEELANDIÆ PARS.

BALTHICI MARIS PARS.

LALANDIA

FALSTRIA

MON

NØRRE HERRET.

SYNDER HERRET.

MVSSE HERRET.

FVELSE HERRET.

GVLDBORG HERRET.

GETZØR.

Wordingborg

Præstø

Stubkoping

Nykoping

Naxkow

Maribo

Saxkøping

Nysted

Rodby


Gröne Sund

Guldborg Sund

Bytte insul.

Milliaria Germanica.

Joannes Blaeu Excudit.



SELANDIA.



Elandia insula, Fioniæ, orientem versus, proxime objecta. Hæc inter ceteras hujus regni insulas omnium habetur amœnissima maximaque, utpote quæ longitudine censeatur milliarium Germanicorum octodecim, latitudine duodecim. Eam *Teutonorum Codanoniam*, Melæ indicatam, videri, superius commonuimus. Habet civitates hodie tredecim maxime celebres, *Haffniam*, *Helsingoram*, *Roschildiam*, *Ringstadium*, *Coagiam*, *Nestvedam*, *Callumburgum*, *Slangendorpium*, *Prestoam*, *Slaglosam*, *Corsoram*, *Scielsoram*, *Holbekam*. Quibus & addi potest, quod in insula ei contigua Mona est *Stegæ* oppidum, & *Nicopia* in territorio Draecksholmensi; itemque *Sueburgum*, nominatissimum olim in lacu Zelandiæ, nunc dirutum funditus. De cujus conditu versus celebrantur, qui antepagmentis portæ circa arcis ingressum inscripti olim fuerint, isti scilicet:

Vixit Aristoteles, & Alexander dominatur
Dum per gentiles castrum Soborg fabricatur.

Seburgum. Fuerunt, qui hocce *Seburgum* in Lethrica palude constructum, Eschilli archiepiscopi castellum, atque opus fuisse, cujus Saxo meminit, sibi sed perperam persuasum habuerint, de quo dictum superius. In rebus quoque Valdemari Vltimi injecimus conjugem ejus reginam *Hedevigam*, matrem *Margaretæ* reginæ, in cœmiterio Seburgensi simplicissimo apparatu sepultam; ejusque super tumulo lignum quadratum haud multis adhuc ante annis conspectum in modum saxi sepulchralis, cui reginæ effigies, capite coronam gestantis, cum stola ad pedes demissa, erat incisa. Obierat enim ipsa Seburgi, postquam ibi annis aliquot custodiæ fuisset demandata, uti est ad annos 1353 & 1375 à nobis relatum. Ex versu autem ipso non tam oppidum quam arcem fuisse, in morem castri communitam, satis intelligitur. *Lethra.* Interim, occasione ejus quod de Lethræ palude injectum, non omitti debet, fuisse in Selandia illud, quod toties tantoque celebrat Saxo, Lethræ municipium. Nam & *Christophori* adhuc Primi Danorum regis seculo, prælium prope Lethræ pontem ipso rege duce esse commissum ad annum Christi 1256, à quibusdam est commemoratum. Sed de civitatibus statim dicetur, ut & de arcibus regiis, quæ, ut plurimum, civitatibus sunt adsitæ, exceptis perpaucis, & illa præsertim omnium magnificentissima, quam rex Fredericus II villa diruta, loco perquam amœno, singulari apparatu condidit, eamque de suo nomine Frederichsburgum nuncupavit.

Parœcias habet insula perplures, in quibus trecentæ quadraginta septem numerantur, templis egregie constructis adornatæ, præter eas, quæ in proxima sunt Mona insula. Rura ei sunt agrique fertilissimi absque stercoratione segetem omnis generis uberrime proferentes. Adamo Bremensi *tam fortitudine virorum*, *quam opulentia frugum celeberrima* memoratur; patria est celebratissimi historiographi, & cum antiquis haud immerito, sive ob eloquentiam, sive reconditam doctrinam, comparandi *Saxonis Grammatici.* Qui & eo magis admirabilis superiori seculo habitus eruditis viris fuit, & præsertim maximo illi Erasmo Roterodamo, ingeniorum æstimatori haud otioso, quod ævo barbarie obsitissimo, cum annus numeraretur Christi millesimus ducentesimus circiter, florens, ea eruditionis atque eloquii vi polluerit. *Etymon* Selandiæ venari nonnullos ex eo video, quod in mari posita, aquis undique sit cincta. *Selandiæ etymon.* At alii aliò respicientes, nec eam ut videtur rationem satis sufficientem judicantes, quod ita omnes insulæ dicerentur Selandiæ, maluerunt, à serendo hoc appellatam nomine; quodque creditam sibi sementem amplissime & absque, ut dictum, stercoratione refundat. Nam & *sejen* & *sajen serere* & *Saed segetes* indigenis notat. Vnde & Saxo Grammaticus, de quo est memoratum, *Sialandum* se, non *Selandum* scribit, ut vitaret fortasse, quam indicavimus vocis ab æquore & aquis deductæ ambiguitatem. Memorabile est, nec omittendum hoc loco ob memoriam ac decus Selandici nominis, quod habet de Zelandia, quæ Belgii est provincia, Zelandicum Chronicon cap. 7; hos nimirum Daniæ Zelandos illius esse conditores. Rollonem vero, Danorum ducem, Valachriam aliquandiu eique vicinas insulas tenuisse, priusquam in Gallias transmitteret, ostendit suo loco historia. Et idioma quoque Zelandorum multas hodieque retinere ex Danorum idiotismo ac dialecto voces, alibi monstrabitur.

Ex Vrbibus porro, quas enumeravimus, est omnium in mediterraneis præcipua, & olim, si Adamo Bremensi credimus, *maxima Roschildia*, *Roschildia.* à *Roe* rege, ut volunt, & *Kille*, id est, *fonte*, qui ibi è loco nonnihil editiore scaturiens suo decursu rotas molendinorum septem propellit, sic denominata. Alluit eandem sinus quoque maris ingens ac piscosus *Isora* vulgo *Isefiort* dictus. Fuit olim non modo regni universi metropolis, vel, ut habet Adamus idem Bremensis, *sedes regia Danorum*; sed diœceseos etiam totius Zelandiæ caput: Quam diœcesin primus instituit Sueno, Suenotho dictus, Haraldi filius, Daniæ, Norvegiæ Angliæque Rex, ordinato antistite *Gerebrando* sub ann. Christi 1012. Muro deinde cinxisse Sueonem Grathedensem, additis fossa & propugnaculis, reperio apud Chronologos seculo circiter integro post: Et antea Haraldum, Suenothonis parentem, sacellum ibi sumptuosissimum exædificasse, atque eo conditum ipsum, ut & filium Suenothonem, cujus funus ex Anglia delatum eodem. Et hodie quoque regum mausoleis illustrem esse locum, Christiani III & Fre-


ZEELANDIA
INSULA
Danicarum Maxima.
Septentrio.
Meridies.
Occidens.
Oriens.
SINUS CODANUS.
SKANIÆ
PARS.
SUND.
FIONIÆ
PARS.
SAMSÖ
DE
BELT.
LANGE LAND.
Milliaria Germanica.
HAALBO HER.
FREDRICHBURGS BIRCK
ODTZE HER.
Selands Odde
HORNS HER.
Iorlunds Herr.
SMORUMS HERRIT.
SOCKELUNDS HER.
SOM HER.
Kiøbenhafen
Amag
TUNE HER.
RAMSO HERRIT.
Wolburgs Herrit.
Skippings Her
TUTZE HER.
ARDTZ HER.
MIERLOS HER.
LOFVE HER.
SOER BIRCK
SLAGELSE HER.
FLACKEBIERGS HER.
RINGSTED HER.
TYBIERGS HER.
BIEFVERSKOW HER.
Steffens Herr.
FAXE HER.
HAMMES HERRIT.
BORSE HER.
MONE.
FALSTRIA.
Lalandiæ Pars.
Tutzenæs
Taasing
Nobil. Magnifico et Amplißimo
D. PETRO CHARISIO,
Ser. Reg. Maj.
DANIÆ, NORVEGIÆ, &c.
Apud. Ordd. General. Belgicæ Fœderatæ Consilario
et Vicelegato Ordinario, Tabulam hanc D.D.
J. Blaeu.

23.

Frederici II inſigni opere elaborata ibidem buſta oſtendunt. ut omittam ſepulturam nobiliſſimæ Heroinæ Margaretæ, Daniæ, Sueciæ & Norvagorum reginæ potentiſſimæ, quæ, *Alberto* Suecorum rege inter prœliandum capto, cotem, quam ei paulo ante, ut munus contumelioſum inque opprobrium ac ludibrium fœminei ſexus *Albertus* idem miſerat, templi Roſchildenſis columnæ in rei ſempiternam memoriam haud procul ſuo mauſoleo affigi curavit. Aliàs urbis celebritatem, magnificentiam atque antiquitatem delubra permulta diruta, tum & rudera regiarum ac monaſteriorum ſatis arguunt, ut & epiſtola Alexandri Pontificis maximi, quæ in hiſtoria eſt poſita circiter ann. 1186; qua Rugianorum inſulam, quod ad eccleſiaſticam juriſdictionem, Roſchildenſium diœceſi ſubjicit. Tempore regis Chriſtophori Bavari, quod fuit anno Chriſti 1445, ut eſt eo loci indicatum, dos præter cetera aſſignata ſponſæ ejus reginæ Dorotheæ Haralsburgum Roſchildiæ, una cum regia, quæ ibi habebatur, juriſdictione. Eſtque hodie loci commoditate, doctorum virorum collegio frequentiaque imprimis celebris Roſchildia. Nam & olim *Saxo Grammaticus* eccleſiæ Præpoſitus, ut & *Nicolaus* nuper *Hemmingius*, jam ante nobis memorati, inter Canonicos, ut vulgo vocant, hic vixere. Quorum etiam utriuſque cineres in templo urbis cathedrali conditi ſervantur. Non ineleganti eam epigrammate celebravit Willichius Veſthovius Cimber, P. L. ubi de urbibus ac municipiis Selandiæ inter cetera, ita de Roſchildia cecinit:

Fons regii cultus (fundaminis anſa) Roeque
Rex pariter nomen compoſuere meum.
Sueno, bifurcatæ Rex à cognomine barbæ
Notus, jus augens municipale dedit.
Templi inſigne decus, ſupremi antiſtitis aram
Quondam, nunc regum quod monumenta capit;
Wilhelmo cœptum fundari præſule, præſul
Perfectum tecti culmine Sueno dedit.
Poſt aliis alii me auxere ornatibus amplam
Pontifices, donec plena decore ſteti.
Tum, Latiæ ſtulto me inflante tyrannidis œſtro,
Ipſa mei caſus triſtis origo fui.
Ex me urbes vano defungi diſcite faſtu!
Excelſæ ſorti vaſta ruina comes.

Hafnia. *Hafnia* ad inſulæ latus ortivum poſita Balthici maris ſinu alluitur. Adjacens enim quam proxime *Amaga* inſula portum efficit incredibili commoditate ex loci natura celebrem. Hæc quippe ad orientem in Balthicum mare ad ſtadia circiter quatuor excurrens, vadoſis & perpetuis arenis impetum maris ſæpe vehementiſſimi retundit; Quo fit ut inter dictam inſulam & agrum Hafnienſem orientalem ad paſſus quingentos tuta concedatur navibus ſtatio. Quam vero tenuia urbis initia fuerint, ex eo patet, quod *Axillus Vidus*, alias Snare cognominatus, Saxo *Abſolonem* perpetuo vocat, Daniæ archipiſcopus, vir nobilitate generis, ſapientia, animi magnitudine, patriæ amore, atque in rebus gerendis felicitate & ſucceſſu præſtans, munitionem quandam ea inſula, in qua nunc Hafnienſis arx eſt, magnis ſumptibus extructa, fieri curavit, cui appellationem de ſuo nomine Axelhuys indidit, ut eo promptius adverſus piratas locus ille defendi poſſet. Antea & primitus *Stegelburgum* appellatum reperio. Saxo Grammaticus *inſulam* ait *maritimam novi caſtelli fundamentis Abſolonem complexum ad arcendos piratas*. Hic igitur locus cum paulatim opportunitate ſitus, non caſis modo piſcatorum, ſed negotiantium quoque frequentia atque ædificiis amplioribus excoleretur, Kiobmanſhafen / id eſt, *Mercatorum Portus* vocatus eſt, qua etiam voce ac nomenclatura Latina Saxo Grammaticus ſemel iterumque in rebus Woldemari Magni, urbem nuncupavit: hodieque vulgo Kiobenhaun Danice, & Kopenhaven Theutonis nominari ſolet. Hafniæ vocabulum, quod fere Latine ſcribentes nunc uſurpant, decurtatum eſt formatumque ex ſyllabis duabus poſterioribus Hafen/Haven & Haun: quibus *portus* ſignificatur. Vnde & ſunt, qui *Portuam* appellare Latine non dubitant, quam recte hic non diſputem. Saxo qui *Portum Mercatorum* appellauit, tutari ſe poteſt ſimilibus apud veteres urbium appellationibus, cujuſmodi ſunt, *Portus Herculis*, *Portus Auguſti*, *Portus Monæci*, *Portus Iulius*. Sed & idem quoque Saxo *Abſolonicam urbem* appellaſſe videtur lib. 14. Iacobus Mejerus Flandricæ hiſtoriæ florentiſſimus alias ſcriptor etymo plane ridiculo à Koppen / quod *Iacobum* Flandris ſignificat & haven / quod *portum* notat, *S. Iacobi portum* appellatum hariolatur. Exinde autem quomodo creverit, ampliſſimiſque ſæpenumero privilegiis, atque ultimo demum Academia, id eſt Muſarum ac ſapientiæ domicilio, ſit exornata, ſuis exponet locis hiſtoria. *Academia.* Noſtro autem ævo, quanta ei ornamenta acceſſerint ex larga in eam Chriſtiani Quarti regum maximi beneficentia, oſtendunt paſſim urbis ampliata pomœria, ordinata propugnacula, atque additum regium Armamentarium, cujus Europa vix ſimile aut ſecundum habet, ſive machinas & omne genus inſtrumenta bellica, ſive loci, quo ea ad bellum terra marique gerendum educi quam commodiſſime poſſunt, rationem videamus. *Armamentarium.* Quibus accedunt præter cetera, in uſum Mercatorum conſtructus ſublicius pons, & Burſa adjuncta; quorum pons ita eſt adaptatus, ut proximam Amagæ inſulam novumque in ea oppidi latus cum oppido veteri connectat: Parte vero ejuſdem pontis elevata, ſubire per eundem, ubi id uſus flagitet, ad arcem & armamentarium onerariæ poſſunt naves. *Pons ſublicius. Burſa.* Eſt & regium viridarium extra portam Borealem amœniſſimum, opere artificioſo jam nuper adornatum, addito palatio, ſive id prædium appellare libet, quod ceteram magnificentiam haud dedeceat. *Viridarium regium.*

Templa. Primarium urbis templum D. Mariæ ſacrum eſt, in eo ſacrantur & coronantur Daniæ reges: Canonicorum collegium olim fuit: Aliud eſt Spiritus ſancti: Tertium D. Nicolai portui vicinum: Quartum in arce. Quintum D. Petri, quod magnis impenſarum ſumptibus à Frederico II reſtauratum, ut in eo Germanicæ nationis homines ſacros conventus haberent.

Amaga. Amaga de qua dictum, inſula, ſive, ut alii vocant, *Amagria*, urbi Haffnienſium ab oriente adjacet, ſex millia paſſuum longa, millia quatuor lata, omnium fœcundiſſima, tum & venationibus,

bus, præsertim leporum, peropportuna. In hac duæ sunt parœciæ: altera antiquitus fuit, estque hominum indigenarum: altera ex gente Hollandiæ eo ante seculum & quod excurrit traducta colonia est; idque, volente aut saltem adjuvante sorore Caroli V, quam thori sibi sociam assumpserat Christianus secundus. Hi Hollandienses sive Amagienses urbem, negotiatione ac hominum affluxu celeberrimam, annona & maxime butyro, caseo, sero, lacte aliisque ejusmodi eduliorum generibus copiose, & ad morem suæ gentis in foro, cui ab illis quoque nomen, Amagiensi, indies prostantes sublevant. ut ita hanc insulam Hafniensium veluti penu dicere liceat. Et hoc notandum quoque, vocabulum, quo censetur, haud aliud quam *domum* ac *penuarium* denotasse Germanis olim antiquissimis, apud quos hodieque *Drusomagum*, *Borbetomagum*, *Rigomagum*, *Duromagum* & *Magunciacum*. Et apud Italos *Magasino*, quod rerum venalium majorumque mercium veluti promptuarium signet. Anni sunt circiter 40 ex quo Insulam hanc urbi Haffniensi ponte annexuit Christianus IV.

Helsingora.

Occurrit Haffniæ, aquilonem versus, Helsingora, urbs littoralis, freto, quod *Oresundæ* dicimus apposita. Exteri, & præsertim Hollandi ceterique è Frisia, Hollandia, Flandria, Gallia, Hispania, Anglia, Scotia, Borussia, Suecia, Norvagia, Moschovia, Pomerania totaque Vandalia aliique eo confertim quotidie appellentes, **de Sondt** vocant. Cujus etymon qui heri aut nuper indagarunt, mirum quantopere sua opinione falsi sint, cum illud ita dictum velint ab *or*, quod veteri Danorum lingua *arenam* significaverit. At fretum illud **Oresundt** dici ab **ore** quod *aurem* notat, indicio sit ipsa civitas, quæ non tam ab Helsingis populis *Helsingora*, quam à longo illo sinu, qui à *Col* promontorio ad ipsum fretum **Oresund** procurrit, *Halsæ* vocabulo Halsingora dicenda, docente præsertim Adamo Bremense, qui etiam **Halsingburg** / non **Helsingburg** / perpetuo scribit. Vt ita sinus ejus extensio *cervicem* quasi aut *collum* populariter **hals** dictum assimulans, atque inde in fretum jam memoratum procedens, ut auris cervici (nam & formam eam refert) accedat, & huc quoque Plinii *Hellevones* sive *Halsevones* referendos injecimus. Sane à corporis humani partibus terrarum & maris perplures tractus appellari, ostendunt promontoria, quæ vulgo ab extuberantia *nasi* aut *linguæ* nomen accipiunt, ut illud Norvagiæ à naso **de neus**: *Linguam* vero tralaticie appellari genus promontorii non excellentis, sed leniter in planum devexi extensique, docent præter alia in Zelandia Belgii **Nieuwe Tonge** / & **Oude Tonge** / id est, *Nova Lingua*, *Vetus Lingua*. Nec aliter chorographi & historiarum scriptores maris angustias *fauces* perpetuo vocare solent; quod præcipue locum hic habet; cum nihil sit aliud Helsingora, quam *faucium* seu *colli auricula*, non ut perperam nonnulli particulam **helsing** / accipientes, *Benedictam auriculam* interpretantur. Solinus *frontem Locrensium* dicit sinum Europæ primum à Gadibus ortum; Et Tacitus *Germaniæ frontem* appellat, quæ Danubio prætexitur. Accipiunt & aliunde hi sinus sæpenumero appellationes, ut à *colore*, cujusmodi est **Gronsunt** / id est, *viride fretum*: itemque à *longitudine*, ut **Langesundt**. In Hellade est *Trapezuntium*, quem sinum maris Græci haud dubio à *Trapeza*, id est, *mensæ*, quam refert, similitudine sic appellitarunt. Vbi notandum *Suntæ* vocabulum, quod passim in boreæ his oris est obvium, ut sunt *Stralesunda* Pomeraniæ; *Carsunda* Norvegiæ; *Gronsunda* & *Langesunda* Daniæ; & de quo jam agimus, *Oresunda* aliaque etiam in Græcia obtinuisse; idque *Trapezuntæ* ostendere vocabulum. Et quid Græciam dico? Nonne & Indi Orientales, & illi à nostro orbe remotissimi Iavanenses fretum istud, quod est intra Sumatram & Iavæ insulam, *Sundam Calapam* vocant? *Helsingorum* porro oppidum semel diserte nominavit in rebus Voldemari lib. 14. Saxo Grammaticus: Alias *Helsingam* idem dixit, ut libri ejusdem initio, itemque *Helsingum oppidum* lib. 15. Nec memini si alibi aliter, quamvis ultimo hoc loco non tam intelligi posse *Helsingorum*, quam *Helsenburgum*, quod est in Scania è regione Helsingoræ, fere videtur, cum dicat: *Rex, finitis commeatibus, ad illud Sialandiæ littus, quod ab Helsingo oppido vocabulum tenet, trajicere jubet.* Quod enim aliud, quam Helsingoræ littus, quod ex adverso Helsinburgi est, capiendum ibi parum reperio. Quam autem brevis sit inter utrumque oppidum per sinum illum maris trajectus, ostendit præterea Saxo, qui ait, Haraldum regem cum Ringone Sueco navali prælio certaturum, quasi alterum Xerxem, pelagus istud frequenti adeo ac numerosa classe complevisse, ut pontis vice naves essent, pateretque in oram Scaniæ è Selandiâ pedibus per naves iter. Nec omittendum quod de eodem quoque freto refert Adamus Bremensis, qui de pugna similiter navali inter Olaum Norvagum & Suenothonem commissa verba faciens, satis indicat navalium id olim conflictuum veluti arenam habuisse reges vicinos, ubi inquit: *Collecta classe innumera bellum intulit regi Danorum, inter Sconam & Seland, ubi solent reges navali confligere bello. Est autem brevis trajectus Balthici maris Halsingburg, in quo loco Seland à Sconia potest videri.* Videri posse nihil est certius, cum vix ultra semimiliare, cujusmodi fere inter Hellesponti Abydum & Sestum est interstitium, quod est ortum versus, sese expandat, quod vero contra meridiem est duorum propemodum milliarium intercapedinem habet, qua præsertim insula *Huena* ocurrit. Vt ita freti has angustias si quis *Hellespontum Danicum* vocet, nihil abs re dixerit. Ejusdem vero, *Huenam* versus, dilatatio veluti *Propontis* quædam haberi potest. Nec minor ibi quam in Bosphoro Thraciæ piscatio est, eaque vere & autumno solennis, ita ut hæc aurea; illa argentea meritò habenda, cujusmodi etiam suam illam olim indigitasse Græcos, authoribus proditum. Sane hic quanta semper halecum aliorumque piscium captura fuerit, sui quoque seculi scriptor Saxo testatur, dum *impacta inter piscium globos navigia*, sunt ejus verba, *vix remigii conamen eriperet.* Ceterò ipsum Helsingoræ oppidum muris destitutum hactenus, incingi jam pridem mœnibus luculenter curavit Christianus IV. Cujus & parens jam ante laudatissimæ memoriæ Fredericus II exstructa arce Croneburgo, maximum

Pontus & Propontis Danica.

ximum urbi ut ornamentum, ita & præsidium addidit. Est enim arx ista arcium in Dania omnium munitissima, situ & opere adeo mirabili, ut inter inexpugnabilia censeatur. Antea, quæ locum ejus vice obtinebat, *Crogæ* vocabulo à littoris flexura sic dicta funditus diruta, sicuti & *Flondersburgum*, quod in crepidine quoque maris stetisse haud longe ab Helsingora, ubi nunc est *Flonderupium* è regione promontorii Collensis, indicat historia: Positaque nunc Croneburgi hæc arx in præsidium extremæ oræ Zelandicæ ac freti, quod appellari *Orezundam* jam diximus. Estque tanta operis firmitate, idque maximis & innumerabilibus undique comportatis saxis, interque compacta & fistucata robora conclusis, ac loco fundamenti stabilitis firmatisque, ex ipso maris fundo eum in modum educta, ut immanes pelagi fluctus magnis impulsos procellis, atque ad vallum murosque horrendo boatu illisos, citra ullius periculi metum excipiat. Estque præter ista universum opus singulari symmetria exactum, intus magnificis conclavibus, cubiculis, porticibusque exornatum, quorum omnium conclave quod est maximum, reges Daniæ, tapetis intextos, ordine repræsentat. Tecta cupreis sunt obducta laminis. Muri circumquaque lapide cæso, quem insula Daniæ Gotlandia suppeditat, affabre expoliti: Suntque passim circum mœnia in pluteis ænea tormenta, aliæque grandiores machinæ & colubri ad introitum aut egressum navium, ubi opus fuerit inhibendum, ita disposita inque promptu omnia, ut similem munitionum apparatum reperiri vix alibi existimem. Ad arcis pedem, qua mare ortivum & Huenam insulam respicit, saxum est ingens & stupendæ molis cum hac inscriptione; *Anno* 1589, *Fredericus* II *Daniæ Rex curavit hoc Saxum à primo suo loco, ubi vicissim alius surrogatus est Lapis, ad hunc devolvendum.*

Hic igitur perque sinus hujus, de quo jam indicatum, fauces, illa non tantum ingentia Germaniæ, Sueciæ, Livoniæ, Russiæ, Borussiæque flumina, in mare se orientale sparsim exonerantia, ceu per cataractas quasdam, in Oceanum Norvagicum procurrunt, sed & naves totius Europæ in idem Suevicum seu orientale mare commerciorum gratia properantes, atque inde vicissim mercimoniis onustæ redeuntes, hujus transire perpetuo Porthmi angustias tenentur. Si qua vero minora navigia sint, Lubeca aut proximis ex urbibus Holsatiæ Cimbriæque solventia, ea per Balthicum sinum, qui inter Selandiam & Iutiam est pluribus, ut dictum supra, minoribus insulis, tum & vadis impeditior, cursum instituunt, ita tamen, ut Neoburgi, quod esse Fioniæ oppidum modo meminimus, subsistere, atque ibi vel regiæ navi prætoriæ, quæ fauces servat, mercium suarum ac transitus rationem reddere cogantur. Adeo ut vere hæc orientalis totius oceani, qua se latissime versus Moschos ac Sarmatas expandit, claustra censenda: Et maxime Oresundiæ hoc fretum quod non Croneburgo tantum arce, sed & Helsingburgo, quod in adversa Scandinaviæ ripa castrum est, communitum spectetur: ita ut omnes ortum versus aut in oceanum occidentalem navigaturi hic subsistere, arcemque Croneburgum, uti sedem regiam, suppari demissione cohonestare ac velis mox omnibus complicatis jactaque anchora, in terram exscendere, ac debitum regi telonium collectoribus, ad id in oppido Helsingoræ à regia Majestate constitutis, pendere necesse habeant. Qui secus faxit, amissionem bonorum incurrit. Iactarunt olim Græciæ principes aureum suum vellus, alii Hermum, Tagum aut Pactolum, ramenta aurea ferentem: Et alii denique Iovis imbrem aureum cœlitus dimissum. Sed ut fabulis quodammodo ista & Poëtarum ingeniis ad delectationem conficta inque majus aucta, ita hic vere res agitur, vereque Balthici hoc maris ostium appellare auriferum liceat, quod aurum argentumque in bono asperoque nummo sine ullo aut labore aut periculosa subterraneorum diurna nocturnaque inquisitione, velut Amaltheæ quoddam cornu aut virgula divina regio ærario copiose affundat. Nec desunt interim & suæ regno opes, &, inter cetera, argenti quoque fodinæ subterraneæ, qua præsertim Norvagiæ ac Sueciæ est contigua Dania, regia nuper cura feliciter adinventæ excultæque, ut omittam terræ fruges marisque proventus, atque inde tot boum, equorumque generosorum myriades, quibus ut è regno abduci tuto possunt, certis sunt locis constituta vectigalia, maximum etiam momentum regni gazophylaciis inducentia, quamvis superet cetera, meritoque prærogativam mereatur prius istud, utpote, cui Europa pene universa ditionesque ejusdem maritimæ omnes, quatenus hac iter ex oris earum navibus agitur, agnoscuntur tributariæ.

Zunæ Porthmus.

Ipsum vero Helsingoræ oppidum, occasione tot gentium huc indies è Scotia, Anglia, Gallia, Hispania, Lusitania, Italia, Flandria, Zelandia, Hollandia, Frisia, Suecia vicinisque Vandaliæ urbibus, nec non & aliunde appellentium, præter indigenas, habet & exteros atque inquilinos permultos, civitate donatos.

Distat Helsingorâ tertio circiter lapide memorabilis illa regia arx *Frederichsburgum*, à rege *Frederico* II conditore sic nuncupata. Primitus enim *Ebelholtum* appellatum; fuisseque cœnobium sancto Paracleto sacrum; cui Abbas præfuit *Gulielmus Parisiensis*, qui defunctus anno Christi 1201, in numerum exinde sanctorum relatus est, docebit historia. *Hermolaus* postmodum *Trolle*, equestris ordinis vir, rerumque maritimarum in bello, quod adversus Suecos est gestum, summus præfectus, amœnissimum locum conspicatus, utpote qui lacui dulcis aquæ adsitus, ac lucis undique opacus, secessui, venationibus & ejusmodi honestis oblectationibus à natura quasi factus videatur, arcem primo tenuem moliri cœperat, quam postmodo Fredericus II situs elegantia inductus, exquisitissimo apparatu adimplevit coronæque subjecit. Summam demum operi manum adjecisse merito dicendus Christianus IV, qui præstantibus undique opificibus, architectis, sculptoribus ac pictoribus invitatis, arcem intus exteriusque tot magnificis condecoravit statuis, iconibus, aliisque singularis artificii operibus, quæ Romanas quodammodo superare elegantias, aut

Frederichsburgum.

cum

cum illis saltem certare posse videantur: Spatiosissima est ante fores arcis area, præter eam, quæ interius habetur, ubi & fons marmoreus, limpidas aquas ad varios arcis usus affatim evomens, quem & exquisitus diversarum imaginum ornatus plurimum commendat. Hic quoque amplitudo ea quæ regiam nobilitatem, & equitatum numerosum facillime admittat. Et facit denique ad loci commoditatem haud leviter, quod eadem, quæ ab Helsingora & Croneburgo est ejus distantia, vix major quoque inveniatur à regni metropoli Haffnia.

Ringstadium. Nunc *Ringstadii* mentio facienda, cujus si antiquitatem spectemus, primum aut saltem à Roschildia proximum locum merebatur. Hodie vetustate propemodum sua obsolevit, posita in insulæ circiter meditullio: Vbi regum olim mausolea præcipua ostendebantur. Nam *Valdemarus* I cognomento Magnus, qui obiit Varinburgi anno Christi 1182, hic conditus jacet, ut & filius ejus uterque, reges *Canutus* & *Valdemarus* II, una cum filio *Valdemaro* III cujus conjux, filia regis Hispaniarum, regina Eleonora, hic quoque sepulturæ locum obtinuit; ut & Margareta Damour, Bohemiæ rege Perislao nata, quæ vitam cum morte commutavit anno salutis 1213: itemque *Berengaria* regis Lusitaniæ filia, defuncta 1220. Quarum utraque nupta fuit *Valdemaro* II, ut omittam *Ericum* Sanctum, *Valdemari* similiter II filium, aliosque reges reginasque perplures, qui vitæ terrestris adimpleto penso, hic positis ossibus Tubæ sonum expectant.

Cæterarum urbium, quarum superius nomina posuimus, quædam ut villæ olim, nunc oppida censentur. *Slangendorpium.* *Slangendorpium* enim *ruralem villam* nominat lib. 14, pag. 229 Saxo. *Callenburgum.* *Callenburgum* ab Esberno Snareo, Absalonis Vidi fratre germano, in oppidi formam redactum, addita arce temploque insignis structuræ, ann. salutis 1158, aut 1171, cum antea ob sinum maris, qui etiam commodum ibi portum natura loci efficit, piscatorum haberetur statio, nomenque ferret *Hervigi*, ex Saxone Grammatico pro parte, qui perpetuo *Kallundam* vocat, est intelligere. *Kallunda.* Verba enim ita habent lib. 14: *Ea tempestate Esbernus urbem Kalundam molitus novi mumimenti præsidio portum hostili piratica liberum præstitit.* Etymon unde repetendum vix occurrit, nisi ad *Chalos* populos. Ptolemæo in Cimbrica Chersoneso, propemodum è regione Calundæ, ut & ante meminimus, nominatos, libeat referre; cum & *Calloe* ibidem aliaque nominentur. Vrbem exinde in potestate semper Snareorum Vidorumque fuisse, ad annum usque 1276 indicat non obscure historia. Vbi *Ingeburgo*, Esberni Snarei filia, regno exacta memoratur; idque sive sua, sive suorum culpa, parum liquido ex rerum memoriis potest intelligi. Hoc tamen certum habetur, ea occasione *Callenburgum* & *Seburgardiam* regno adjecta accessisse, testante hoc ipsum donationum cœnobii Sorani tabulario.

Slaglosa. *Slaglosæ* antiquitatem ex Saxone similiter est animadvertere, qui non semel nominat. Ei in propinquo adsita arx *Anderschouva*, *Anderschouva.* in qua diem supremum clausit laudatissimus regum Fredericus II.

Coagium. *Coagium* non quidem admodum amplum, sed munitum hodie, ac negotiatione præsertim frumentaria florens est oppidum, positum ad littus insulæ ortivum, quarto circiter lapide versus meridiem Haffnia distans. Vulgo non Coagium, sed *Coege* seu *Cõge* nominatur: ut haud absimile vero sit, antiquæ *Cogenorum* gentis, quod superius injectum, reducere eam, aut saltem retinere memoriam. Ejus situm atque amœnitatem solique uber, ita descripsit Vesthovius:

Fluctibus Arctoi sat bella Coagia ponti
Alluor, hinc campus subjacet, inde nemus.
Quæ silvæ utilitas, agri emolumenta fretique
Commoda sunt, meus hæc omnia civis habet.
Dat glandes & ligna nemus, dat pascua campus,
Piscibus & variis mercibus unda beat.

Corsora. Ei fere ex adverso, occasum contra, alterum insulæ latus occupat *Corsora* arce regia insignis, habens è regione in littore Fioniæ *Neoburgum*, de quo est antea commemoratum. Nomen Corsoræ à crucibus inditum, quas majorum religiosa superstitio nullis non locis ut ponere erat solita, ita hic plures aut certe maxime conspicuas stetisse, est vero simile.

Schelsora. *Schelsora* ad insulæ latus, quod Balthicum mare, peculiariter sic dictum, alluit, est collocata, obversam sibi prospectans Langelandiam. Alios *Scelfiscoram* nominare, & à piscium squamigero genere conchisque, quæ eo in littore abunde habentur, appellationis originem repetere video. *Nestveda.* *Nestveda*, quæ ad exiguum ejusdem maris seu littoris sinum posita, ab altera insulæ parte ortum versus *Prestoam* habet, *presbyterorum insulam* dictam, quod eam habitare primi atque excolere clerus ac presbyteri cœperint: Ne quis præstos, Indiæ gentem, cujus Curtius meminit, hic imaginetur. Est autem locus haud inamœnus, declivis paulum ac sinu maris non admodum lato, veluti amne circumfluus, lucosque ac colles nemorosos circumquaque prospectans. Ei *Mona* objacet candidis cretæ montibus late in oceano conspicua, urbem unam ostentans *Stegæ* nomine. *Stega.* *Monam* vero sejungit à *Prestoa* sinus, de quo dixi, exiguus è mari egrediens, ac insulam eandem urbemque more fluenti, versus Selandiam circumluens.

Nicopia. Quæ reliquæ sunt civitates, *Nicopia* & *Holbeca*, situm habent in insulæ parte boreali. Quarum hæc freto sive sinui illi maris Isefiort nuncupato, cujus alter veluti armus, seu amnis potius, Roschildiam petit, est apposita; Illa in territorio, vulgo Otsherrit dicto, Saxo *Oddam provinciam* appellat, collocatur, frugum abundantia aliisque mercimoniis celebrata. Hoc universum territorium regium agnoscit præfectum, cujus in arce *Draecksholmia* sedes est. *Holbeca.* *Holbeca* suum seorsim præsidem arcemque habet, rivo latebroso, unde & nomen inditum, apposita.

Arcium recensum instituere, quod desiderari hic unum possit, cum operæ longioris sit, nec solum regi, sed & nobilitati quænam propriæ sint, structura & elegantia memorabiles, neque tamen obviæ passim, haudquaquam omittenda præter jam dictas, *Sora.* *Sora*, non tam arx quam regium cœnobium, loco amœnissimo haud procul Ringstadio inter silvas lucosque positum; & lacum

lacum insuper dulcis aquæ proxime alluentem habens, piscibus varii generis abundantem. Cujus pulcherrimi monasterii *Ablonsa Vidus* archiepiscopus Lundensis, nec non frater ejus *Esbernus Celer*, vulgo *Snareus* cognomento, ante quinque propemodum secula fundatores fuere. Præter *Absalonem* ejusque in locum hunc munificentiam, quæ suo sunt loco memorata, contulisse ei repe-rio Esbernum pagos quatuordecim, ac variis ædificiis monasterio additis, area quoque aliisque operibus, idipsum ampliasse. Vtriusque hic ossa condita jacent. Quorum *Snareus* è vita excessit anno Christi 1202, cum *Absalon* anno jam ante mortalitatem complevisset. Hodie regni peculium est. Nec omittendum, quod cum laudatissimæ memoriæ Rex *Fredericus* II, qui regiam nobilitatis scholam Frederichsburgi aperiri curaverat, eandem ad hocce cœnobium, utpote Musis & Vacunæ opportunius, transferri, auctis cum docentium tum & discentium numero annuisque reditibus. Nec defuit exinde parentis optimi proposito regiæque munificentiæ filius, ipsius in regno successor, *Christianus* IV, qui suis temporibus, eadem scholâ in statum illustriorem constituta, ei præter cetera, in gratiam præcipue nobilium, publicos Professores adjecit, & tales qui non modo ingenia omni liberali doctrina linguisque, præter Latinam, Græcam Hebræamque, etiam Gallica Italicaque erudirent, sed corpora quoque industriamque ipsorum, equis atque armis tractandis, quod vel maxime nobilitatem commendat, rite assuefacerent, ut ita paulatim aptaretur simul adolescentia non Musis modo, sed ad tolerandam quoque, ut ille inquit, *militiam & grave Martis onus*. Etymon *Soræ* necdum comminisci potui. Neque involvendum interea silentio, in Italia quoque *Soræ* coloniam & urbem Straboni Plinioque memorari in via Appia ad Liris fluenti caput sitam.

Herleffsholmia. Distat Sora tertio circiter lapide *Herleffsholmia*, locus similiter inter lucos arborumque opaca jucundissimus, dictus olim *Schouclosler*, quod ad verbum sit, *silvæ claustrum* seu monasterium, sive potius Silvani Dryadumque domicilium. Hoc insigne prædium, sibi hæreditarium, vir nobilissimus omnique doctrina cultissimus *Herlefus Trolle*, regni olim senator & admiralius, ut suæ erga patriam optimasque artes perpetuæ voluntatis relinqueret testimonium, in usus publicos convertit, & liberam illustremque ibi scholam instituit, in qua non modo nobilium, sed & aliorum liberi honeste ac liberaliter educati, in literis ac vera erudirentur pietate, adjectis & aliis, quas in proximo habebat, possessionibus.

Hic ille *Herlefus Trollus* est, vir suo atque omni ævo memorabilis, qui Danicæ classis præfectus anno 1565 indigna morte in prælio contra Suiones navali, fortissime rem gerens, absumptus est. Troli cognomen, quo etiam vocabulo Gothi olim, teste Olympiodoro, à Vandalis ut truculentiores fortasse, sunt nominati, ex antiqua ac prima in gente Danica Trolorum familia ortum accepit. Nam & hodieque ex ea prosapia qui sunt, pro clypei insignibus, *Troli*, id est, *Cacodæmonis rutuli* truncum, capite extra clypeum in apice cassidis supereminente, publicitus ostentant. Quod honoratæ militiæ insigne quo casu aut occasione illis tributum, dicere non habeam: Illud constat, quod & alibi meminimus, Suetonium Tranquillum, ubi occasiones edisserit, quibus gens Claudia cognomina Neronis Drusique assumserit, de Druso inter alia hæc retulisse cap. 3 in *Tiberio*; *Drusus hostium duce Drauso cominus trucidato, sibi posterisque cognomen invenit. Drausum* autem sive **Droes** Theutonibus idem, quod Danis *Trolus* sive **Trol**/ cacodæmonem scilicet, notare norunt, qui linguæ Germanicæ Danicæque aliquem usum habent, ut ita dux iste *Drausus* ab eo tum Galliæ provinciam obtinente, trucidatus, aut Celta, aut Ligur, aut denique ex borealiori aliqua plaga ortus, nominis istud ob animi corporisque feralem truculentiam roburque impavidum apud populares meruerit, utpote hostibus omnibus præcipue formidabilis. Certe tam inferioris quam superioris interiorisque Germaniæ populus non horrendo solum trucique aspectu metuendum, sed ipsum etiam cacodæmonem *Drausum* & **Draus** sive **Droes** appellare hodieque consuevit. Adeo ut haud absimiliter à Vandalis Gothi ob parem nimirum truculentiam, cognominati sint *Troli*, testante, ut diximus, Olympiodoro; qui tamen ignarus, utpote Thebis Ægyptiis oriundus, id *Cacodæmonem* lingua gentis ut jam ostensum, significasse, curiosus sciscitator ab alio forte discere vocis vim satagens, vani hominis commentum in literas retulit, quasi ad summam annonæ caritatem, qua tritici trullam (mensuræ exiguæ genus est) aureo uno redimere à Vandalis Gothi fuerint coacti, ratio cognominis foret referenda.


De Gymnasio Herlefsholmensi sic ludebat Ioh. Isaacius Pontanus:

Fama est Silvani Musas coluisse recessus,
Et sua muscosis tempe habuisse locis,
Hoc quoque, quo virtus Herlefi est clara, lyceum
Quis putat humanas constituisse manus?
Aut illud Musæ luco posuere beato,
Musarum aut genius has dat & auctat opes.


E Selandia, & ultra *Huenam Monamque* solventibus versus ortum meridionalem occurrunt deinde ordine etiam insulæ aliæ, sed omnes enumeratis præsertim jam duabus, *Fionia* & *Selandia*, multo minores. Quarum omnium minima & veluti nævulus maris apparet *Saltholmia*, *Amagriæ* ad ortum opposita, fœno gramineque læta, sed incolis carens, plana projectaque.


HVE-

HVENA.



X adverſo Helſingoræ, & veluti in oculis urbis, eſt ſita *Huena* inſula, circa cujus meditullium, ubi arcem Uraniburgum Tycho Brahæus exædificavit, Poli elevatio, ſive quod idem eſt, latitudo ab Æquatore Graduum quinquaginta quinque, Minutorum quinquaginta quatuor cum dimidio, ſumma accuratione ab ipſo Tychone ſæpius deprehenſa eſt. Longitudo ejus partium triginta ſex, Minutorum quadraginta quinque, habito nimirum reſpectu differentiæ Meridianorum, quibus uſi ſunt Ptolemæus & Copernicus, ſicut & nos in Atlante noſtro. Hæc ab arce Croneburgo ipſoque oppido duobus circiter milliaribus mari diſtans, Scaniam Selandiamque pari propemodum ſpacio à ſe utrimque remotam habet, nobilemque hunc porthmum ſua vicinitate ſpectabiliorem reddit. Et ipſa hoc ſitu poſita, verſum Selandos, præter *Cronenburgum* & *Helſingoram* naviumque innummerarum ultro citroque commeantium jucundiſſimum proſpectum, *Haffniam* regni metropolim, & Academia, ut dictum, regia, mercaturaque celebrem, verſus Libanotum à ſe diſtantem proſpicit. Totidem etiam *Helſingburgum* in ipſo ſeptentrione, idque in Scaniæ littore diſtat; In quo ſimiliter *Landiſcronia*, unico ſaltem milliari ſejuncta, verſus Eurum patet. *Lunda*, licet maritima non ſit, tamen hic quoque ſpectatur, quatuor circiter milliaribus verſus meſeurum remota: ut & *Malmogia*, quinis propemodum milliaribus verſus ortum meridionalem cælo præſertim ſudo è locis editioribus conſpectui objicitur. Has civitates, oramque maritimam ſatis arboribuſque circumquaque amœniſſimam in ambitu inſula videt, & ab his viciſſim, cum admodum edita è mari ſpectatur; habens in circuit... res, qui duo qu... æquant, latitudo haud ultra ſemimilliare adimplet. Et licet edita altaque, ut dictum, ſit, planitiem tamen ſuperius fere æqualem habet, nullibi rupicoſa aut informis. Nec ejus propemodum pars ulla otioſa aut ſterilis habetur; Eſtque ferax optimarum frugum, abundat jumentis, alit damas, lepores, cuniculos & perdices magna copia. Piſcium capturæ circumundique apprime eſt opportuna. Silvulam habet ex corylis, ubi nucum nulla vermiculis aut carie exeſa deprehenditur. glires terra non fert. Olim quatuor arcibus inſignis fuit, cum Huenellæ gigantiſſæ poſteri, quos inter Hugo & Grunilda, apud Germanos in athletarum hiſtoria celebres memorantur, eam inhabitarent. Nomina adhuc recenſentur, quarum *Synderburga* verſus meridiem ſita erat, eique oppoſitas partes tenebat *Nordburga*; ſicut alia ortum hiemalem, *Hamera* vero æſtivum reſpiciebat. Harum quatuor arcium fundamenta adhuc animadvertere eſt, ſed rudera nulla ſunt reſidua. Fluvios non habet, at rivulos & fontes aquæ dulcis haud paucos: Eſtque inter alios fons, qui nulla unquam hiberni frigoris vehementia congelatur: quod aliàs his in oris habetur rariſſimum. Etymon inſulæ repetendum ab Huenella viragine, de qua dictum, vero videtur conſentaneum. Quamvis & illud dici haud abs re queat, ipſam inſulam, ſive ſitum ceteraque ejus ſpectemus, notatione ſe prodere, quæ nihil niſi venuſtum & amœnum præfert, quod & *Huena Henellaque* voces, idiomate non Danico ſolum, ſed & Germanico haud obſcure ſignificant. Vnde & *Venuſiam* appellitatam, & ita ſubinde nominaſſe Ionam Iacobæum Huenſem, virum clariſſimum, & regium olim in Academia Haffnienſi Profeſſorem Hiſtoricumque, atque ultimo demum cœnobii Sorani Præſidem, ejus ad complures datæ literæ teſtes ſint. Et ipſum quoque idcirco ... nuſinum, utpote in hac inſula nat...


FRETUM
DANICUM, Vulgo
DE SUNDT.
Templum
Uraniburgum
Stelleburgum
Notarum explicatio.
A. Arx Uraniburgum.
B. Stellæburgum.
C. Prædium Oeconomicum.
D. Officina artificum Astronomica instrumenta et alia fabriçantium.
E. Mola alata.
F. Pagus 40 rusticorum habitationes continens.
G. Moletrina.
H. Templum.
I. Forum judiciale rusticorum.
K.L.M. Piscinæ majores.
N.N.N. Piscinæ minores.
O. Pratum palustre alnis aliquot aßurgens.
P. Sÿlvula Corÿlorum.
Q.R.S.T. Vestigia quatuor arcium dirutarum.
V.V.V. Pascua arbustis nonnullis in locis consita.
X.X.X. Sativa.
Clarißimo Viro
CHRISTIANO S. LONGOMONTANO,
Astronomiæ in Regia Hafniensi Academia Profeßore, olim Parentis sui sub Tychone condiscipulo, Tab. hanc D.D. J. Blaeu.
Quarta pars Milliaris Germanici.
...um quintum Latitudinis gradum denotant, hæc autem rursus in secunda distributa, quæ minoribus cifris notantur.
...c et in superiori hujus tabulæ parte minuta et secunda intra 29 et 30 Longitudinis gradum eodem modo distincta, uti Latitudinis a lateribus.



DESCRIPTIO ARCIS URANIBVRGI

quoad totam capacitatem.




HVænam insulam, cum (ut diximus) amœnissimo sit situ collocata, solumque habeat circumquaque æquabile, tum & prospectu fruatur ac cælo libero, laudatissimæ memoriæ Fredericus II, Daniæ Rex, Tychoni universam inhabitandam ac possidendam concessit, facto ea de re decreto, ut ibi Philosophiæ studiis & imprimis Astrorum contemplationi ad Artis instaurationem invigilaretur. Vnde & idem Tycho arcem Vraniburgum, ex ipso cælo, cujus observationibus inserviret, nomen trahentem, anno 1576, & successivis temporibus in hujus insulæ meditullio, ut diximus, exstruxit; eamque variis exactissimisque Mathematicis organis adornavit. Vt autem penitius ejus magnitudo & forma intelligantur; ipsa Domus præcipua quadrata, latera sua directe in quatuor mundi plagas extendebat; ita ut duæ turriculæ Meridiem & Septentrionem, ambæ vero valvæ Ortum & Occasum exquisite respicerent. Singula latera continebant pedes circiter 60, muro 45 pedes in altum erecto. Turris unaquæque rotunda 22 pedes habebat in diametro, quibus ambitus exterius adhærentes pedes addunt 10. Porticus ab Oriente & Occidente inferius quadrati in quolibet latere habebant pedes 15. Tota altitudo domus à Terræ superficie ad usque supremum Pegasum erat ped. 75. Domus ipsa, quaquaversum patebat, habebat hypogæa ædificia, quorum profunditas est pedum 12. Imo & alia quædam erant infra hæc. Nequid autem uspiam aliquid desideraretur, quod Arcem hanc amœniorem redderet, eam exquisitissimo tam florum quam arborum circiter trecentarum horto Tycho auxit, qui ut maxime varius, ita omnis generis fructuum abundantissimus fuit. Hunc cinxit vallo quadrato, in medio semicirculari intertexto, & pergulis quatuor ornato. Latera valli pedes continebant 300; crassities 20: altitudo quoque 20 pedum erat; diameter vero semicircularis valli interior, pedes circiter 90. habebat. Portæ valli erant duæ, orientalis & occidentalis, opere rustico & Tuscano compositæ; & ad Meridiem officina Typographica, majoris Domus Ideam parva forma quodammodo referens; ad septentrionem autem Domuncula erat pro ministris, etiam majori Domui quoad frontispicia & alia quædam maxime assimilata.


ARCIS VRANIBVRGI, A TYCHONE BRAHE, DÑO DE KNVDSTRVP,
IN INSVLA HELLESPONTI DANICI HVENNA CONSTRVCTÆ, QUO AD TOTAM CAPACITATEM, DESIGNATIO.
D
B
C
A
E



ICHNOGRAPHIA ET EXPLICATIO DOMUS PRÆCIPUÆ ARCIS URANIBURGI.

Amice Lector, Habes hic Domus Præcipuæ Arcis Uraniburgi Ichnographiam. Non poteramus non admiſcere prioribus tabulis, utpote quæ plurimum ad totius domus penitiorem cognitionem faciat. Notas, quibus ſingulæ diſpartitiones dividuntur, ſubjunximus: erat enim nimis operoſum & inconveniens eas ipſi tabulæ immiſcere.





Janua Orientalis A, & Occidentalis C. O Tranſitus quatuor ad angulos rectos concurrentes, qui tamen poſtea in tres redacti ſunt, ut Cœnaculum hybernum ſive hypocauſtum D ampliaretur, atque in ejus angulo poſt fornacem parvum quoddam & ſecretum laboratorium ſpagyricum eſſet, in quo tamen quinque diſtinctim erant furni, qui promptius ad manus iſthic operi Pyronomico inſerviebant, ne ſemper in majus illud deſcendendum foret. B Fons aquarium volubilem rotans, qui aquas hinc inde cum lubuit, in ſublime ejaculabatur. D Cœnaculum illud hybernum. E F G Cameræ pro hoſpitibus. L Gradus pro aſcenſu in ſuperiorem contignationem. H Coquina. K Puteus commentitius, 40 ulnas profundus, artificio hydraulico ſerviens,& aquas per ſiphones hinc inde occulte per murum tranſeuntes in ſingulas Cameras, tam ſuperiores quam inferiores, diſtribuens. P Gradus pro deſcenſu in laboratorium Chymicum. T Bibliotheca. W Globus magnus Orichalcicus. V Quatuor Menſæ pro Studioſis. 4 Camini tam è laboratorio inferiori aſcendentes, quam in quatuor angulis conclavium. Y Lecti in iiſdem conclavibus, hinc inde diſpoſiti. Cætera acutus inſpector propria intentione facile diſcernet.



ICHNOGRAPHIA PRÆCIPVÆ DOMVS ARCIS VRANIBVRGI

in Inſula Porthmi Danici Venuſia, *vulgo* Huenna, Aſtronomiæ inſtaurandæ gratia, circa annum MDLXXX, à TYCHONE BRAHE exædificatæ.





TYCHONIS BRAHÆ
INSTRVMENTA ASTRONOMICA.

Benevole Lector, Exhibemus hic in sequentibus tabulis unum & præcipuum in unoquoque Observatorio Instrumentum, & quibus Tycho maxime usus est, Sextantem, Quadrantem & Armillas Æquatorias. Addidimus & singulorum minorum Instrumentorum ipsius Tychonis jussu contextam Descriptionem.


In Vraniburgi Observatorio Meridionali Majore, signato in figura littera O.

SEXTANS
prout altitudinibus observandis inservit, ejusque fabrica & usus.



SExtantis Astronomici Instrumentum usibus apprimè accommodum ego primus ante annos plus minus 20 excogitavi, adeoque hoc nomen ipsi indidi, quod sextam Circuli partem in circumferentia complectatur, observationibus, quæ sic ut plurimum haberi possunt, omnino sufficiens, nec nimia quantitate eas difficiliores reddens; licet alii postea hujus inventionem sibi arrogarint, formæque variationem nonnullam effinxerint, prout plæraq; alia ex meis aliqui in Germania, tum quoque alibi sibi vendicare non verentur. Construxi autem successive tria ejuscemodi (ut de aliis diversimode idem præstantibus nunc non dicam) Organa, quoad exteriores limbos & pinnacidia eodem modo se habentia, quoad contignationes vero intrinsecas; variè, & prout commodum fuerit. Hic vero præsens in ipsis, de quibus loquor, contignationibus quam simplicissimus erat, utpote paucioribus refertus: Eam enim ob causam à me fabricatus, ut commode disjungi, rursusque coaptari certis in locis per cochleas posset, atque cistæ impositus, una cum suo fulcro, quod pariter in partes distribui queat, in alias Regiones, non saltem maritimo itinere navi (quod tutius foret) sed & terrestri, curru vehi posset, atque sic Poli Altitudines in variis terris accurate explorari. Neque enim solummodo Solis ac siderum intercapedinibus; sed & earundem Altitudinibus rimandis, hoc Instrumentum (ut dixi) apposite inservit. Quando autem sublimitates eorundem hoc capiendæ veniunt, ita disponendum, uti præsens figura exhibet. Cujus explanata primum fabrica, postea usum brevibus indicabimus. Est hic sextans A B C totus undiquaque Orichalcicis laminis imbutus, idque adeo concinne, ut ex solido diceres Orichalco fusum, nulla apparente combinationis rimula. Habetque à Centro ad circumferentiam quatuor cubitos. Estque juxta centrum Cylindrus A, cujus beneficio observationes fiunt intermediante pinnacidio inferiori M in Regula A N M. Pinnacidium vero illud, duas habet rimulas, tantum invicem distantes, quantum Cylindri diameter exigit, ut hinc inde paralleliter fiat observatio, sidusque centraliter citra hallucinationem denotetur. Divisio circumferentiæ B C & per puncta transversalia, prout alias à nobis fieri consuevit; cum hic modus juxta nostram experientiam omnium sit & aptissimus, & in conficiendo facillimus, nullique incertitudini obnoxius; veluti is in fine supra dicti libri de Cometa anni 77. (uti prius quoque monui) plenius explicatur, quem etiam alii postea in Germania sibi attribuerunt, ex quo Wittichius eam apud me conspectam una cum pinnacidiorum ratione Cassellis patefecit, & forte etiam pro sua venditavit. Notandum vero, quod quando Altitudinis Solis fiat observatio, commodissimum sit, ob exactiorem umbræ discriminationem ipsi Regulæ juxta sua dioptra & pinnacidia applicare oblongum quendam canalem quadrilaterum, qui ex levi quadam constat materia, ne suo pondere Regulæ, ejusque pinnacidiis officiat. Relinquat vero is juxta Cylindrum A, tam supra quam infra aliquid vacui apertum instar rimæ, quo radii solares utrinque permeantes umbram Cylindri quadrilateram ab interiori parte inferioris pinnacidii intra quadrilateram figuram umbræ analogam expressius ostendant, fitque ob id ibidem apertio quædam canalis, per quam id commode & discrete introspiciatur. prout alias etiam in Solis observationibus, ut luminis & umbræ extremitates promptius pateant, factitare consuevimus. Componitur hoc & disjungitur Instrumentum in cochleis quibusdam firmis A B C D L, tum quoque pluribus in locis per literas hîc non repræsentatis. Sed Arcus ejus una cum sua subtensa B C non separantur, verum conjuncti semper manent, ne idem Arcus de suæ circumferentiæ ductu exquisito quidpiam remittat. Pedestale insuper habet, cui affigitur, quando Altitudines ejus desumendæ (uti hîc) quod per E G H exprimitur, cui in rotundo foramine per claviculum juxta D infigitur, & hinc inde motum firmatur tandem inferius apud cochleam G: ubi

SEXTANS ASTRONOMICUS
PROUT ALTITUDINIBUS
inservit.



G: ubi perpendiculum circa L appositum inferius ad C circa divisionum terminum, indicat latus A B, Horizonti ad amussim æqui distare. Est autem L punctum, in quo filum tenue Orichalcicum appendendum venit, medium inter A centrum & B finem circumferentiæ: sicque evadit Triangulum isosceles A B C. Nam Circuli semidiametrum & subtensam sextæ partis circumferentiæ invicem adæquari ex Geometriæ rudimentis notum est. Cumque linea C L cadat orthogonaliter in lineam A B, & perpendiculum, lineæ C L uniatur per adaptationem; necessum erit, hanc Zenith capitum respicere, illam vero horizontis planum; ita ut non minus hîc Instrumenti pro Altitudinibus dispositio exacta confieri queat, quam si integro Quadrante uteremur. Pedestale autem ejus sive fulcrum est è firmo ligno compositum illa forma qua vides: Interius tamen pro majori parte cavum, ne nimio pondere vecturam molestet. Habet nihilominus, ubi opus est, sua quædam ferramenta hinc inde accommodata: quo à contusionibus & damnis tutius sit: Et insuper adsunt tria oblonga, ex ferreo fulcimina à medio ejus usque in pedis extremitatem, quorum duo per I H indicantur: tertium à posteriori parte latet, quæ per suas etiam cochleas apponi & auferri possunt. Sunt præterea quatuor cochleæ chalybeæ, quæ totum Instrumentum sustentant, quarum tres literis H signantur. Quarta ab altera parte non conspicitur. Hæ, ut Instrumentum rite & firmiter dirigatur, commoditatem præbent, dum supra quasdam laminulas Metallicas infra positas, ne pondere & acumine subjectum pavimentum inæqualiter premant, circumgyrantur, donec Observator Instrumentum ad planum Circuli alicujus verticalis conformiter dispositum, idque ex perpendiculo appenso adinvenerit.

Vsus ejus est, quando sic tractatur, in omnibus Altitudinibus tam luminarium, quam cæterorum siderum errantium & inerrantium exacte intra tertiam vel quartam minuti partem dimetiendis; modo sextam Cœli partem non exuperarint. Quin & hic firmato aliter Quadrante, ita videlicet ut A C Zenith respiciat, reliqua pars haberi potest. At solæ Altitudines sic deprehenduntur, non autem simul Azimutha. Talis sextans admodum accommodus est non solummodo Altitudinibus, sed & Distantiis stellarum ad amussim rimandis. neque difficultatem aut incertitudinem aliquam in hac pragmateia suggerit, cum paucis constet partibus, iisdemque (uti dixi) inter se firmiter contignatis; ne inter observandum extra debitum tenorem quidpiam in eo distrahatur: unaque id præstat, (quod & antea innuimus) ut in alia etiam loca non difficulter, & absque læsione atque incommodo transportari queat. Quod in quibusdam Instrumentis, quatenus fieri potest præstandum venit: ne servi locorum simus. Oportet enim Astronomum potius, quam alius Philosophiæ partibus deditum κοσμοπολίτην esse, & ubique locorum, prout fert commoditas vel necessitas suam reputare Patriam.

Alia in eodem Observatorio majori versus meridiem, descripta jussu Tychonis.

II.



Semicirculus, cujus diameter sex cubitorum est in longitudine, Perpendiculum & regulam habet in extremitate diametri, ad initium circumferentiæ, applicatam. Divisus est undique in 90 gradus, ita ut 45 directe superius in medium Arcus sub perpendicularem incidant. Estque orichalco obductus & insistit horizonti Azimuthali è solido constanti ferro, atque in dimetiente habenti 4 cubitos, quem 5 columnæ cum suis cochleis ferreis, (quas perennes vocant) quibus totum instrumentum in æquilibrium horizontis dirigitur, sustinent. Hic semicirculus undiquaque suo manubrio circumagi potest. Munitus est ab altero latere firmis & ferreis vectibus tanquam sustentaculis, ut positum suum in plano circuli verticalis ubique conservet. Insistunt ei supernè, ornatus causa, Geometria & Arithmetica, porrigentes Astronomiæ adhuc sublimius dispositæ auxiliatrices manus; hæc numeris, illa triangulis; sculptilibus omnes tres affabre expressæ imaginibus.

III.

QVadrans; qui tota sua superficie à centro ad circumferentiam è solido constat Orichalco. Complectitur in Radio $1\frac{1}{2}$ cubitos, habetque, præter usitatam divisionem, alias etiam binas peculiares Distributiones. Intra quoque Horisontem (qui Chalybeus est, atque in dimetiente circiter 3 cubitos occupat) pedale habet, cui insistere licet, ut Quadrans ad perpendiculum suum dirigi, observationibusque accommodari possit.

IV.

REgulæ Ptolemaicæ Orichalco omnibus suis partibus vestitæ, in quibus duorum Angulum quæsitum ambientium laterum quodlibet 4 cubitos continet: divisioque Hypothenusæ Tabulæ Sinuum sex Cyphras pro Sinu toto comprehendenti, omnimode satisfacit. Habent ad basin erecti lateris cochleas suas, quibus ad perpendiculum (quod ab hoc ipso latere dependet) totum instrumentum rectificari potest: incluso thecæ perpendiculi filo, ne vento quocunque flante dimoveatur.

V.

ALiud item instrumentum pro distantiis, quæ 30 gradus non excedunt, per unicum Observatorem capiendis est. Arcus hujus ex ære est, & usurpabatur quam maxime in Nova Stella; habetque illud 4 cubitos à centro ad circumferentiam: sed anno 1591 jam antiquatum, ut ipse Tychonis amanuensis.

VI. Por-

VI.

PORRO Quadrans cum ſuo Horizonte, Regulis, Cochleis, quæ omnia ex ſolido facta ſunt orichalco. Hic disjungi viciſſimque conjungi poteſt; & quocunque libeat transferri. Comprehendit in Radio à Centro ad circumferentiam $1\frac{1}{2}$ cubitos, & in Dimetiente Horizontis paulo ultra.

VII.

IBidem quoque Armillæ Zodiacales conſpiciuntur, quarum circuli ex ſolido ære fuſi tornatique ſunt. Cubitos fere 3 continent in diametro, adeo ut gradus ſingula ſua minuta per puncta transverſalia comprehendant. Verum Inſtrumentum hoc citra uſum eſt. Nam iſtæ armillæ nimirum ſe ſuo pondere aggravant; ita ut non tam exacte per has, quam alias Æquatorias aut Zodiacales Armillas obſervetur.

Cernitur inſuper juxta Obſervatorium hoc magnum Horologium Orichalcicum, quod Horas, minuta & ſecunda notat, idque paucis exceptis, per unicam rotam; quæ cubitos duos in Diametro habet, ac in 1200 denticulos diligenter diviſa eſt. Proxime huic duo alia minora Horologia, quæ horas, minuta & ſecunda indicant, appenſa ſunt.




ARMIL-

ARMILLÆ ÆQVATORIÆ,

Earumque fabrica & usus.

In Observatorio minore Meridionali N.

Armillæ.




Rmillas quoque Æquatorias fieri curavi, quarum Ideam hic vides. Exterior Armilla Meridianum repræsentat. Estque tota Chalybea, ad amussim undiquaque levigata, & Divisionibus toti Circulo competentibus, ita ut singula etiam contineat minuta, distributa. In qua cætera quoque, quoad perpendiculum, Polos & Axem intelligenda veniunt; prout in prioribus. Quæ vero intra hanc continentur, tres sunt Armillæ, ita ut totum Organum 4 constet, uno amplius quam antecedens: præter Axem teretem atque Cylindrum illi infixum: quæ etiam unius Armillæ vices commode supplent. Habet autem hoc Instrumentum propterea tres Armillas interiores, excepto Meridiano, eo quod Æquator sit circumvolubilis, non autem quiescens, ut in priori. Ideoque Armilla I F G H indiget, eam sustentante, & Orthogonaliter cohibente, quæ etiam è puro constant Chalybe, quo fortior ad id munus existat; nullis tamen distinctionibus insignita. Ipse vero Æquator, de quo dixi, per P S R indicatus, suas habet divisiones usque in singula minuta, & eas quidem tam ab una quam altera superficie; prout vel Æquatoriis distantiis, vel etiam temporariis momentis discernendis usus postulat: & pinnacidia illi adaptata sunt juxta R & P, tum quoque plura hic non efformata, quæ observationi inserviunt: quorum eadem est forma, prout in antecedenti, tum quoque similis ratio subdivisionis Graduum. Alia vero Armilla interior, quam N K L M literæ designant, Declinationibus rimandis, prout antea, idonea est. Estque intra Æquatoriam, quam Orthogonaliter transit, convolubilis, ut in loco sui contactus puncta etiam Æquatoria indicet convenientibus laminulis juxta S & M positis. Habet insuper sua pinnacidia juxta Q & O & duo alia hic non depicta: sed pariter ab altera parte intelligenda. Divisiones quoque insunt, singulis Quadrantibus minutatim competentes. Omnes autem illæ Armillæ intra Meridianum comprehensæ sunt undiquaque Orichalcicis laminis superinductæ; idque tanta subtilitate & levigatione, ut diceres totas esse ex solido fusas Orichalco. Axis quoque teres Orichalcicus est, uti & ipsa pinnacidia. Perpendiculum R T è filo constat tenui Orichalcico, prout alias nobis moris est. Cætera si quæ hic omissa, ex ipso intuitu assequeris, prout etiam in prioribus. Incumbunt hæ Armillæ sustentaculo sive pedestali è solido Chalybe constanti: quod per X T V Y Z, reliquasque interpositas literas designatur: Cujus superior pars semicircularis ex G W V ipsum Meridianum reliquas Armillas comprehendentem, ab inferiori parte continue ambit & sustinet; additis quatuor tenaculis, uti & in priori. Reliqua forma hujus pedestalis satis ex ipsa figura liquet: ubi quædam præter utilitatem & corroborationem pulchritudinis causa addita sunt; quæ tamen & ipsa fulcimenta præbent; omniaque ex solido (uti & antea dictum) constat chalybe. Infimusque his substratus Circulus Z crassus & ferreus, à quatuor suis Æquidistantibus locis cochleas habet: Quibus in quadrato lapide substernuntur quædam parva ferramenta, ut in iis cochleæ hæ circumductæ totum Instrumentum eo dirigant, quo Armillæ Cœlestibus analogæ requiruntur: Idque intermediante perpendiculo B T, quod & planum meridiani Mæchanici cum Cœlesti unit, & ejus insuper dispositionem ratione Elevationis Poli ordinat: adeoque omnes interiores Armillas Cœlestibus Circulis, quos æmulantur, analogas reddit. Estque tota machina in seipsa satis robusta, nec alterationi facile obnoxia, cum undiquaque metallica sit.

Æquator. *Pinnacidia.* *Pedestale.*

Usus.

Usus ejus est similis cum illis quæ in Septentrionali Observatorio S. nisi quod hîc Æquator, pro lubito revolvatur intra Meridianum. Declinationes accipiantur pariter, uti prius in Armilla Declinationum, apud suum Cylindrum juxta A centralem per pinnacidia convenientia. Æquatoriæ Distantiæ, sive ascensiones rectæ in Armilla transversa æquatoria prout & antea, nisi quod hic ejus Armillæ Chalybeæ, quæ has ipsas portat, aliquis etiam usus in hac pragmateia esse queat. Accedit & hoc commodi, quod quando stella aliqua in sua debita ascensione recta sic collineatur, tunc punctum æquatoris Meridianum transiens ascensionem rectam medii Cœli indicet: ideoque etiam ipsissimum temporis momentum, cognito nimirum loco Solis exacto, veluti eum nostræ suppeditant Tabulæ. Potest etiam figi Æquator in Meridiano, & sic per pinnacidium in eodem motum, cujusvis Astri ab eodem capi Distantia, hincque temporis momentum cognosci; uti & in priori: quod antea indicare omisi: sicque per hæc duo Instrumenta Armillaria tam Ascensiones rectæ,

ARMILLÆ ÆQVATORIÆ.



qu
lif
ma
m
uf
Af
pi
pu
in

Cochleæ.

ce
po
fta
tra
m
pr
en
ce
ita
fec
&

quam Declinationes una cum temporum subtilissimis momentis, quæ omnia in Astronomicis maximum habent usum; Cœlitus dimetiri commodum est. Plura de hujus Organi fabrica & usu si quis requirit, consulat Progymnasmatum Astronomicorum Tomum nostrum primum capite secundo: Quæ tamen pro majori & præcipua parte hic, præter quædam alia, sufficienter indicata sunt.


Cochleæ.


Subjungam vero & hoc, quod hæ Armillæ certis cochleis disjungi queant ac rursus componi. Idem potest fieri in ipso Chalybeo pedestali sive fulcro: ita ut commode in alia loca transvehi queant. Id quod in omnibus Instrumentis, ubicunque sine eorum detrimento id præstari potest, efficiendum est. Oportebit enim Astronomum esse κοσμοπολίτην, ita ut, si necessitas & usus postulet, non uni alicui Regioni ita adstrictus sit, quin aliò etiam migrare, & sua secum ferre Instrumenta libere & lubenter velit & possit. Cum enim paucissimi sint, qui hisce arduis disciplinis & exercitiis occupentur, & rarissime inter Politicos, qui Reipublicæ administrationi præesse volunt, inveniantur aliqui, qui his impense delectentur, eaque fovere & sustentare consultum ducant; sed longe plures, qui ea ob ignorantiam aversantur atque inutilia æstimant; non oportet Divinæ Astronomiæ alumnum talibus imperitis judiciis obnoxium esse, sed ea ex alto negligere, & nihil satius existimare, quam hisce invigilare studiis, nihilque aliorum moveri importunitatibus. Cumque nimis sunt molesti, sive politici sive alii, se suaque alio transferre: adeo ut ne natale quidem solum, quod dulcedine cunctos allicit, immemorem nec sinit esse sui; hisce Cœlestibus & sublimibus curis, quæ immortalitatis vestigia præ se ferunt, anteponere doceat: sed constanti & perseveranti animo semper in omnem rerum eventum secum cogitare, quod

Vndique terra infra, Cœlum patet undique supra,
Et patria est forti quælibet ora viro.



DE


INSTRVMENTVM PARALLATICVM, sive
REGVLÆ PTOLEMAICÆ
NIC. COPERNICI.


INSTRVMENTVM PARALLATICVM
TYCHONIS BRAHE.

DE INSTRVMENTO PARALLATICO,

In Observatorio magno R, quod est versus Septentrionem, Ejusque fabrica & usu.

De hoc instrumento Parallatico acturi, satius existimavimus ectypum adhuc Regularum Ptolemaïcarum ex majori Observatorio O præmittere; tum quod materia ejusdem sint, tum quod Tycho illas ambas eodem fere filo intexuerit.


INstrumentum hoc Parallaticum, quod aliàs Regulas vocant Ptolemaicas, etiam conficere lubuit, siquidem paucis requisitis, tribus nimirum regulis Distantia stellarum à vertice; ideoque & harum altitudines succinctè metitur. Accepi autem ejuscemodi è lignea saltem materia totaliter constans, quod olim fuerat incomparabilis illius Copernici; adeoque ipsius manibus (uti dicebatur) elaboratum, quod mihi dono missum est à Domino Iohanne Hannovio, Canonico Warmiensi, ubi antea vixerat Copernicus: Cum anno 1584 quendam è studiosis meis in exercitiis Astronomicis mihi inservientibus cum Sextante ad instar ejus, qui tertio loco superius elucidatus est, eo ablegassem, ut Elevationem Poli, qui Warmiæ est, exactissime, hoc intermediante dimetiretur. Suspicabar enim tria proxime minuta in Copernici circa hanc observatione desiderari; de quo motus Solis, & Eclipticæ obliquitas maxima aliter se habentia, quam ipsius suppeditant numeri, me commonefecerunt. Quod & ipsa experientia, ita se habere comprobavit. Inventa est enim meo Organo ex plurimis tam ad fixas quam Solem habitis animadversionibus, Poli isthic sublimitas partium 54 min. $22\frac{1}{4}$. Vti latius à nobis in Progymnasmatum Astronomicorum Tomo primo pagina 34, & sequenti demonstratum est: quo in loco causas lapsus Copernici in motu Solis non rite ab ipso redintegrato ostendo. Præsupposuit vero Copernicus ejus loci Latitudinem ex sua observatione part. 54 min. $19\frac{1}{2}$. Deficiunt igitur apud ipsum ab exacta norma 3 minuta minus, quod plane antea ex ipsius Dedomenis & superstructis numeris circa Solarem motum colligebam. Reversus autem ad me Studiosus ille meus, non saltem sextantem, quem tradideram, omni parte illæsum reportavit, sed hoc alterum Coperniceum Parallaticum mihi ab eo, de quo dixi, Canonico, dono missum attulit. Quod, quam primum conspexi, utut ligneum esset, atque usui inhabile; ita tamen placuit ob memoriam tanti artificis, à quo confectum ferebatur, ut me continere nequiverim, quin actutum Heroïcum Carmen, quod in Epistolarum Astronomicarum Tomo nostro primo pag. 295 atque sequenti reperitur, concinnarem. Quin & paulo post ad ejus imitationem quoddam aliud Orichalcicis laminis inductum confieri feci, paucis quibusdam commodioris Vsus gratia mutatis & superadditis: quale hoc est, quod hîc repræsentatur. Suntque tres regulæ D E, & E F, & F D, quarum prima qua versus Zenith attollitur E D, habet superius aliam juxta D sibi associatam, atque in tereti Orichalco convolubilem. Suntque ambæ ejusdem longitudinis, nempe quælibet quatuor cubitorum, modo superioris longitudo capiatur à litera D in F. Quæ enim pars productior est, nimirum F G, saltem ob id additur, ut aliam oblongiorem regulam intra se contineat & coërceat. Nam est bifurcata. Tertia vero regula E H quæ longior est, & pariter juxta E priori D E annectitur, etiam ibi convolubilis; eam habet longitudinem, quæ requiritur, quando bina latera D E & E F angulum rectum comprehendunt: ubi nimirum regula D F ita sublata est, ut Horizontis æquilibrium respiciat. Dioptræ autem, per quas Siderum collimatio fit, sunt in eadem regula juxta H & I, atque per rimulas priori pinnacidio parallelas supra & infra, modo à nobis invento rem expediunt. In Coperniceo Instrumento erant loco horum foramina, per quæ stellæ difficillime visuntur. Accedit & hoc disconvenientiæ, quod anterius foramen in pinnacidio I constitutum, amplius altero esse oporteat, si stellæ per illud commode conspiciendæ sunt: Cumque hoc dat, aliquotam partem unius Gradus occupet necesse est, utpote ad minimum octavam vel decimam partem. Ignoratur autem inter observandum, an stella exacte in foraminis ejus Centro conspiciatur nec ne: atque sic aliquot minutorum jactura admitti potest; ut mirum sit, quomodo non solum Copernicus; sed & veteres, qui talibus utebantur dioptris, aliquid certi, etiamsi cætera recte se haberent, sic assequi potuerint. Divisiones æquales in regula sunt oblongiore per puncta transversalia, uti nobis moris est, designata: Suntque tot, ut ultimum numerum Canonis sinuum, sex zyphrarum requisito loco, nempe in eo, qui primis duabus Regulis adæquatur, ut fiat Triangulum æquila-

terum, adimpleant. Notandum insuper, Regulam D K, quæ verticem respicit, interius cavitatem quandam obtinere, in qua filum tenue Orichalcicum à superiore parte dependens, inferius juxta K plumbeolum habet, ne à vento filum, quod interius sustinet, admoveatur. Nam & janiculæ oblongæ apud hanc cavitatem additæ sunt, quæ aperiri & claudi possunt, prout opus fuerit in eum (de quo dixi) usum. Quod in convenienti signatura isthic addita, monstrat, quando latus D E exactissime verticem respicit. Idque ita effici potest, per cochleas inferiores ad A in pedestali, quæ ferreolis in L circumgyrantur. Inhærent enim hæ tres Regulæ columnæ C B, quæ dicto pedestali insistunt, ita ut rotundis claviculis hinc inde convolvi queant. Quam commoditatem, quoad fulcra, ego huic Instrumento addidi. In Coperniceo enim non erat. Addidi etiam plumulam, quæ est juxta G, efficientem, ut in quovis angulo observato quiescat regula A F donec in latere longioris numeratio peracta sit. Applicavi & alia quædam commodioris usus & tractationis gratiâ: quæ singula commemorare supersedeo; ne videar Antecessorum inventa nimis corrigendo elevare.

Vsvs hujus Parallatici est in capiendis Distantiis siderum à vertice, prout Ptolemæus in Lunâ ut plurimum factitavit, præsertim propter ejus latitudinem maximam exquirendam: licet idipsum non satis subtiliter neque universaliter assecutus sit; veluti patet ex iis quæ nos Progymnasmatum supra dicto Tomo cap. 1. circa Lunæ orbitam in appendice quadam restituimus. Vbi ex accuratis observationibus indicatum est, latitudinem Lunæ maximam, quæ contingit in pleniluniis, uon eandem esse, quæ in Quadraturis; notabili intercedente differentia, utpotè, quæ tertiam Gradus partem attingat: prout isthic latius per suas circumstantias & occasiones videre est. Angulus autem distantiæ à vertice F D E haberi potest ex Canone fœcundo aut etiam Sinuum intermediantibus partibus F E. Dantur enim in Triangulo duo æqualia latera FD & ED. Tertium vero FE in regula longiore peracta observatione numeratur. Quare angulus FDE latere non potest, qui remotionem Sideris à Zenith metitur. Ejus vero complementum ad Quadrantem est altitudo quæsita. Habent hæ Regulæ & hoc commoditatis, ut facili negotio resolvi & complicari queant, atque in quævis loca transportari. Verum, ut dicam id quod res est, eam præcisionem & certitudinem satis constanter non præbent, qualicunque tandem diligentia elaboratæ, quam Quadrantes antedicti. Difficillimè enim Regulæ lineæ rectæ amussim diu retinent. Et si longiores fuerint, suo pondere se inde reclinant. Sin breviores, id quod pollicentur sua parvitate præstare nequeunt.

DESCRIPTIO PARALLATICI

in Observatorio R.



Go vero annis aliquot anteà alias Regulas in Turri quadam extruxeram, eam totam suâ circumgyratione, quando opus erat, adimplentes. Idque peculiari quâdam ratione, partim Hipparchianum vetustissimum (ut fertur) modum imitante; partim vero novis additionibus à me ipso excogitatis stabiliori & commodiori usui destinatas: quarum structuram sequens repræsentat figura: in quâ A D intelligatur prima & fundamentalis regula ad Horizontis planum disposita, & prout opus fuerit, revoluta: quæ sua longitudine $8\frac{1}{2}$ cubitos adæquat. Continetque in superiori sua superficie canonis sinuum numeros artificialiter per puncta transversalia meo more divisus, sex Zyphrarum, bis numeratos. Huic adæquantur binæ aliæ regulæ simul sumptæ: cum videlicet eidem applicantur: nempe A B & B C. quarum quælibet $4\frac{1}{4}$ cubitos in longitudine continet. Annectitur vero prior A B principio longioris juxta A, ita ut in eo attolli deprimique possit, simulque secum trahere posteriorem B C eidem juxta B convolubiliter affixo. In hisce autem duabus minoribus regulis nullæ sunt divisiones, sed prior saltem AB habet dioptras & pinnacidia, per quæ collimatio fit, rimulis in inferiori pinnacidio juxta oculum ad E; ulteriori ad F, undiquaque parallelis: ut tam in Altitudinibus quam Azimuthis quaquà versum circa hæc fiat collineatio. Omnes autem hæ tres Regulæ ubique Orichalcicæ sunt, subtilissimè levigatæ & expolitæ. quadrilateram justa magnitudine, nè incurvationi obnoxiæ sint, obtinentes formam. Vt vero commodius, quoad duas superiores, attolli remittique possint, additum est illis extans quædam sustentaculum per L N O P indicatum, quod etiam inferius suum habet fulcimentum, repræsentarum per P V Z. Iuxta V vero est Cochlea, quæ ipsum fulcimentum in substructo totius Instrumenti basimento (de quo postea) ad W circularem laminam undiquaque dirigit, ne suo se pondere aggravet. Extans autem versus Zenith structura id habet commodi, ut regulas supremas (prout dixi) attollat, easdemque pro libito remittat unaque in suo plano, ne hinc inde distrahantur, coërceat. Attolluntur autem & remittuntur intermediante funiculo K L N M, qui superius juxta L N rotulam habet in quâ aptè trahitur: idemque primæ regulæ annectitur juxta K, ubi supposita metallica figuratio, quæ in clavo rotundo

tundo convolvitur, adeo interius patens est, ut pinnacidium ad F. ex oculo juxta dioptram E undiquaque nullo obstaculo discerni queat. Habet & hoc commodi ut per perpendiculum, quod in Q definit, Instrumentum situm examinet: an videlicet A D Horizontem exacte respicit: L N P O eidem sit Orthogonalis. Quamvis idipsum quoque ex perpendiculo B R scrutari liceat. Debet enim id ubique intermedium esse A & C. Porro quo commodius attollantur Regulæ, atque in stato loco (prout lubuerit) quiescant, tum quoque, ne hinc inde vacillent, sed idem planum cum inferiori & longiori substantiâ ubique retineant: quomodocunque sursum vel deorsum agantur. Additi sunt illis utrinque duo Quadrantes I H G, intra quos prior Regula continetur & movetur, apposita plumula tenaci juxta H, suntque hi Quadrantes Orichalcicis laminis undiquaque inducti. Habentque à centro A usque in circumferentiam I fere tres cubitos. Demum ubi Divisiones peracta observatione juxta C exempli loco numerandæ sunt, acutissime per chalybeum indicem isthic indicantur, ut utrinque juxta C plumulæ sunt chalibeæ, quæ etiam in continendo regulam B C nè sua gravitate recidat, juvant.

Præterea fulcrum sive basimentum (de quo antea dixi) in quo totum Instrumentum ab una parte, præsertim posteriore quiescit, & circumgyratur, per X W intelligendum erit, in quo superius juxta T cochlea est perennis, instar earum de quibus anteà in Instrumento semicirculari dixi, quæ per manubrium ad T sublata & depressa, totum quoque hoc Organum rite dirigit; ita ut inferior & longissima Regula Horizontis plano exacte correspondeat, planeque conveniat. Tandem etiam extima Regulæ pars D muro circulari incumbit, qui per literas Y exprimitur: Habetque sub se in eodem Muro firmo circulum azimuthalem Orichalcicum, convenienter subdivisum, & superficiei Horizontis analogum, correspondentemque Altitudini, quæ est prioris basimenti: Estque in Diametro duodecimi cubitorum.

Vsus totius Instrumenti est is, ut illius beneficio tam Altitudines (per ipsas nimirum Regulas, ubi videlicet infimam attingit) pandat; quam ipsa Azimutha, ubi ejusdem extremitas prope indicem apud D, Azimuthalem Horizontem stringit & notat. Altitudines vero sic habentur: Cum ambo latera duarum regularum A B & B C æqualia sint, tertiumque A C secundum Observationem & numerationem constet: ignorari nequit, Angulus B A C, Altitudinem quæsitam exhibens. Idem alia ratione perficitur, si numeretur, ubi perpendiculum BR inferiorem regulam in suis divisionibus attingit, facto initio ab A. Tunc enim datur Triangulum rectangulum; cujus unum latus cognitum ex structura, alterum numeratum secundum Observationem. Quare angulus ad A, qui quærebatur, ignorari nequit. Quorsum vero Altitudines & Azimutha pertineant, è pragmatica Astronomica discendum, prout antea insinuavimus.

Hoc Instrumentum ob quantitatem & longitudinem priores Regulas excedens, præcisius omnia exhibet, magisque stabile & usui aptum est: præsertim quoad Altitudines capiendas. In Asimuthis enim unà rimandis aliqua subest difficultas ob ipsam Instrnmenti magnitudinem & molem. Quæ tamen adhibita aliquali diligentia præcaveri potest: ita ut inferior Regula ante Observationem collocetur, & figuratur immobilis incerto aliquo Azimutho, versus quod sidus observandum vergit: & tunc apud perpendicula provideatur, antequam Altitudo accipitur; ut omnia ritè disposita sint, tam secundum æquilibrium Horizonti, quam planum verticale. Tunc enim & Altitudo & Azimuthum circa errorem sensibilem depromi hoc Instrumento poterint, non minus quàm Quadrantibus maximis superius explanatis.

Alia in eodem Observatorio majori Septentrionali, descripta jussu Tychonis.

X.

Dimidius Sextans habens duos diversos arcus, magnitudine æquales, quorum utrique suum proprium respondet centrum cylindricum. Factus est ex duorum circulorum sibi invicem æqualium portionibus, divisique sunt singuli arcus in 15 gradus, sic ut primus gradus in uno arcu, & primus gradus alterius dicta centra parallele respiciant. Hæc centra cubitum longum à se invicem distant, ut & initia divisionum in dictis arcubus, interstiliaque ista æquiparant, quasi quartam partem magnitudinis semidiametri circulorum, ex quibus instrumentum hoc suam habet proportionem. Innititur basi, eo modo extructæ, ut in omnia plana versus stellas dirigi possit. Vsus ejus est pro minoribus syderum intercapedinibus, si quando non facile per alios sextantes, ubi etiam duobus Observatoribus opus est, obtineantur. Hujus instrumenti longitudo est 4 cubitorum.

X I.

Chalybeum quoddam Instrumentum, cujus arcus in 60 gradus divisus est, incumbit circulis quibusdam & semicirculis, quibus quoque in omnes cœli partes commode dirigitur. Hoc stellarum Distantiæ per unicum Observatorem, licet non ita expedite & subtiliter, prout cæteris sextantibus, accipiuntur.

X I I.

Adhæc sextans bifurcatus Chalybeum habens arcum, cujus longitudo est 4 cubitorum. Obtinet pinnacidia bina diversa extra centrum, quibus oculi admoventur, & bina in arca, ad quæ radii visuales diriguntur, satisque præcise

ſtellarum diſtantias, licet aliquanto majori negotio rimatur.

XIII.

Celeberrimi viri Nicolai Copernici Parallaticæ Regulæ ligneæ, quarum diviſio in lineis atramento ſignatis conſpicitur. Has Copernicus ipſe propria ſua manu feciſſe ac uſurpaſſe dicitur. Sunt ex Pruſſiæ Fruenburgo, ſeu potius Cathedrali ejus ſede Warmia, ubi olim vixit Copernicus, à D. Iohanne Hannovio Canonico Warmienſi Tychoni dono miſſæ. Latera binarum regularum invicem æqualium 4 cubitos in longitudine habent. Hinc tertium ratiocinari licet, ut Angulus compleatur Rectus. Etſi vero hoc Inſtrumentum nullam utilitatem in Obſervationibus rite inſtituendis præbeat, non ſaltem quod nunc obſoletum & admodum antiquum ſit, verumetiam tum ob materiæ ligneæ inconſtantiam (quam tamen quodam ingenio, per alternatim in longum mutatis, ea qua creverunt diſpoſitione, inter conglutinandum aſſeribus emendare nixus eſt Copernicus) tum quoque diviſionis & foraminum non ſatis ſubtilem & convenientem ordinationem, aliiſque de cauſis, quas nunc præterire lubet: tamen Tychoni admodum charum erat, atque ob incomparabilis illius Copernici memoriam in precio id habebat, & ſartum tectum conſervabat.

Ne pagina vacaret, non inconveniens exiſtimavimus, Tychonis in Copernici Parallaticum compoſitos verſiculos ſubnectere, quo melius liqueret, quanti idipſum Tycho ſemper fecerit. Erant autem in Tabella prope idem inſtrumentum appenſi.

Is, qualem non Terra Virum, per Secula multa
Procreat, Invidia tardans quæque Optima, qualem
Ipſa ſibi vix Aſtra ferunt, per mille recurſus,
Tot Centriſque Poliſque licet, totque Orbibus Orbem
Tam rapido involvant curſu, nec laſſa fatiſcant:
Ille Is, qui Cœlo genitus, Cœleſtia Terris
Progenuit, ſed partu alio, quam priſca Parentum
Fert veterum ſoboles, Cœlo nec forſitan ipſi
Degeneri, Patriæ proprios ſub imagine vultus,
Sed magis atque magis referente, quod omnis Olympi
Teſtatur facies, vulgi licet inſcia turba
Non videat, quidnam revolutis congruat Aſtris:
Ille &, qui Cœlo poterat deducere Solem,
Ac prohibere loco, Terraſque involvere Olympo,
Et Lunam Terris, Mundique invertere Formam,
Ne qua parte tamen, quamvis converſa, dehiſcat,
Sed concinna magis, longeque minoribus uſa
Subſidiis, moti referat ſpectacula Cœli:
Ille, inquam, tantos olim Copernicus Auſus
His levibus Baculis, facili licet arte paratis,
Aggreſſus, toti Leges præſcribere Olympo,
Aſtraque celſa adeo, vili ſubducere ligno
Suſtinuit, Superûm ingreſſus Penetralia, nulli
Quam prope Mortali conceſſum ab origine Mundi eſt.
Quid non Ingenium ſuperat? ſunt Montibus olim
Incaſſum Montes congeſti; Pelion, Oſſa,
Æthnaque teſtantur, ſimul his glomeratus Olympus,
Innumerique alii, nec dum potuiſſe Gigantes
Corpore prævalidos, ſed Mentis acumine inertes,
In Superas penetrare Domos: Ille Inclytus, Ille
Viribus ingenii confiſus, robore nullo,
Fuſtibus his parvis, celſum ſuperavit Olympum.
O tanti Monumenta viri! ſint lignea quamvis,
His tamen invideat fulvum (ſi noſceret) Aurum.

ARMILLÆ ÆQVATORIÆ,

in Observatorio S.

Earumque fabrica & usus.




Rgana antecedentia eo potissimum spectant, ut Altitudines, & Azimutha sive seorsim, sive conjunctim, iis Cœlitus observentur. Quia vero horum in usum Astronomicum deductio præcipua ex parte calculo indiget Triangulorum, non omnibus facile obvio, & per se quibusdam laborem effugientibus tædioso, excogitatæ sunt aliæ machinæ, quibus stellarum longitudines & latitudines, quæ duo principaliter inquiruntur, minimo negotio & absque molesta calculatione haberi queunt; inter quæ, duo præcipuè veteribus in usu fuisse comperio; quorum unum Armillare Instrumentum appellabant, quod Hipparcho & Ptolemæo in usu erat. Ideoque ab iis denominationem sortitum. Alterum Torquetum dictum est, ab Arabibus aut Chaldæis (uti existimo) excogitatum Organum, iisque usurpatum. Idque in planis superficiebus circularibus idem præstat, quod prius in Armillis. Hoc autem posterius, nec dum confieri volui, quia, si machina requisitam habeat magnitudinem, suo se pondere aggravet, atque usui inhabilis fit. Cujus fabricam, si quis desiderat, Opus Astronomicum Cæsareum Appiani circa finem consulat, sive Schoneri libellum de eodem, Observationibus Regiomontani, atque ipsius discipuli Walteri civis Norinbergensis præfixum. Ibi voti compos reddetur. Armillare vero jamdudum confici curavi Instrumentum, in quo nonnulla ab Hipparcho & Ptolemæo usurpata, certioris commoditatis gratia immutavi.

Et licet hoc stellarum locis cito & prompte dimetiendis accommodum, atque forma à nobis constructum, minus quam alias, suas, quas continet, Armillas extra debitum planum vacillare permittat, tamen ne sic quidem id adeo exacte præcavet, quin unius vel alterius minuti hinc error obrepere possit: potissimum, quia Armilla Zodiacalis non ubique in æquilibrio volvitur, sed suo pondere se atque alias nonnihil extra debita plana, idque diversimode, distrahat. Quod etiam nullo modo in majoribus Zodiacalibus emendari potest, ob eo gravius armillarum pondus. In minoribus quidem non adeo sensibile est. At hæc sua parvitate Observationem in minutis exactam non admittunt. Atque hinc factum, ut rarius talibus Armillis; præsertim cum summa præcisio requiritur, uteremur.

Excogitavimus itaque Armillas quasdam Æquatorias, huic vitio non obnoxias, & quæ in Æquilibrio Axis Polorum Mundi hinc inde dispositæ in neutram partem suo pondere vel circumductione distrahantur, aut à plano Circulorum, quos repræsentant, ab exacta norma divelli possint. Forma autem earum est, qualis apposita figuratio ostendit. Suntque tres solummodo Armillæ cum axe quodam tereti; quæ tam æquatorias siderum distantias quam declinationes metiuntur. Prima earum & maxima A E S F cæteras continens & sustentans, Meridiani vices supplet: Habetque in diametro 4 ferme cubitos. Hinc cæteræ interiores æstimandæ. Ad cujus etiam planum disponi & regulari debent. Iuxta vero A & in opposito loco apud D habet Axem quendam (uti dixi) teretem, revolubilem cum Armilla interiore, Declinationibus dimetiendis inservientem, ad cujus medium locum (quod etiam omnium Armillarum Centrum est) Cylindrum apud G sibi Orthogonaliter infixum sustinet, ejusdem in sua diametro magnitudinis, prout ipse Axis. Attollendus autem Axis cum ipso, quem Diametraliter transit, Meridiano, donec in ejus Divisionibus, quæ singula habent minuta, perpendiculum B V supra & infra, complementum Altitudinis Poli ejus loci contingat; sitque uno plano Meridiani æquidistans, sive illud utrobique leniter contingens. Interior vero Armilla quam Declinationibus inservire dixi, per N M O P exprimitur: quæ etiam aliquando plano Meridiani uniri potest, & rursus intra hunc in quascunque partes circumvolvi, prout stellæ observandæ situs requirit. In duobus autem locis, ubi alteram ipsi ad angulos rectos transversalem Armillam, quo Æquatori deputatur, pertranseundo ambit, habet exterius laminam, indicantem ipsos Gradus & Minuta æquatoris utrinque, tam videlicet ab una, quam altera opposita parte. Continet etiam sua pinnacidia in quatuor locis, sive Quadrantibus; quorum hîc saltem duo apud M & O exprimuntur: in quibus rimulæ sunt parallelæ & æquidistantes Cylindro apud G, tum quoque ab altera parte Axi A D. Suntque singuli Quadrantes ab exteriore Armillæ parte ipsi oculo proxima in 90 gradus divisi, & quilibet horum in 60 minuta more nobis usitato & sæpius per puncta transversalia indicato. Altera vero Armilla transversalis, quam dixi Æquatoris munia sustinere, per H L K I ostenditur: quæ etiam in duobus oppositis locis Meridiano supra dicto apud C, & illi Diametrali firmiter annectitur, atque eidem ad amussim ad angulos rectos insistit, inque eo immo-

ARMILLÆ ÆQVATORIÆ.



QVADRANS MVRALIS, sive TYCHONICVS.



Vadrantem maximum per B D E C hic repræsentatum Muralem sive Tychonicum, à muro cui infigebatur dictum, etiam confieri curavimus, è solido Orichalco fusum & apprime levigatum quinque digitorum in latitudine, crassitudine duorum, quique in sua Circumferentia tantæ est capacitatis, quantam radius seu Circuli semidiameter pene 5 cubitorum postulat. Itaque gradus habet admodum amplos, adeo ut singula in his minuta adhuc in sex portiunculas subdividantur. Ideoque dena quælibet scrupula secunda discriminatim exhibet: adeo ut semis horum, quina videlicet secunda in his non difficulter discernantur: Eaque omnia per puncta quædam transversalia, subtilissime, modo nobis usitato signata.

Affigitur hic Quadrans muro cuidam M P Q exactissime Meridiem suo plano respicienti: Idque firmissimis cochleis, ut nulla vi aut robore à suo debito situ, qui præordinatus est, ut Quadranti Meridiani Cœlestis ab Horizonte in Zenith ducto, ab opposita tamen parte apprime sit analogus. Habet in altero muro L M N B, qui priori Orthogonalis est, & Orientem atque Occasum ad amussim respicit, superius, ubi Centrum est Quadrantis, Cylindrum quendam Orichalcicum inauratum, ne aëris injuriis sit obnoxius, aut quidpiam contrahat inquinamenti, qui exhibetur juxta literam A in foramine quodam Quadrato, ejusdem muri, quod exterius aperiri & claudi convenienti janicula potest, ut circa Cylindrum dictum fiat hinc inde collimatio cum sudum fuerit; idque per pinnacidia sive D sive E. Duo enim habet hic Quadrans, ut quocunque lubuerit, uti liceat: prout Altitudini mensurandæ magis opportunum fuerit. Et quodlibet eorum Quadratum in plano ad magnitudinem unius palmæ: Cui etiam Cylinder ante dictus sua dimetro omnino correspondet, ita ut per rimulas parallelas ipsis pinnacidiis applicatas fiat in omnibus quatuor locis collimatio: si & altitudo & transitus per Meridianum simul capienda sunt: Alias si sola desideratur Altitudo, per superiorem & inferiorem rimulam, similesque Cylindri partes, Observator, qui juxta F appingitur, negotium absolvit, & numeratam altitudinem alteri studioso, qui juxta G mensæ cum lucerna assidet, libro Observationum inscribendam indicat. Vt vero tempus Observationis atque ipsissimum momentum transitus per Meridianum una constet; Tertius quidam apud H notatus Horologiis I & K attendit, quando Observator apud F signum dat, quod etiam temporis momentum ab eo, qui juxta G sedet, libro inscribitur. Horologia autem, de quibus dixi, talia sunt, ut non solum singula Horarum minuta, sed & scrupula earundem secunda, qua fieri potest, præcisione indicent, & æqualitatem revolutionis Cœlestis æmulentur. Quod licet difficulter præstetur; tamen adhibita requisita diligentia quodammodo obtineri potest, & vitium, si quod obrepserit, animadverti & corrigi. Ideoque duo ad minimum esse oportet horologia ejuscemodi, quo unum alterum emendet, sicubi opus fuerit. Nos quatuor ejuscemodi in promptu habemus, quorum unum & maximum tribus rotis rem omnem expedit, quarum major è solido & puro Orichalco fusa 1200 habet denticulos. Est enim in diametro duorum cubitorum. Cætera hinc æstimentur. Reliqua tria horologia minora sunt, & pluribus constant rotulis. Quæcunque intra Quadrantis circumferentiam cernuntur picturæ, ornatus solummodo gratia additæ sunt, & ne spatium interceptum otiose vacaret: quas etiam brevibus elucidare, licet minus ad rem faciat, non erit usque adeo inconveniens. Infra literam T appicta est mei effigies, sellæ ad mensam positæ assidentis in longa talari veste nonnihil sese reclinando, ita ut dexteram manum versus Cylindrum, indicanti similem porrigat, alteram mensæ juxta librum & quædam alia imponat, quasi sic indicarem meis studiosis, quid observandum sit; & quomodo in usum id redigendum. Hanc effigiem magna solertia expressit Tobias Gemperlinus eximius artifex (quem mecum Augusta Vindelicorum in Daniam olim receperam) idque tam competenter, ut vix similior dari possit. Est autem secundum staturam & magnitudinem totius corporis æquali forma repræsentata. Supra caput, juxta X, Globus quidam Orichalcicus inauratus efformatur, qui rotulis interius solerter adaptatis sponte revolvitur, motumque diurnum æmulatur, & una Solis atque Lunæ exhibet contraria curricula è Polis Eclipticæ: adeo ut etiam Luna se una secundum faces & illuminationes suas, eas augendo vel minuendo, convertat. Sol autem intra 24 Circulos horarios præter motum proprium, circa Axes Æquatoris cursu diurno revolutus, singulas diei horas una monstrat, tum quoque tempus ortus & occasus sui, atque

atque per meridianum utrinque transitus. Supra ipsum Globum, apud literam V Bibliothecæ nostræ aliqua pars repræsentatur. Ad Y vero & Z appendent binæ effigies intra rotundum ambitum solide efformatæ, quarum una est Regis Danorum Friderici II laudatissimæ memoriæ: altera Reginæ Sophiæ, ejus conjugis, qui me meaque studia Regio & clementi favore semper prosecuti sunt. Porro quæ in interiore pictura cernuntur, primo superius juxta numeros 1, 2, 3, 4, sunt aliqua ex Instrumentis meis isthic depicta. Deinde infra hanc contignationem Musæum exhibetur. Vbi juxta 5 & 8 mensæ sunt, quibus studiosi mei Astronomici inter calculandum vel alia huc spectantia agendum assidere soliti. Erant autem in ipso Musæo tales mensæ 4. Solebam enim semper ad minimum 6, vel 8, interdum 10, vel 12, tales sustentare studiosos, undecunque accitos: præter pueros & juniores ejuscemodi Discipulos. Intra has mensas cernitur apud 6, 7, post columnam, in medio Musæi rotundi constitutam, Globus ille maximus Orichalcicus 6 pedum in diametro. Tandem infra hæc omnia juxta numeros 9, 10, 11, spectatur laboratorium meum Chymicum, quod totum subterraneum & crypticum erat: in quo 16 varii generis & formæ adornaram fornaces Pyronomicas. Nam & huic studio impense, ab ineunte etiam ætate, non minus quam Astronomico addictus fui; magnaque diligentia, nec parvis sumptibus id excolui. Vltimo juxta pedes meos apud numerum 12 recumbit Canis quidam è nostris venaticus, qui admodum fidus & sagax erat. Isque in ea forma & quantitate depictus, qua cernebatur: non tam Nobilitatis, quam sagacitatis & fidelitatis hieroglyphicum. Sicque picturam universam, quatenus in tam parva forma imitari eam licuit, breviter expositam habes: quam tres diversi & excellentes Artifices mihi depinxerunt. Effigiem meam Augustanus ille, de quo dixi, pictor: Architectonica ista, & quæ his comprehenduntur, Architectus meus Iohannes de Embda Stenwichel effinxit. Quæ vero supra illa instar descriptionis Regionum & montium, ubi etiam Sol occidere visitur, depicta sunt, Iohannes de Antverpia pictor Regius Coronæburgensis apposuit. Quilibet enim ex dictis tribus artificibus in hoc ipso, quod fecerat, præ cæteris excelluit. Demum superius juxta R S est effigiei & totius picturæ inscriptio, prout vides.

Vsus hujus maximi Quadrantis est in rimandis accuratissime Siderum sublimitatibus intra sextam unius minuti partem, collimatione facta per aliquod pinnacidiorum è rimula superiore & inferiore juxta Cylindri utranque etiam circumferentiam hisce analogam: & numerando ipsam Altitudinem in superficie Quadrantis exteriore apud positum ejusdem pinnacidii. Potest etiam momentum transitus per Meridianum una ab utroque latere, tam pinnacidiorum quam Cylindri haberi intermediantibus horologiis accuratis, de quibus diximus. Quomodo vero ex data Altitudine & momento temporis, quo sidus Meridianum transit, adhibito motu Solis, ejus locus constet, Astronomis notum est. Confisus sum plurimum huic quadranti in restituendo motu Solis ex ejus Altitudinibus Meridianis, intromissa Cylindri umbra quadrata in interiorem partem alicujus è pinnacidiis in quadrata etiam figura umbram illam ad amussim excipiente & comprehendente. Adhibui nihilominus & alios magnos Quadrantes in consilium, ut res tam subtilis omni erroris suspicione vacaret.

DESCRIPTIO GLOBI MAGNI

qui est in musæo Tychonis.

XVI.



IN Musæo (ubi Tychonis Studiosi interdiu Studiis incumbunt, & Operationes Astronomicas exercent, ubi etiam ejus Bibliotheca reperitur, idque in media contignatione rotundæ Turriculæ versus Austrum) Globus magnus consistit, qui undiquaque selectis & densiusculis Orichalci laminis obductus est, idque adeo industrie, ac si ex solido metallo fusus foret; & exquisita etiam undiquaque constat rotunditate. Quin & singuli gradus tam in Æquatore, quam in Ecliptica, per puncta transversalia in sexaginta minuta subdivisi sunt. Habet enim in Diametro 6 pedes. Meridianus, in quo gyratur, ex integro Chalybe est, cujus quoque gradus universi in singula minuta distribuuntur. Horizon Orichalco spitamum lato superne obductus est, habens gradus suos Azimuthales. Fulcrum vero, quod circiter 5 pedes altum est, affabre factis ferramentis rite connectitur, ita ut Globum convenienter ac firmiter sustinere possit: in quo etiam varii artifices Mathematici inferius ornatus gratia depicti conspiciuntur.

Huic autem Globo in exteriori Horizontis limbo oculis primum obvio aureis literis sic circumscriptum est:

ANNO

ANNO A CHRISTO NATO cIↃ. IↃ. XXCIV,
REGNANTE IN DANIA FRIDERICO SECVNDO,
HVNC COELESTI MACHINÆ CONFORMEM GLOBVM,
IN QVO AFFIXA OCTAVÆ SPHÆRÆ SYDERA
COELITVS ORGANIS DEPREHENSA,
SVIS QVÆQVE LOCIS AD AMVSSIM REPRÆSENTARE:
ERRANTIVMQVE STELLARVM
PER HÆC APPARENTIAS PERVESTIGARE DECREVIT:
COELO TERRIGENIS,
QVI RATIONEM EAM CAPIVNT,
MECHANICO OPERE PATEFACTO,
TYCHO BRAHE O. F.
SIBI ET POSTERIS F. F.

Vſus hujus Globi eſt, qualis & aliorum Cœleſtium: Habet autem præ cæteris hoc ob ſuam magnitudinem prærogativæ, quod omnia in eo exactiſſime, adeoque in ipſo minuto exequi liceat; ſicque ſingula, quæ primi mobilis Doctrinam concernunt, & cœleſtium corporum obſervationes reſpectu Eclipticæ & Æquatoris, aliorumve quorumvis in Sphæra circulorum minimo negotio, & abſque laborioſa ſupputatione hic mæchanice perficiuntur.


Inveniuntur inſuper in hoc Muſæo alii Globi magni parvique ſex vel octo numero, partim cœleſtes, partim terreſtres; prætereaque omnis generis minora organa Aſtronomica & Automata. Parieti quoque, inter feneſtras, Tabulæ appenſæ ſunt, in quibus præſtantium aliquot Aſtronomorum Effigies depictæ cernuntur, utpote Hypparchi, Ptolemæi, Albategnii & Nicolai Copernici. Additur etiam Principis, D. Wilhelmi, Landgravii Haſſiæ, &c. ob inſignem rerum Aſtronomicarum peritiam, Imago. Quin & celeberrimi Poëtæ Buchanani Scoti Icon ſimul adeſt, quam D. Petrus Iunius, miſſus à Rege ſuo (cujus intimum agit Conſiliarium) in Dania Legatus, & Tychonem Uraniburgi inviſens, dono ei dedit. Hæc adeo appoſite Buchananum repræſentat, ut cum ipſemet Iacobus Scotorum Rex poſtmodum anno 1590 in Dania præſens Uraniburgum etiam veniſſet, quamprimum Tychonis Muſæum ingreſſus eſſet, hanc ſui olim Præceptoris Imaginem confeſtim agnoverit, illique nutu & digito applauſerit.

Adſunt inſuper ſeptem Philoſophorum Italicorum, qui ante annos circiter centenos floruerunt, Effigies una eademque Tabula comprehenſæ. Plurima etiam alias in hoc Muſæo Philoſophica Aſtronomicaque reperiuntur, quæ prolixum nimis foret hic recenſere.

Exornavit vero Tycho hoc Studiorum multis aliis elegantibus & Muſæo convenientibus rebus, atque hinc inde pluribus picturis, tum quoque Carminibus & ſcitis Philoſophorum dicteriis, quale eſt illud Platonicum in Epinomide, quo doctrinam numerorum & motuum cœleſtium unicam & veram ad diſcendum, & ſapientiam in hac vita aſſequendum, viam eſſe aſſeverat, quod lapidi porphyrio aureis literis inſcriptum eſt.

DESCRIPTIO STELLÆBVRGI, ET INSTRVMENTORVM

In Cryptis subterraneis ibidem dispositorum.



Xtra Arcem versus Meridiem, 70 circiter à Vallo passibus minoribus Observatorium quoddam peculiare T... cho in colle, pe... ptas quasdam, & ... quidem ab imo ad ... mum ex solido ... structas, fieri curav...

Totu... hoc Observatorium Stern... gum, à S... um Observationibus sumta D... ca denominatione, appellatur. Circumsept... est undique quadrata (intermixto tamen ver... 4 mundi plagas, rotundo ambitu) Galleria, ut... communiter vocant. Quæ omnia etsi in plano repræsentare difficile sit; tamen, quoad fieri potuit, ad Colophonem hujus descriptionis oculis subjicientur.

Primo apud litteram A, vestibulum portale habens ex lapide Gothico & Opere Ionico, seu potius Composito, scite elaboratum occurri... super quod tres sculptiles Leones coronati, (q... rum medius & altior Hieroglyphicum Scept... duobus sibi invicem orthogonaliter intra... etiam circulos Triangulis transpositis c... tenet,) collocati sunt; quibus hoc Hem... saxo peculiari excisum subscribitur, ... tacitis objectionibus, qui per imp... tantos tamque sumtuosos apparatus in... forte censeant, succincte & vere, quoad ... dum temporaneum, respondetur.

NEC FASCES, NEC OPES
SOLA ARTIS
SCEPTRA PERENNANT.

Infra vero hoc Hemistichium, statim supra Ianuam per quam descenditur, medio loco inter Tychonis familiæ Paternæ atque Maternæ Insignia Gentilicia, quæ in superiori parte hujus Portalis utrinque excisa visuntur, est aliud quoddam Hieroglyphicum, quod per annulum aureum Adamantem acuminatum gestantem, quem subiens loricata manus, decussatim binas hastulas tenens, quarum una vas Igne plenum, altera Aquam per rimas diffluentem figurat; utrisque extra annulum juxta Adamantem hinc inde pendentibus, repræsentatur. Circumscriptus autem est Versiculus, sensum Symbolicum exponens, qui est ejuscemodi.

NON INIMICA ABOLET
VIS VLLA
...C VNDA NEC IGNIS.

...de hujus vestibuli seu Portalis ...n respicit, idque in subsecutu... literam A, aliud magnum ... Porphyrio constans lapide, ... quæ occasionem & usum ... indicat, aureis literis exhibet, ut sequitur:

... D. O. M.
...TATIQVE SACRVM.


...ientiarum omnium antiquissimam & ..., diu quidem multumque cultam, non... e constitutam, aut à mendis vindica... i instaurandæ perficiendæque, varia ... invenit construxitque organa, ad ... corporum observationes sufficientia, ... impendioque incredibili, quæ partim ... causam exædificata Arce Vraniburgo, ...s ad constantiorem & opportuniorem ...ique ô inclyta omni ævo successura po... ...saurum rarissimum & preciosissimum commendans, dicans, consecrans; ut in æterni Dei, admirandæ cœlestis Machinæ opificis gloriam, artisque divinæ propagationem, ac patriæ honorem, perpetuo conserves, nec vetustate, aliove incommodo collabascere, aut aliorsum transferri, vel quocunque modo violari sinas: si nihil aliud authoris saltem universi vindicem reverens oculum:

Qui ea cuncta in hac insula & inchoavit, & absolvit; hoc monumento posito te rogat & obtestatur

TYCHO BRAHE O. F.

HAVE QVI HÆC LEGIS FACISQVE, ET VALE.

Quando autem in ipso vestibulo per Gradus descenditur sub litera B in sequenti harum Cryptarum figura, quadratum quoddam Hypocaustum subest, quod propriam habet Ianuam versus Septentrionem, supra quam sequens Epigramma in alio Porphyrio lapide excisum legitur:


STELLÆBURGUM sive OBSERVATORIUM SUBTERRANEUM, A TYCHONE BRAHE NOBILI DANO
IN INSULA HVÆNA, EXTRA ARCEM URANIAM, EXTRUCTUM CIRCA ANNUM M D LXXXIIII.
L
K
D
G
I
C
M
F
H
Amstelædami. Joannis Blaeu excudebat.

Vrania hæc cernens terrestria cœlitus antra,
Quæ nova sub terris techna paratur? ait.
Delapsa ingreditur: cæli quid Sidera celo,
Rursum ait, en tellus in mea Sacra volat?
Hic terræ in gremio quicquid seclusit Olympus
Panditur, has latebras Sidera nulla latent.
Quorsum opus immenso Cælos distare recessu,
Curve tot abstrusis Æthera volvo rotis?
Si penetrant humiles mea celsa Theatra cavernæ;
Ima etiam Tellus si dat in Astra viam.

TYCHO BRAHE F.

Est vero hoc, de quo loquor, Hypocaustum, totaliter subterraneum, nisi quod superius juxta humi planitiem in laquearium lapideum fornicatum assurgat, ut exterius instar colliculi appareat, terra & viridi cespite consultò obducti, quò Parnassum Musarum monticulum, quarum Urania & præcipua, & primogenita est, quodammodo repræsentet, idque intelligentibus saltem & Philosophiæ sublimioris alumnis; ex quo etiam Poëtæ hæc fabularum involucris texerint, ne vulgus imperitum capere posset.

Habet quoque hoc ipsum Hypocaustum quatuor fenestras statim supra terræ planitiem, ex solidis lapidibus laqueatas, idque in quatuor Angulis hujus quadrangularis vaporarii, quorum quilibet plagam mundi, meridiano & circulo verticali principaliori (qui videlicet huic ad angulos rectos consistit) prorsus intermediam, adamussim respicit; sicque in hoc Hypocaustum, licet subterraneum sit, satis diurnæ lucis intromittitur.

In singulis hujus parietibus, supra limbum arte fabrili lignaria ...boratum, binorum Astronomorum Effig... bentium, pictæ con... sint, quorum quilib... subscriptum habet,... breviter exprimit... subscripti Versus in... nunc subjiciemus.

TIMOCHAR...
vixit Anno...

Salvete Heroës, vet...
Ætheris ante alios ...

HIPPARCHVS RHODIVS
vixit anno 120 ante Christum.

Et qui mensus eras Solis Lunæque recursus
Hipparche: ac quotquot Sidera Olympus habet

CL. PTOLEMÆVS ALEXANDRINVS
vixit anno 140 post Christum.

Antiquos superare volens Ptolemææ labores,
Orbibus & numeris promptius Astra notas.

ALBATEGNIVS ARATENSIS
vixit anno 880 post Christum.

Emendare aliquid licet Albategnius orsus,
Non tamen exactas pertulit ire vias.

ALPHONSVS REX HISPANIÆ
vixit anno 1250 post Christum.

Quod Labor & Studium reliquis, tibi contulit Aurum
Alphonse, ut tantis annumerere Viris.

NICOLAVS COPERNICVS TORONENSIS
vixit circa annum 1520 post Christum.

Curriculis tritis diffise Copernice, Terram
Invitam, Astriferum flectere cogis iter.

TYCHO BRAHE DANVS DE KNVDSTRVP
circa annum 1580 post Christum.

Quæsitis Veterum & propriis Normæ Astra subegi,
Quanti id, Iudicium Posteritatis erit.

TYCHONIDES.

Te, venerande Parens, tuaque alta Inventa sequentem
Det Deus, Atlantum continuare vices.

In hoc autem subterraneo Hypocausto, à parte Orientali, explicato parietis mediano (ut vocant) intus ex muro constans & fornicatus lectus conspicitur, in quo aliquando ipse Tycho, cum nubibus cœlum inter noctu observandum obducitur, quiescere potest: veluti etiam ab altera itidem parte alius multo major, extra tamen Hypocaustum, in usum studiosorum ipsius ordinatus, reperitur, idque in peculiari ad hoc deputata Crypta, quæ etiam prorsus subterranea est: & licet testudineata sit, tamen superius ad æquilibrium Horizontis plana apparet, ne quidpiam ...diat.

XVII.

...cidentali Hypocausti parte, oblonga ... collocata est, cui is Studiosus assidet, ...vationes conscribit. Post eam mensam ...m, infra limbum, magnum pendet In...m, instar Semicirculi, vndiquaque ...is contignationibus firmatum, ac Ori... circumferentia obductum. Hoc Distan...arum, quantæcunque sint, in toto etiam ...misphærio capi possunt. Habet autem in Diametro sex cubitos: Interdum & alibi reponitur, cumque ejus vsus requiritur, (quod tamen raro fit) requisito exterius fulcro, quo in omnem Stellarum situm commode dirigi queat, non aliter quam in cæteris Sextantibus fieri solet, imponendum venit.

Versus Borolybicum prope mensam tria disposita sunt artificiose confecta Horologia, quæ Horas, Minuta & Secunda designant, ita ut qui Observationes in libro huic usui quotannis deputato scribit, his prope assidere, Momentumque, quo Observatio fit, mox animaduertere & annotare queat. Vni vero eorum ad frontispicium, hoc Epigramma Orichalco incisum est:

Tempora circuitu Cœlum fugientia volvit,
Nec modo præteriens Hora redire potest.
Temporibus totus fugitiuis clauditur Orbis.
Præterit & toto quicquid in Orbe viget.

Ergo

Ergo quid expediet Mundi fugitiva figura?
Cur his conformes, quæ peritura, sumus?
Est aliud quod nos Cœlum expectatque, vocatque,
Idque ævo, aspectu, limitibusque caret;
Iova Sol hic est, similatque Ecclesia Lunam,
Angelico Stellis conveniente Choro.
Huc huc tendamus, manet hic nos Patria vera,
Immundi Mundi nec remoretur Amor.

Hinc è regione in Angulo, qui Borrhapelioten respicit, ferrea quædam fornax sub conveniente testudine, ita ut nihil in Hypocausto occupet spatii, posita est, ut ejus beneficio tempore Observationum hybernalium frigus arceatur.


Superius autem sub ipso, quo Hypocaustum contegitur, fornice, depicta est Tychonis neoterica inventio Hypothesium cœlestium, ea, quam ipsa testudo capere potest, magnitudine. Proxime vero sub hac, ad parietem paulo inferiorem, versus Septentrionem, ubi ejus Imago repræsentatur: manu altera sursum monstrans, habet intra binos digitos pictam schedam, in qua hæc inscriptio:


QVID SI SIC?

Quasi antiquioribus istis & circum depictis Astronomis dicat: Quid de hac inventione vobis videtur? Ex Hypocausto hoc itur, ordinaria Ianuarum dispositione, hinc inde, in reliquas Cryptas, ubi Instrumenta locantur.



ICNOGRAPHIA STELLÆBVRGI.





Eſtibulum A quo per Gradus Obſervatorium ſubintratur. B Hypocauſtum quadratum. C Crypta pro Armillis maximis Æquatoriis. D pro Quadrante Volubili. E Pro Armillis Zodiacalibus. F Pro Quadrante Chalybeo magno habente exterius Quadratum Geometricum etiam Chalybeum. G Pro Sextante Quadricubitali Globo ſuo convolubili impoſito. H H Columnæ lapideæ ad occiduam plagam diſpoſitæ. I I Aliæ columnæ lapideæ Orientem verſus locatæ. K L N T Globi fulciendis Sextantibus Aſtronomicis extra poſiti. M Menſa rotunda ſaxea. O Lectus, in quo aliquando inter obſervandum mihi requieſcere liceret, ſi forte continua ob nubium interventum non concederetur ſerenitas. Q Alius ſimilis & amplior in eundem uſum pro Studioſis. P Fornax. V Menſa. S Initium ſubterranei meatus quem infra vallum atque hortum in Arcem aliquando in quam laboratorium Pyronomicum deducere animus erat. Inchoatus enim eſt; ſed non abſolutus. Exterior

area


area cum ſua Galleria habet, in quolibet ſui quadrati latere quatuor Mundi plagas reſpiciente, pedes ſeptuaginta. Diameter vero ſemicirculi medio loco intercepti eſt pedum viginti quatuor. In duobus autem Angulis hujus quadratæ areæ verſus Notapelioten & Notolybicum Thecæ quædam oportunæ ſunt, in quibus majus illud inſtrumentum Semicirculare, quo diſtantiæ ſiderum ultra Quadrantem capiuntur, cujus delineatio non eſt inter alia Inſtrumenta exhibita: Sed poſt ea brevibus ſaltem indicata, tum quoque Sextantes alii, ſimiliaque Organa mobilia, quorum uſus non ſemper requiritur, ſarta tecta conſervabantur, quemadmodum etiam ad angulos Borrhapelioten & Porolybicum quædam alia ſuo tempore diſponere conſtitueram. Hæc breviter de ſtructuris hiſce Crypticis dicta ſint. Quæ ſi omnia ſigillatim explanare vellem, prolixa opus foret deſcriptione. Qualia inſuper Carmina hinc inde iiſdem Cryptis aureis literis aſſignavimus, idem liber primus Epiſtolarum exhibet: ut eadem hic revocare non ſit operæ pretium.

Atque hæc de ædificiis Aſtronomicis ſit indicaſſe ſatis. Licet vero Inſulam celebris Porthmi Danici, in qua hæc extruximus, hic apponere non fuerit animus, tamen quia æditi & ſeorſim conſtituti loci mentionem feci, & quoniam hæc ipſa Inſula jam antea in quarto Tomo Theatri Vrbium à Clariſſimo viro Domino Georgio Braun expreſſa eſt, licet non ſatis appoſite incuria pictoris, idcirco eam hic paulo exactius exhibendam duxi.



A R-

ARMILLÆ ÆQVATORIÆ MAXIMÆ
SESQVIALTERO CONSTANTES CIRCULO.



ARMILLÆ ÆQVATORIÆ,

Sesquialtero circulo constantes.

In Crypta majore notata littera C.



Per mediam januam versus Austrum itur in maximam, quæ C notatur, Cryptam, ubi ingens illud & absolutissimum Tychonis Armillare instrumentum visitur, de quo videamus, quid ipse dicat, cujus verba ex ipsius Mechanica desumpsimus.

Etsi binæ machinæ Armillarum æquatoriarum jam antea depictæ & expositæ, (quæ etiam magno nobis constiterunt) illi, de quo dixi usui satis exacte inserviant, adinveni nihilominus postea & construi curavi, alias quasdam paucioribus requisitis indigentes; utpote unica solummodo Armilla integra convolubili, & altera semicirculari quiescente. Quibus duabus omnia, quæ de prioribus dixi, non saltem commode, expediuntur; sed & longe promptius, nulloque obstaculo; quod antecedentes ingerunt, si prope ipsam Armillam Æquatoriam fieri debet collimatio. Tunc enim anterior ejus pars intuitui obstat: quemadmodum etiam in Declinationum Armilla prope ipsum Æquatorem difficilis fit collimatio; ut de aliis quibusdam impedimentis non dicam. Habent hæ alteræ id insuper prærogativæ, quod longe majores confici queant: Ideoque Gradus cum suis divisionibus magis adhuc discrete exhiberi, & nihilominus sua stabilitate & convolutione usui accommodæ esse: idque facilius quam antecedentes. Forma vero harum ingentium & apprime compendiosarum Armillarum hæc est, quam hic exhibemus: quatenus eam in plano repræsentare licuit. A literæ maximam Armillam indicant, quæ undiquaque Orichalcicis laminis munita in diametro habet 7 cubitos; ideoque Gradus tantos, ut singula minuta quadrifariam subdividantur. Axis ejus B è chalibe constans, & undiquaque apprime teres: interius tamen cavus, ne pondere officiat, in diametro est trium digitorum, cui circa medietatem affigitur Cylindrus Orichalcicus teres, circa quem proxime apud Axem volvuntur utrinque binæ Regulæ Orichalcicæ E F, juxta F apud superficiem Armillæ habent pinnacidia per Dioptra rimarum ipsi Cylindro parallelarum. Reliqua interstitia quæ ides apud literas G, sunt transtra sive contignationes totam Armillam continentes & cohærentes, ne à sua rotunditate & plano ob magnitudinem dimoveatur. Inferius juxta D desinit Axis in acumen teres, ex ferro quadrato chalibeo, habens simile acuminatum foramen, quod per cochleas hinc inde appositas, potest paululum trudi, quo lubet. Huic innititur Axis ille teres continens, unaque convolvens totam Armillam. Ipsum vero ferrum huic substratum, infigitur columnæ lapideæ magnæ & longæ, 4. cubitorum, quarum binæ infra terram firmo fundamento instant; reliquæ duæ superius habentes ab anteriore parte Atlantis Mauritaniæ Regis effigiem I, in eodem lapide artificialiter excisam: qui corona sua contingit Globum lapideum H, columnæ superius ornatus causa impositum: suprema vero Axis pars alteri ferreo fulcro juxta C incumbit: quod inferius bifurcatum est juxta K, transitque in duos ramos, quorum quilibet magnæ columnæ tereti è solido saxo fortiter affigitur. Distant autem hæ columnæ tantum ab invicem, ut januam ingressui ad Instrumentum præbeant: & indicantur per M & L: Superius juxta C est Cochlea, quæ transversum agit ferrum cui isthic incumbit Axis, ut is plano Meridiani correspondeat. Attollitur etiam alia ratione tam ibi quam inferius juxta D, & movetur tenaciter, donec axi Mundi exactissime respondeat; sicque firmatur. Altera semicircularis Armilla per C literas intelligitur; quæ octo columnulis lapideis per P indicatis, ad planum Æquatoris immote sustentatur; tenaculis totidem ferreis juxta Q existentibus, quæ eam ita cohibeant dirigantque, donec & exacte semicirculum circa medium axis designent, & insuper secundum Æquatoris planitiem sese constanter inclinent. Est etiam undiquaque Orichalco induta, & in diametro habet 9 cubitos: Ideoque minutissimarum subdivisionum etiam plus quam ipsa Armilla capax. Est autem ob id duobus cubitis semicircularis hæc, amplior ipsa integra Armilla, quo inter utrasque commode transiri possit, prout opus est: Et per Scalas extra Armillam lapideas (quæ hic non exprimuntur) N ascenditur & descenditur secundum ductum ipsius Armillæ, ut oculus Observatoris ei accommode applicetur. Interius vero aliæ sunt Scalæ rotundæ per T literas indicatæ, quibus ad integram Armillam inter observandum ascenditur vel descenditur circumquaque: prout sideris denotandi requirit altior & declivior situs. Iuxta utranque literam N apparet murus, qui circumcirca totum Instrumentum ambiens, turriculam quandam & semicryptam efficit, totam hanc machinam circumdantem, quæ superius tectum habet, quod quaqua versum lubuerit, inter observandum aperiri & claudi postea potest, ut preciosa hæc machina ab aëris & imbrium injuria tuta sit.

Usus ejus est, ut in Volubili Armilla Circulari, Declinationes capiantur, movendo Dioptras ad

F, & ſidus collimando utrinque juxta Cylindrum E. Sic enim apud E numeratur quæſita Declinatio. Idque poteſt dupliciter fieri, utraque nimirum dioptra; convolvendo Armillam, ut altera etiam pars oculi admoveatur: ſicque ejuſdem Sideris bis exploratur Declinatio: quæ utrobique eadem eſſe debet. In altera ſemicirculari, moveantur ejus pinnacidia juxta R, donec Aſtrum obſervandum per eas rimulas circa Axem B utrinque diſpiciatur. Tunc enim ipſum pinnacidium diſtantiam ejus à Meridiano Æquatoriam in eadem ſemicirculari Armilla, ſive verſus ortum ſive occaſum numerandam monſtrat. Hincque temporis momentum ex noto Sideris & Solis loco exactiſſime ſciri. Sin vero Aſcenſio Recta alicujus Sideris inquirenda ſit, unus obſervator aliquod ex pinnacidiis ſic in ſtellam dirigat, quæ hanc notam habeat: Alter vero reliquum pinnacidium pariter in aliam, cujus Aſcenſio recta quæritur: ita ut ambæ ſtellæ eodem prorſus inſtanti circa eundem Axem per rimulas pinnacidiorum conſpiciantur. Arcus enim utrique pinnacidio ſic interceptus, tunc pandet eorum differentiam aſcenſionalem, ex qua aſcenſio recta quæſita, prodit; veluti in antecedentibus indicatum eſt. Plura ſi quis requirit, de hujus ampliſſimi Inſtrumenti fabrica & uſu conſulat Epiſtolarum Aſtronomicarum librum noſtrum primum, pag. 246, & duabus ſequentibus. Ibi nonnulla latius indicantur, quæ hic brevitatis cauſa omiſi: poteſt etiam ex ipſa appoſita figuratione, ſi ea attentius conſideretur, tam ſtructura, quam uſus promptius capi, quàm longis verborum ambagibus.



SEX-

SEXTANS ASTRONOMICVS

Pro diſtantiis rimandis.

In Crypta G.




Vm autem verſus notapeliotem ex hypocauſto in cryptam G exitur, occurrit in ea Sextans quadricubitalis, de quo ſic ipſe Tycho:

Venio nunc ad ſextantis Aſtronomici explicationem, quatenus is intercapedinibus Siderum cœlitus ſcrutandis apprime idoneus eſt. Cum enim Radium Aſtronomicum huic officio, ea qua par eſt, præciſione & certitudine nequaquam ſufficere, multa plurium annorum experientia compertum haberem, neceſſitate urgente excogitavi ſextantes quoſdam, varia forma, qui id citra omnem hallucinationem exacte præſtarent, inter quos hi, eam, quam cernis, compoſitionem referentes, mihi commodiſſimi viſi ſunt. Ideoque tres ejuſcemodi, pauculis quibuſdam, quoad contignationes, ſaltem differentibus, confieri feci. Ejus autem explicatio in hunc modum ſe habet: Compages intra A B C comprehenſa ipſum ſextantem cum ſua contignatione refert: cujus centrum ad A, Cylindrum habet rotundum. Circumferentia C B ſextam circuli partem continens, lateribus A C atque A B quatuor cubitorum à Centro removetur: huic inde ab ipſo Centro applicatur Regula A D cum ſuo pinnacidio juxta D, quod rimulas habet Cylindro apud A quieſcenti parallelas. Poteſtque in circumferentia hinc inde duci & firmari, prout lubuerit. Habet & alium Cylindrum juxta F quieſcentem, priori æqualem: Cui deſtinatur aliud pinnacidium juxta G additum vel remotum, prout uſus poſtularit. Reliqua intermedia firmitudinis gratia contignata ſunt: prout hic apparet. Iuxta E vero tranſit foramen quadrilaterum, quod quaſi in æquilibrio totius Inſtrumenti factum eſt, ut ejus beneficio fulcro inferiori imponi poſſit ſextans, & peracta obſervatione removeri. Limbus ejus juxta circumferentiam, quæ Diviſiones habet tranſverſales, & ſingula minuta quadrifariam diſpertiri poteſt, undiquaque Orichalcicus eſt: quemadmodum & Cylindri atque pinnacidia. Reliqua lignea quidem exiſtunt: ſed ita affabre ex variis partibus compoſita & conglutinata, prout jam antea in Armillarum explicatione à nobis indicatum eſt; ut incurvari, aut juxta aëris mutationem alterari nequeant: ſuperinducto etiam linteolo colore oleaginoſo. Si enim omnes ejus partes laminulis Metallicis obtegerentur, nimio pondere intractabile redderetur Inſtrumentum. Quin & ſua gravedine ſibi ipſi in debito plano retinendo noceret. Pedeſtale ſive fulcrum, cui innititur, ſic habet: Iuxta I eſt Globus quidam undiquaque laminulis cupreis incruſtatus, & apprime rotundus, habens in diametro paulo plus duobus pedibus. Circa ipſum ſunt quatuor ferramenta ſemicircularia, rotundam quandam Armillam ferream circa medium Globi decuſſatim octo in locis comprehendentia. Quæ omnia tantum à Globi ſuperficie diſtant interius, quanta eſt craſſities unius digiti, & paulo plus. Sunt enim in iis locis, ubi hæc ferramenta armillam illam continent, octo cochleæ ferreæ, quæ laminulam rotundam & circumquaque in oblongum reſectam, ut inſtar plumæ utilitatem habeat, Globo adigant, ut tenaciter iis comprehendatur, ac quomodocumque circumvolvatur, firmus maneat. Hæc vero ſemicircularia ferramenta interius etiam talem habent plumam, in qua Globus utiliter quieſcit, quæ nona eſt. Exterius autem quadrato quodam ferro, interius cavo cuidam quadratæ columnæ ligneæ affigitur: quæ columna inferius pedeſtale, quod circa K literas viſitur, tranſit, ita ut in eo attolli deprimique poſſit, & certo loco, prout obſervationis commoditas requirit, firmari. In Declivioribus enim Diſtantiis capiendis demittenda eſt columna. In altioribus elevanda, ut collimationes ſine moleſtiâ perfici queant. Porrò imponitur ipſe ſextans ſuperius juxta foramen E, uti diximus, huic Globo, qui illi ſubjacet, atque cum ipſo in quodvis duarum ſtellarum planum convolutum commodiſſimè dirigitur: Vtque firmius ibi, donec obſervatio peracta eſt, abſque vacillatione permaneant; duo oblongi & teretes baculi I M & N O inferius juxta M & O acuminatum ferriculum habentes additi ſunt, ut pavimento firmius innitantur, qui ſuperius juxta P decuſſatim ſeſe tranſgrediuntur. Eaſque obſervatorum unus ibi manu continet, & prout voluerit, regit.

Vſus Inſtrumenti duos requirit obſervatores; quorum unus applicato oculo ad pinnacidium fixum juxta C per ejus rimulas, ſtellam quamvis hinc inde circa Cylindrum A videt, ſicque immotum tenet ſextantem adminiculo bacillorum propè P. Iacente vero ipſo plano ſextantis ad planum duarum ſtellarum, quarum intercapedinem dimetiri lubet; quod officium ei præſtat Globus, in quo tantiſper convolvitur, donec ambæ illæ ſtellæ circa ejus planitiem viſuntur. Movet mox alter obſervator Regulam cum ſuo pinnacidio apud D, donec & is per rimulas iſthic alteram ſtellam juxta Cylindrum A utrimque collineet: Idque tam diu tentandum, donec uterque

SEXTANS ASTRONOMICUS TRIGONICUS PRO DISTANTIIS RIMANDIS.



que observator simul & semel suam collinearit stellam: tumque dato signo per sonum oris, absistendum, & circumferentia sextantis in suo globoso fulcro retrahenda ad oculum cujuslibet observatoris; ut commodè intercapedinem C D pinnacidiis interceptam, quam quærebant, numerare possit. Porrò ut minores etiam Distantiæ hoc eodem sextante commodè capiantur; adinvenimus hoc compendium; ut posito alio Cylindro apud F, & alio pinnacidio juxta G, quæ duo æquidistent A E transeunti à Centro in circumferentiæ medium; & altero observatore per hoc pinnacidium, huncque Cylindrum dispiciente; altero autem pinnacidio ad D, & Cylindro A attendente, Distantia stellarum à medio circumferentiæ juxta tricesimum Gradum usque in pinnacidium D numeranda venit; sicque quam parva etiam fuerit, nihil impedit observatorem utrumque quo minus haberi queat. Plura si de hoc Instrumento desideras, consule Progymnasmatum Astronomicorum ex meis Tomum primum, pagina 247 & tribus sequentibus. Ibi latius hæc explanata invenies: siquidem in denotandis fixarum distantiis, quas ibidem capite secundo Canonice exposuimus, & ad normam Cœlestem ad amussim expendimus, ejus plurimus usus extitit. De hoc enim Instrumento id testari possum, tanta certitudine & præcisione siderum præbere intercapedines, tamque cito & facile, ut nihil in eo desiderari queat. Quod vel inde patet, si quis Distantias stellarum in ante dicto libro à pagina 195 usque ad 203 indicatas, & usui applicatas penitius consideravit: quomodo videlicet, adhibita etiam stellarum Declinatione totum circuli ambitum in differentiis Adscensionalibus hinc Triangulorum ope extructis, ubi simul coacervatæ sunt, exactissime complectitur & claudit. Quod fieri non posset, si aliquod subesset vitium. Quare hanc stellarum distantias tali Sextante observandi rationem hujus artis alumni sibi commendatam habeant.

QVADRANS MAGNVS CHALYBEVS,

In Quadrato etiam Chalybeo comprehensus unaque Azimuthalis.


In Crypta F.



Porro è regione versus notolybicum ad Cryptam F intrando ingens conspicitur Quadratum Geometricum, quod Tycho his verbis describit:

Hic Quadrans è solido totaliter constans Chalybe & Quadrato insuper Chalybeo circundatus eadem præstat atque antecedens; imo adhuc subtilius; cum magnitudine sua illum nonnihil excedat. Habet enim à centro ad circumferentiam ferme quinque cubitos, præter Quadratum etiam è solido constans Chalybe, quod illum ambit. Ipse vero Quadrans ab ea parte, qua divisiones sunt, Orichalcica lamina adeo affabre inductus est, ut quis hanc ferro conglutinatam putaret: idque propterea quod Orichalcum subtiles divisiones rectius sustineat, quam Chalybs, ut ut satis levigatus sit, nec rubigini ita obnoxius. Subdividuntur autem singuli Gradus, non saltem in singula minuta, sed & quodlibet horum in sex particulas; ita ut dena repræsentet secunda, idque peculiari ratione nobis alias usitata. Quadratum, quod Quadrantem circumit, Orichalco quidem non est inductum, eo quod rarior hujus sit usus, exhibente ipso Quadrante satis præcise id quod quæritur, ut Quadrato fulciminis, & commodioris convolutionis gratia cum comprehendente, etiamsi nullus ejus alias foret usus. Attamen & hoc in ipso Chalybe quam subtilissime divisum est, nostra quoque peculiari ratione, ita ut quodlibet ejus laterum, quæ circumferentiam Quadrantis ambiunt, tam quod Horizontem D C quam Zenith B C respicit, canonis sinuum ultimum numerum sex ziphrarum comprehendat; & regula à centro per totum planum ducta, tam in Quadrante quam Quadrato altitudinem petitam inter observandum demonstret: isthic per Graduum æqualitatem; hic vero secundum sinuum & Triangulorum rationem Geometricam, & nihilominus res utrobique in unum & idem redit. Per Quadrantem vero intelligitur A G M E. Per Quadratum A B C D. Per Regulam A P Q, quæ etiam pinnacidium & dioptra apud P. habet, tum quoque Cylindrum juxta centrum A, eadem ratione prout in prioribus. Potest etiam pars Regulæ P Q, quæ Quadrantem excedit, in tantum, ut Quadrati Angulum à centro remotissimum attingat, addi vel adimi, prout lubuerit. Porro habet hoc Instrumentum sua quoque sustentacula ac contignationes fulcri & stabilitatis loco, pauciora tamen quam antecedens, siquidem totum sit metallicum, & ne nimium horum pondere aggravetur, cum & ipsæ quasi costæ per literas G H N O,

QVADRANS MAGNUS CHALIBEUS
in Quadrato etiam chalibeo compræhensus, unaque AZIMUTHALIS.




& EKLM, decussatim se transeuntes è solido constent Chalybe, totumque Quadratum una cum comprehenso Quadrante in suo plano & justa dispositione, firmiter contineant. Quin & hic Quadrans una cum suo Quadrato columnæ ferreæ admodum robustæ juxta X & Y affigitur, cum qua etiam commode & facillime in omnes cœli partes convolvitur. Gyratur enim columna illa superius in rotundo foramine, quod in medio est ferramentorum a a a literis indicatorum, transversim in muro cryptæ firmiter dispositorum, inferius in ferrea lamina prope Y eodem modo, quo in antecedente dictum, ut isthic per cochleas quadrifariam dispositas totum Instrumentum rite ad usum adaptari queat, unaque in sua convolutione firmiter contineri, ne ultra planum requisitum divellatur. Sed & lamina, de qua dixi, cum suis cochleis columnæ rotundæ lapideæ per b indicatæ infigitur, quæ & totam sustinet machinam, atque profunde ipsi terræ in alia quoque basi lapidea insistit. Habet quoque hoc ipsum Instrumentum in muro cryptico circumcirca tereti suum etiam Horizontem Azimuthalem T V W totum Orichalco inductum & in medio quasi muri positum, quo Observator stans in superiori Gradu (Nam & hoc Instrumentum suos Gradus cœmentitios, per quos ascendendum ac descendendum, prout observatio requirit, obtinet, & sua magnitudine exigit) Azimutha, quæ per indices utrinque R & S promuntur, numerare queat. Diameter hujus Horizontis Azimuthalis tantus est, ut circum circa ultra totum Quadrantem, ipsumque Quadratum & intra hunc transire liceat: Ideoque in sua Diametro 9 cubitos adæquat. Estque per se totum hoc Organum adeo firmiter dispositum & cochleis munitum, ut semel recte ordinatum vim roboris humani, ut loco dimoveatur, non facile extimescat. Atque hæc de Instrumenti hujus Fabrica & dispositione; quod etiam totum in superiore muri parte tecto quodam succincte elaborato ab aëris injuria protegitur. Hoc etiam tectum suas habet fenestras, quæ aperiri possunt, & rotulis tectum portantibus in quasvis Mundi plagas circumagi; prout requirit observatio, simulque claudi, dum Instrumentum rite adaptatur, ne ventus perpendicula ejus juxta D à naturali tramite per violentiam dimoveat, & insuper, quando nullus est Instrumenti usus, ut ipsum ab injuria imbrium & ventorum protegat. Atque hæc quoad tectum, in priori etiam Quadrante effecta sunt, prout ibi diximus.

Vsus ejus cum priori idem est in capiendis & numerandis tam altitudinibus quam Azimuthis; & quatenus hæc Astronomiæ inserviunt, veluti ante indicatum. Verum hic Quadrans cum suo adjuncto Quadrato, cum non saltem totus Metallicus sit, & priorem magnitudine excedat, adhuc paulo exactius quam is, tam Altitudines quam Azimutha manifestat; ita ut in sexta etiam minuti parte hæc per eum rimari detur, ubi potissimum tanta requiritur præcisio, prout in Solari motu ex Altitudine & Declinatione ejus perscrutando operæ pretium est.

Addam vero & hoc Colophonis loco, quod hisce duobus Quadrantibus, antecedente nimirum volubili, & hoc Chalybeo etiam convolubili, adhibito una in consilium Quadrante maximo Orichalcico Murali sive Tychonico (de quo postea) præcipue confisi fuerimus in Declinationibus Solis ad amussim pervestigandis, ut hinc ejus locus, totumque curriculum, sine errore restitueretur. Idem quoque in Declinationibus Stellarum, quando Meridianum transibant, subtiliter rimandis, ubi præcisione summa opus erat, factitavimus. Hæc enim in tria ingentia Instrumenta rite disposita, atque usui adaptata, eandem etiam in exiguis minuti particulis præbebant Altitudinem, atque una in idem ubique consentiebant. Quibus etiam Sextantes & alia Instrumenta una adhibita testimonium ferebant.

QVADRANS VOLUBILIS AZIMUTHALIS.



QVADRANS VOLVBILIS AZIMVTHALIS.

In Crypta D.



Irca reliquos duos hypocausti angulos adhuc binæ sunt cryptæ, in quas patet aditus statim extra hypocausti januam ad utramque partem, ubi videlicet gradus per quos descenditur desinunt; & primum ab orientali parte intrando ad Cryptam D, quæ ad angulum Hypocausti Borrapelioten respicientem existit, alius Quadrans occurrit, cujus Fabricam & usum Tycho ut sequitur explicat:

Quadrantem volubilem, qui non solum Altitudines (uti Sextans ante dictus) subtiliter scrutaretur; sed & eodem negotio Azimutha ad unguem panderet, construximus, tali (uti vides) forma. Habetque is à centro A usque ad circumferentiam B vel C quatuor cubitos, & circumferentia adeo subtiliter per puncta transversalia subdivisa est, ut quartam unius minuti partem collimatori acuto exhibeat, oculo ad pinnacidium K applicato, & mota Regula A K, donec Sydus observandum ad latera Cylindri juxta A hinc inde æqualiter splendeat. Tunc enim Regulâ ubi divisiones transit juxta K altitudinem quæsitam exhibet. Index verò Q, qui in circumferentiam azimuthalem per R signatam extenditur, unà Azimuthorum momenta patefacit. Contignationes, quæ intra Quadrantis aream cernuntur, sunt propterea in eum modum multifariam dispositæ, ut illum firmiter tàm in suo plano quàm reliquâ conformatione debitâ retineant atque conservent. Estque Limbus, in quo divisiones sunt, Orichalcicis laminis undiquaque inductus: tum quoque reliquæ Quadrantis partes, partim Chalybeis, partim Orichalcicis incrustationibus (prout opus erat) munitæ. Affixus autem est hic Quadrans firmiter columnæ forti ferreæ quadrilateræ L M N, cum qua etiam circumvolvitur facillime, in quamcunque Cœli partem lubuerit. Nam dicta columna ferrea superius teres facta, in foramine quodam ferramenti densi, quod decussatim muro rotundo turriculam sive cryptam, in qua Instrumentum conservabatur, efficiente, firmiter adaptatum est; inferius autem, ubi juxta G eadem columna in rotundum acumen ex Chalybe desinit, ac in parvo foramine pariter acuminato revolvitur, idque in laminula quadam Chalybea; quæ quatuor extra positis Cochleolis quaquaversum opus fuerit, trudi potest, donec Quadrantis utraque perpendicula circa A incipientia, & juxta S desinentia, tam planum Quadrantis, quam dorsum ejus, quomodocunque circumgyratur, ita dirigant, ut exactè circulum quemvis verticalem repræsentare deprehendatur. Quod cum semel factum est, & circumspectè in varias ac diversas Mundi plagas Quadrantis dispositionibus sedulo provisum, atque Cochleis requisitis firmatum, non opus erit multo tempore perpendiculis attendere, an videlicet Quadrans è sua requisita dispositione dimotus sit. Neque enim id contingere potest, nisi magna aliqua violentia ex improviso superveniente: tumque modo antedicto facile restitui potest. Adeo enim firmiter saxo rotundo H, quod solidum existens profunde in terra alio fundamento lapideo immotum insistit: & ferramentum etiam quod decussatim superius extat, de quo dixi muro stabili innitens, non patitur columnam ferream, cui Quadrans affigitur, è suo foramine, quod in medio est, quidpiam vacillare.

Murus autem is rotundus circuli peripheriam exactè exhibens (cujus diameter est sex circiter cubitorum, quo sic sufficiens spatium sit inter circumferentiam Quadrantis & concavitatem cryptæ, quo Observator commode circumire queat) habet supra circulum quendam Mæchanicum laminis Orichalcicis vestitum, in quo omnia totius Horizontis, (cui suo æquilibrio correspondent) Azimutha minutias subdivisa præbet: unaque immotus persistit Exordium Azimuthorum, quod à linea meridiei dependet, tanta circumspectione & subtilitate inquisitum ut nullo minuto Observatorem eludat. Meridiei linea alia, & longe certiore ratione, quam hactenus à quoquam factum, nobis ex ipsa stella polari, quando præsertim utrinque à polo maximum Angulum remotionis Horizontalis caussatur; atque tunc quasi in eodem Azimuthi puncto aliquantulum subsistere videtur, adinventa ratione infallibili & expedita. Quod & operæ pretium erat; siquidem pauca inObservationibus Astronomicis citra Lineæ Meridiei accuratissimam cognitionem perficere liceat. Tractandi & observandi ratio in hoc Instrumento talis est, ut in quodcunque sidus Cœlitus denotandum, dirigatur; circumvolvendo planum Quadrantis; & attollendo deprimendoque ejus regulam cum suis dioptris, donec per rimulas pinnacidii juxta oculum existentis primum è superiore sidus illud in superiori etiam Cylindri limbo exactè conspiciatur: atque idem pariter mox fiat per inferiorem rimulam, inferiori etiam limbo attendenti. Sic enim Regula, ubi divisiones abscindit juxta K, altitudinem Astri quæsitam exactissime patefaciat. Si vero eadem opera Azimuthum quoque scire animus est, volvatur parumper hinc inde Quadrans per suam columnam, donec idem sidus per utranque rimulam lateralem juxta planitiem utriusque lateris Cylindri simul conspiciatur. Tunc enim index Q in circumferentia horizontali una ipsissimum pandit Azimuthum. Quoniam vero hæc duo ob cœli continuum & velocem motum, non facile simul & semel discernuntur, præstat figere indicem Q in

in certo aliquo Azimutho, cui sidus appropinquat; expectando donec, eo motu universali devolvatur, atque in eodem instanti altitudinem mota sursum vel deorsum Regulæ dioptra capiendo: Quod nullo fere negotio administratur.

Vsus hujus Organi est, uti aliorum, quæ per Altitudines & Azimutha expediuntur. Habet tamen præ aliis hanc prærogativam, quod citra laborem omnia per ipsum exactissime, & tuto, adeoque intra quartam minuti partem consequi liceat. Quod prioribus, cum ob parvitatem, tum etiam structuram non adeo concinnam & usui facilem, denegatum est. Quare hanc fabricæ rationem Astronomus sibi quam maxime commendatam habeat: Quo vero commodius tam inter observandum quam numerandum Instrumento uti liceat, Gradus per T repræsentati circumquaque ascendunt, pari ferme cum ipso Quadrantis ductu, ita ut stans in supremo Gradu observare queat Astrum circa Horizontem constitutum: juxta infimum vero sedens, ea quæ prope verticem; atque sic de intermediis. Tegitur insuper hoc Instrumentum cum sua turricula cryptica, tecto quodam è levigatis asserculis affabre composito, quod inferius muro Horizontali extra Azimuthalem circulum, Armillæ cuidam rotundæ è forti ligno adhæret. Habet autem ea Armilla recte intra se apud 4. transversalia loca rotulas quasdam, quibus minimo negotio in circumferentiam Horizontis quaquaversum lubeat, circumduci potest. Atque sic fenestras oblongas, quas tectum habet, etiam ex Asserculis factas; quæ ex opposito ad invicem sunt, in quodvis sidus observandum facile dirigere licet. Quæ fenestræ peracta observatione clauduntur, ut immune sit Instrumentum ab injuria Aeris, pluviarum ac ventorum. Quod etiam in cæteris machinis, quacumque ratione fieri poterit, cavendum est. Hæ enim magno constant, & facile detrimento obnoxiæ redduntur, nisi à violentiis & Elementaribus inquinamentis ac mutationibus tutæ reddantur.

Lector benevole, nobiliora hucusque tibi Tychonicæ artis peritiaque, id est Astronomiæ, instrumenta, propriis exhibuimus figuris; etsi vero cetera tanti non censeantur ponderis, attamen illorum quoque tibi dare descriptiones, operæ pretium duximus, in plenissimam tui ad scientias anhelantis animi satisfactionem.

XXII.

E Regione hujus ab altera parte versus Borrolybicum itur in aliam ejusdem cum hac, de qua diximus, formæ & quantitatis Cryptam, litera E in subsequenti figuratione indicatam, ubi Instrumentum quoddam Armillare visitur, quod non saltem Axes habet Polis mundi analogos, Meridiano Chalybeo inhærentes, sed insuper quoque Zodiacalem circulum, in Polis suis convolubilem: propotereaque Tycho hoc Instrumentum Armillas Zodiacales appellare solet. Exhibent omnia quæ Hipparchus & Ptolemæus suis Instrumentis Armillaribus factitarunt, sed longe majori compendio atque præcisione. Neque enim tot circulis constant, quot illorum requirebant, sed solummodo 4 habent, inter quos etiam Meridianus ille immotus numeratur, & nihilominus tam longitudines quam latitudines Stellarum extempore absque ulla tædiosa Supputatione, mediantibus duobus Observatoribus, præcise adeoque in ipso minuto rimantur. Quam subtilitatem an veterum, de quibus dixi, Armillæ exhibuerint, non immerito dubitandum venit; ex quo nec Hipparchus, nec etiam Ptolemæus, majorem in Stellarum longitudinibus atque latitudinibus per eas præcisionem denotarint, quam quæ intra sextam gradus partem, ad dena scilicet minuta, cohibeatur. Vnde verisimile est, illorum Armillas, utut forte è solido Metallo constantes, non tamen adeo magnas fuisse, ut singula minuta caperent, sive etiam quod eas tam subtiliter subdividere neglexerint, aut numerationem adeo exactam, supervacaneam duxerint. Quodcunque horum fuerit, certe hæc nimis lata & platica cœlestium corporum dimensio à cœlesti norma haud insensibiliter eos deviare fecit, idque non modico Astronomiæ instaurandæ damno. Habet autem Meridianus, qui totus, ut dixi, Chalybeus est, & reliquas Armillas intra se continet, tres cubitos in Diametro; atque hinc reliquarum sese versus interiora concomitantium Armillarum quantitatem æstimare licet. Divisiones tam in Meridiani Armilla ferrea, quam cæteris interioribus Orichalco exterius obductis, per puncta transversalia subtiliter ordinatæ sunt: ita ut & in his Armillis singuli Gradus in singula quoque sexaginta minuta subdivisi sint; & pinnacidia diversa cum in Armilla Zodiacali, tum in circulo latitudinum hinc inde moventur, quæ more consueto per rimulas parallelas Stellarum situs scrutantur. Nam & in his Armillis, Axis quidem apprime teres est, per Polos Zodiaci, adeoque totum Instrumentum transiens, ad cujus circumferentiam Longitudines Stellarum collineare datur, isque in sui meditullio Cylindrum gerit, per quem in dicto circulo latitudinis, Siderum ab Ecliptica distantiæ observantur. Atque sic superfluitas in Armillis veterum, quæ Observationem fluxiorem reddidit, evitatur, omniaque magis succincte & certius expediuntur. Neque enim Armillæ hæ ita distrahi possunt, aut extra debitum planum suo pondere divagari, uti in antiquis illis accidisse, haud citra justas causas suspicandum venit. Fulcrum vero seu Pedestale (uti vocant) est ex integre & solido ferro admodum firme compositum, & inferius habet circulum ferreum densiusculum, cui 4 cochleæ adaptatæ sunt, quæ quatuor etiam brevioribus columnis lapideis superius laminulis ferreis munitis insistunt, quarum cochlearum opera totum hoc Instrumentum in debitum situm atque cum circulis cœlestibus exquisitam correspondentiam dirigitur. Quod cum semel rite effectum est, vix multo post tempore, ob bene confirmatam omnium partium dispositionem, aliquid discriminis incidit. Quin & hæc Crypta suos habet gradus, non saltem per quos in eam ascenditur, (est enim suo pavimento eminentior altera) sed etiam in quibus circa Armillas undiquaque, ubi opus est, altius consistere liceat;

ceat; hos tamen unicos, cum hi ſufficiant. Et ſuperius tectum portat, cujus dimidia pars explicari poteſt, atque in quamcunque Hemiſphærii partem, prout Obſervatio requirit, circumagi.

XXIII.

CVm vero ad prædictam Armillam aſcenditur, appendet lateri parietis dextro, in peculiari ad hoc in ipſo muro facto Repoſitorio, alius adhuc Sextans, qui quatuor cubitos à centro ad circumferentiam complectitur.

Hunc Sextantem omni ex parte Orichalcicum & cochleis variis compoſitum Tycho in eos uſus fieri curavit, ut ſi quando in exteras regiones & longe diſſita Regna Obſervatores aliquos pro Poli Altitudinibus, & aliis quibuſdam iſtic denotandis mitteret, ii hoc Inſtrumento commode uti poſſent, ſiquidem id & explicari, & rurſus per cochleas diſſolvi, & in thecam ſeu ciſtam huic præordinatam componi poſſit, & ſic abſque ullo detrimento in quaſcunque libuerit orbis partes, ſeu mari ſeu terra, tranſportari, ita ut poſtliminio rediens, & per dictas cochleas denuo in debitam diſpoſitionem expanſum, omnino easdem tam Altitudines, quam diſtantias, quas antea, inviolate exhibeat, modo non nimia violentia, vel per incuriam, vel data opera, in itinere diſturbatum fuerit. Habet quoque peculiare fulcrum, quod ſuis etiam cochleis disjungi conjungique poteſt, unaque in eadem cum Sextante ciſta conſervari.

XXIV.

SVntque hæc præcipua Inſtrumenta Aſtronomica, quæ in Obſervatorio ſubterraneo viſuntur. Eſt tamen adhuc, præter hæc, Armilla quædam Portatilis, quæ tres fere cubitos in Diametro continet, Orichalco etiam obducta & in ſingula Minuta ſubdiviſa. Hæc, quando ejus uſus requiritur, exportatur ac applicatur ad lapideas columnas verſus Ortum ac Occaſum litera H & I ſignatas. Capiuntur autem ea Declinationes Siderum, præſertim cum Horizonti appropinquant, nec facile majoribus iſtis Armillis Declinationum diſcerni poſſunt.

Regulæ inſuper *Ptolemaicæ*, quarum ſuperius meminimus, prædictis Columnis nonnunquam apposite accommodari ſolent. Nam utræque hæ Columnæ lapideæ, quæ in arcubus verſus Ortum & Occaſum poſitæ ſunt, ita ſuperius ferramentis & cochleis ab utroque latere muniuntur, ut & Regulas & minorem illam Armillam Declinationum iis imponere liceat, prout res poſtularit; pro ſolis tamen Regulis inferius in eodem Columnæ latere ferrea lamina cochleis circumpoſitâ exiſtente, cujus ſuperiori conico foramini latus Regularum, quod Zenith reſpicit, inſiſtens, & in perpendiculum verticale rite dirigitur, & ſimul commode convolvitur, altera Columna ſupplente, quod altera denegat, ſi quando difficultas aliqua inciderit, quod tamen rariſſimè contingit; ſicque his etiam Regulis penes hoc Crypticum Obſervatorium commode uti licet, quando Obſervatoribus ita viſum fuerit, & plures Altitudines ſimul, aut intra breve temporis ſpacium denotandæ veniunt.

XXV.

QVin & alius minutulus quidam Quadrans hic reperitur è ſolida lamina Orichalcica, eademque denſiuſcula affabre elaboratus, qui à centro ad circumferentiam cubitum occupat, eſtque undiquaque fulvo Auro, intercedente Mercurio & Vulcano, obductus, quod inaurari vocant, revoluiturque in ferreo quodam fulcro, ita cochleis aliiſque requiſitis opera fabrili adornato, ut Quadrans hic & in omnia Circulorum verticalium plana circumagi, & etiam in æquilibrium Horizontis rite diſponi queat. Circumferentia ejus extrema per uſitatam diviſionem diſtributa eſt, ita ut ſinguli Gradus in 12. portiunculas, quarum quælibet quina repræſentat Minuta, ſubdividantur. Intra tamen hunc extremum limbum alia eſt diviſio ſecundum eam rationem, quam *Petrus Nonius* in libello de Crepuſculis tradidit, per arcus videlicet plures introrſum ductos, & diverſa ratione Anguli recti numerum totalem alterando & ſucceſſive imminuendo, ſubdiviſos: idque in una hujus Quadrantis facie; in altera enim quaſi in tabula numeri excisi ſunt, qui Gradus & Minuta ſingula, per puncta quæ in diviſione Noniana exſiſtunt, confeſtim abſque longa Supputatione expediunt.

Iuxta centrum in vacuo alias ſpacio, intra circularem quandam figuram Hieroglyphica quædam ſubtiliter facta inciſio eſt, ubi ad Arborem ab altera parte viridem & frondoſam, juvenis ſedet laurea inſignitus, & una manu *Globum* cœleſtem portans, altera librum. A læva vero parte Arbor habet & radicem emarcidam & frondes ſteriles foliiſque carentes, inter quæ Menſa eſt, capiens quippiam eorum quæ maxime in hoc terreſtri mundo in pretio ſunt, ut ciſtulam nummis refertam, Sceptra, Coronas, arma Gentilitia, torques aureos, Gemmas, mulierum ornatus, Pocula, Chartas, Teſſeras, atque his ſimilia; quæ omnia Sceleton quoddam mortem repræſentans manibus pedibuſque ambit & complectitur. Supraſcriptum vero eſt Hemiſtichium, quod ſenſum allegoricum explanat:

Vivimus ingenio, cætera mortis erunt.

idque ea ratione, ut prior pars Verſus, nempe hæc: *Vivimus Ingenio*, ex dextra & viridi Arboris parte, ad quam Iuvenis ille Philoſophans reſidet, tanquam in ſcheda ſcripta dependeat: Altera vero, nimirum: *cætera mortis erunt*, ab arida illa parte deſcripta appareat. Quemadmodum & alias *Tycho* hoc Symbolum Hieroglyphicum, ubi non ſaltem ad Temporanea, ut hic, ſed ad æterna & potiora adaptatur, uſurpat. Illic enim in viva & frondeſcente Arboris facie, *Chriſti* doctrinæ & vitæ Hieroglyphica repræſentatio eſt, cui ſuperſcribitur: *Vivimus in Chriſto*. Hic vero Philoſophiæ quoque ſtudia eorumque Hieroglyphica indicia ad alteram Arboris ſiccam & marcidam faciem ſub Mortis arbitrium tranſeunt; eadem ibi, quæ antea in temporaneo Emblemate, manente Inſcriptione; ita ut totus verſiculus in hac Æternitatem reſpiciente Hieroglyphica figuratione ſic ſonet:

Vivimus in Chriſto, cætera mortis erunt.

Sicque *Tycho* per hæc Symbola Hieroglyphica innuere

innuere vult, doctrinam solidam, & rerum tam Cœlestium, quam Terrestrium cognitionem, adeoque totam Philosophiam in hac quidem mortali vita mundoque visibili & temporaneo, homines multo potius à mortalitate vindicare, quam alia illa quæ mundani homines ut plurimum moliuntur; attamen ad æternitatem in summa beatitudine consequendam, nihil conducere, sed ista, quoad hanc, morti quoque & abolitioni obnoxia esse, ex quo illic *Dei* bonitas & misericordia per meritum Filii *Christi* Redemptoris, ejusque doctrinæ & vitæ observantiam & imitationem, solummodo locum habeant atque perdurent. Quin & alia sententiose dicta atque Emblematice veritatem in medullis rerum non corticibus profunde absconsam innuentia, tam superius in ipsa arce, variis in locis, quam etiam in nonnullis organis, assignari curavit, quæ omnia non duco operæpretium hic apponere.

XXVI.

AD Hypocausti quoque parietem pendet *Radius Astronomicus* ex Orichalco totus constans, cujus longior Regula seu ipse Radius circuli Semidiametrum repræsentans, est paulo plus quam trium cubitorum; estque olim à *Gualtero Arscenio*, Nepote doctissimi illius Mathematici *Gemmæ Frisii Batavi*, qui peculiarem de hoc Instrumento edidit libellum, ad instar ejus qui illic à *Gemma* describitur, subtiliter elaboratus. Habet etiam *Tycho* adhuc alium Radium totum quoque ex Orichalcicis laminis constantem, exterius triangularem, & interius concavum, ut eo sit levior, qui per lineas transversales punctaque in his notata longe plures & subtiliores divisiones exhibet, quam vulgaris illa Radii in particulas æquales distributio; adeo ut numero maximo Tabularum Trianguli orthogonii huc facientium, qui quinque Cyphras habet, satisfaciat. Verum *Tycho* Observationibus per Radium quomodocunque factis parum tribuit, præsertim si remotiones Siderum majusculæ fuerint; longa experientia & collatione cum cæteris Instrumentis facta sic edocente; quod & suas causas habet, quas ipsemet alibi forsan indicabit.

XXVII.

ADest quoque Annulus Astronomicus, qui totus ex Orichalco confectus est, tam affabre Argento liquefacto conglutinatis lateribus, ut solidum diceres esse Metallum, cum tamen interius quælibet ejus Armillæ concavæ sint, quo portatu levior sit, neque pondere suo dehiscat. Habet autem in Diametro nonnihil ultra cubitum. Est vero & hic Annulus olim ante Annos plus minus triginta à supradicto *Gemmæ Frisii* Nepote *Gualtero* convenienter undiquaque compositus, ad imitationem ejus quem *Gemma* ipse singulari de hoc edito libello, tam quoad fabricam quam usum, illustravit. Et hic quoque Annulus, utut magna diligentia fabrefactus atque divisus, quoad Observationes cœlestes exactiori trutina rimandas, *Tychoni* inhabilis prorsusque inutilis censetur. Reservat eum nihilominus ob veterum placita, imprimis vero ob celeberrimum illum *Gemmam Frisium*, qui proculdubio suum Nepotem hujus confectionem docuit. Quin & alterum hoc multo minorem Annulum Astronomicum in promptu habet, qui licet vix spitamum parvum in Diametro compleat, attamen ex solido constans Orichalco, & diligenter subtilissimeque in suos Circulos divisus, idem ferme præstat quod major ille; nam in talibus Instrumentis ludicris, Virtus, ut dici solet, non semper in quantitate, sed potius in qualitate consistit: aut (si mavis) in neutra.

XXVIII.

EST quoque ad manus parvum quoddam Astrolabium totum ex Orichalco constans, & ad veterum descriptionem efformatum, habens varias intrinsecus matriculas pro diversis Poli Altitudinibus, veluti fieri solet. In Diametro unum saltem spitamum complectitur. Quamvis autem *Tycho* non multum tribuat talibus Organis, quæ potius Siderum motus cognitos præsupponant, quam quod eos inquirant, tamen in promptu habet laminas quasdam Orichalcicas rotundas, & utrinque planas, satisque crassas, ex quibus aliquando per ocium Astrolabium quoddam Catholicum, minori negotio quam vetus illud omnibus Regionibus inserviens, & longe plura expediens, elaborare constituit.

Adsunt quoque tam in hoc Observatorio quam in aliis, quæ superius in Arce sunt, multa alia Organorum quorundam media, tam pro excipiendis radiis Stellarum atque umbris Solis & Lunæ, quam ad alios usus, minus tamen principales, conducibilia; quæ supervacaneum foret omnia hic recensere.

Patet itaque quod ad hoc Observatorium subterraneum *Sternburgum*, uti diximus, appellatum, XII. pertineant Instrumenta Astronomica, quæ modo explicuimus, inter quæ prima illa & majora, exceptis saltem quatuor postremis, ad universas corporum cœlestium Observationes, ea subtilitate quæ in sensus visuales unquam cadere possit, perficiendas, omnimode sufficiunt.


Porro (ut & hoc innuam) cum exitur ex harum Cryptarum vaporario per Ianuam subterraneam ad dextrum latus versus Septentrionem, inchoatus est testudineus quidam sub ipsa humo transitus, qui usque in majoris Domus, quæ in Arce est, Hypogæa ducere deberet, quo ex Laboratorio Pyronomico, ibidem sub Australi Turricula existente, eodemque etiam subterraneo, in has Cryptas per meatum infra terram transitus aliquando concedatur, ne tempore Brumali Portas Valli noctu, cum serenum fuerit, aperire necessum sit. Sed hunc Crypticum transitum Tycho adhuc certis forte de causis imperfectum reliquit, cum etiam per se non admodum sit necessarius.

In meditullio hujus Cryptici apparatus, exterius supra ipsum monticulum Hypocausti laquearia ambientem, solebat Tycho habere Mercurii quandam Imaginem ex Orichalco fusam, quæ ad imitationem cujusdam Romanæ antiquitatis solertissime facta erat, adeo ut omnium membrorum decenti proportione & dispositione huic vix similis facile obvia sit; quæ etiam, utut paulo altior uno cubito erat, Mechanico Automato inferius substrato insistebat, ut per hoc, cum luberet, in Gyrum, quasi spontaneo motu, convolvi posset.

S C A N I A,

vulgo

S C H O N E N.



Cania, inquit Adamus Bremensis, est pulcherrima visu Daniæ provincia, unde & dicitur; armata viris, opulenta frugibus divesque mercibus, & nunc plena ecclesiis. Scania bis tantum habet in spacio, ac Selandia, hoc est trecentas ecclesias, cum Selandia dicatur habere dimidium; Finnia tertiam partem. Sconia est ultima ferè pars Daniæ, undique cincta mari, præter unum terræ brachium, quod ab oriente continens Suediam disterminat à Dania, ubi sunt profundi saltus, montesque asperrimi, per quos à Scania in Gothiam necessario iter agitur, ut dubites utrum sit levius marino discrimine terrestre periculum vitare, an istud illi proponere.

Nomen.

Hucusque ille; indicans initio statim, à pulchritudine & amœnitate sic appellatam regionem. Quod & magis apparebit, si omissâ vocis crasi & contractione, *Scandinaviam* cum authoribus Latinis Plinio Solinoque, efferamus. Ita enim vernacula, quibus hoc nomen constat, vocabula *Schon* & *aw*, quorum hoc *latifundium*, illud *amœnum* seu *pulchrum* notat, eluceant manifestius. Atque indè cum *armatam viris*, *frugibus opulentam* ac *mercibus ditem* referat, notandum non absimilia eum vetustissimis autoribus referre, qui *alterum orbem terrarum gentiumque officinam* ac *vaginam nationum* dixerunt, ut & Procopio, qui *affluentissimam* agnoscit *mortalium multitudinem* in parte regionis cultiore: Explodique omnino Solinum, qui ab his seorsim *abiens*, *nihil in eâ*, *præter ipsam*, *magnum*, sed perperam retulit. Et addens deinde Adamus, *ecclesiis plenam*, quarum trecentas suo ævo exstitisse memorat, ille exinde, crescente indies Christiana pietate, quam accreverit numerus, patebit inferius. Ac mox, instituta cum Selandia & Fionia, vicinis insulis, comparatione, quod ad magnitudinem, eam ex ædium sacrarum numero demonstrare nititur, quod Selandia vix dimidium obtineat ecclesiarum, quas habet Scania, & earum vicissim vix partem tertiam haberi intra Fioniam. Vt simul cognosci hinc possit, loqui hîc tantum Adamum de Scania strictè accepta, non vero universa. Vnde & idem Adamus, ut ostendat Scaniam se hîc accipere, quatenus regni tantum Daniæ una cum Blekingia & Hallandia lacinia ac pars est, postquam de Balthico mari ejusque insulis, quamquam & Scaniam quoque, sed erroneè, insulæ vocabulo afficiat, dixisset, resumta oratione, de Suevorum & Norvagia regnis verba facit.

Dania.

Qualitas.

Insulæ igitur Selandicæ Ortum versus adjacet *Scania*, cælo & solo læta, utpote, quæ agrorum fertilitate ac terræ sumine reliquis regni partibus haudquaquam cedat: Spectans ab Ortu sibi conterminam Sueciam, à Borea vero Norwagiam. Multi, ob excellentiam, & quam habet à ceteris in vicino ditionibus, sive magnitudinem, sive opes videamus, prærogativam, à pulchritudine & amœnitate *Schone* nuncupatam autumant. Adeo ut cæli beneficio, telluris obsequio, portuum atque emporiorum commoditate, maritimis divitiis, lacuum ac fluminum piscatione, venatione nobilium ferarum, inexhaustis diversi generis metalli venis, oppidorum frequentia, civilibus institutis nulla regionum beatarum sit inferior. Nec operæ pretium existimo referre nomenclaturas, quibus eam authores varie affecerunt, cum modo *Scandiam*, modo *Scaniam*, modo *Scanzam* & *Scandinaviam* ac denique *Schoningiam*, ut *Helsingiam*, *Fieringiam*, *Moringiam*, *Blekingiam*, ejusdem hujus tractus ditiones, appellarint, quod hæc omnia à pulchritudine deducta, aut ad eam, si gentis idioma spectemus, referri debeant.

Hanc perperam Crantzius, qui & aliorum, præsertim veterum, fuit error, undique aquis cinctam pronunciavit, cum hinc Sueciæ, inde Norvagiæ regno sit contigua. Quæ & ipsa Moschoviæ mox per Finnos annectuntur. Latius autem accepta, quemadmodum fere à veteribus quoque Scandinavia olim, *Blekingiam* sibi & *Hallandiam* inclusam habet. Nos ditionum earum unaquaque seorsim sumpta, *Scaniæ* latitudinem duodecim esse milliarium circiter comperimus, longitudinem vero octodecim, positamque inter *Blekingiam* & *Hallandiam* loco medio; quarum hæc borealis, illa versus ortum australior est: regio, ut indicatum, Danici regni amœnissima, viris armata, frugibus opulenta, dives mercibus, ecclesiis plena, passimque arcibus nobilium, curiis, prædiis & monasteriis ornata. Vbi trajectus ex ea in Zelandiam proximam est brevissimus, arx conspicitur regia, excelso in colle posita, *Helsingburgum* appellata, & oppidum juxta ejusdem nominis. Inde tribus milliaribus in Meridiem, alia est ad mare arx & urbs *Cronia*, vulgo *Lantscrone*, ex qua adusque *Malmogiam*, quæ & *Ellebogen* exteris dicitur, duo sunt milliaria. est ea insigne emporium, & præcipua totius Scaniæ civitas, propter nundinas & frequentes negotiationes. Inter vero utramque *Malmogiam* & *Croniam* collocatur *Lundia*, sedes olim Archiepiscopi. Hinc duobus ad Austrum milliaribus est *Falsterboa* vicus, ob halecum capturam olim celeberrimus; versus vero Septentrionem, *Engelholmum* olim civitas, nunc pagus. Scania frumenti omnis generis est feracis-

K k sima,



SCANIA
Vulgo
SCHOONEN.
HOIG HERRIT.
BIERRE HERRIT.
NORRE ASBO HERRIT.
SÖDER ASBO HERRIT.
VESTER LOFGVDE HERRIT.
SÖDER LOFGVDE HERR.
RONNE BERGS HERRIT.
GIÖNG HERRIT.
GIERS HERRIT.
ONSE HER.
HARAGGER HERRIT
TORNE HERRIT.
FROSTE HER.
BARE HER.
ALBO HERRIT.
FERS HERRIT.
OXIE HER.
SKYTS HER.
HERRESTED HERRIT.
LIVKI. TE HER.
WEDMANDHOE HERRIT.
INGELSTED HERRIT.
SVND
Helsingborg
Landskrona
Malmö
Christian Stat
Köben hafven
Amag
Soltholm
Milliaria Germanica

ſima, gens bellicoſa. Inter Præfecturas, quæ *Herret* appellantur, majores Sueciæque finitimæ ſunt, *Gungherret* & *Froſten*. Ex quibus Daniæ præfecturis, duobus itineribus, ſed admodum difficilibus, in Sueciam perveniri poteſt. Et quidem eorundem territorium prius, quod *Gungherrit* & *Gudenherrit* dicitur, Gutarum quam proxime refert vocabulum, ex Ptolemæo jam ante memoratum, ut nimirum *Gunger*, quaſi *Gutæ* fuerint.

Scaniæ urbes.

Oppidorum, quæ in ſingulis jam ditionibus pleraque ſunt enumerata, præpollent Scaniæ quatuor, *Lundia, Coronia, Malmogia* & *Helſingburgum.* Olim cum res Danicæ rege Rolvone ſtarent, cujus ante Chriſtum natum æra memoratur, illuſtre hîc fuit *Læthræ* oppidum Rolvone eodem conditore. Ait enim hiſtoriæ ſuæ libro ſecundo Saxo noſter Grammaticus: *Refertus itaque falſa vectigalium mole navigiis Lethram pergitur, quod oppidum à Rolvone conſtructum, eximiis regni opibus illuſtratum, ceteris confinium provinciarum urbibus regiæ fundationis & ſedis auctoritate præſtabat.* Oppido arcem additam fuiſſe ſingularis munitionis, ex verbis ejuſdem conſtat, ubi inquit libro eodem: *His cognitis, Helgo filium Rolvonem Lethrica arce concluſit, hæredis ſaluti conſulturus, utcumque ſuam fortuna tentaſſet.* Regiam aulam comitiaque ibidem antiquitus habita, vel ille apud Saxonem quoque verſus lib. 2 indicio ſit, ubi Rutam minabundus alloquens Biarco ait, *Lethra nequaquam ſoſpes abibis.* Alii in Selandia ponunt. Vbi & *Lethræ pons* nominatur circa annum Chriſti 1256. Tum etenim ibi acre cum turba popularium à rege Chriſtophoro Primo prælium commiſſum, indicat Hiſtoria. Saxo exinde ad res ſui ævi progreſſus mentionem injicit oppidi ab Eſchilli Archiepiſcopo Lundenſi in Lethræ palude conditi, hiſce nimirum verbis lib. 14: *Igitur vitandi periculi gratia, longinquas Verundiæ partes (Eſchillus) acceſſit, ſalutem ſeceſſu, non bello quæſiturus. Tunc rex urbem in ſolido Lethricæ paludis ab eo conſtructam, obſidione tentat, captu quidem difficilem, quod & naturæ præſidio munita, & commeatibus affatim inſtructa fuerat.* Appellat & *Caſtellum* Saxo. Putantque nonnulli Elholmiam nunc eſſe, cujus in Blekingia jam modo meminimus. Alii ad Seburgium, de quo Selandia, referendum potius exiſtimant. At *Lundia* ſuperiorum quatuor mediterranea quidem eſt, ſed ita ut unico tantum milliari à mari diſtet. Eaque ſitus, præter cetera, commoditas in cauſa fuit, quod ſedes hîc Archiepiſcopalis ſit conſtituta anno Domini 1104, atque ibi perduravit ad tempora uſque Chriſtiani III, qui obiit anno Chriſti 1559. Fuitque ſummæ dignationis hic Epiſcopatus. Nam olim, ut eſt in matricula Ordinum ſacri Romani Imperii, inter ceteros quoque Lundenſis Archiepiſcopus ad imperii Comitia evocari, inque iis ſuffragii jus habere eſt ſolitus. Quando fuerit, & à quo vel à quibus condita Lunda, nuſquam in hiſtoriis legere memini. Nam qui Anglos conditores agnoſcunt, appellatione ſola moti videntur, quæ communis eſt huic cum Angliæ metropoli *Londen.* Germani enim utramque civitatem *Lunden* nominant. Dani hanc ſuam ſua lingua *Lund* dicunt, quod nomen *lucum* aut *nemus* ipſis ſignificat. Nec aliud etiam veteri Britannorum idiomate hoc ipſum notaſſe, ex Camdeno conſtat; ut ita *Lundia* hæc noſtra, Britanniæque *Londinum*, Tacito quoque nominatum, eandem nominis ſui originationem ſortita ſint. Vtrum antiquius, affirmare certo non habeam; omitti interim haud debent, qui de Lundæ antiquitate circumferuntur Danici rythmi:

Den tid Christus lod sig føde/
Stod Lund oc Schanør/ fegerste guade/

Quorum ſententia eſt: *Chriſto naſcente floruiſſe Lundam & Schanoram.* Eſt autem *Schanoræ* vetuſtiſſimum ejuſdem Scaniæ municipium, nunc vicus exilis, tribus circiter à *Malmogia* milliaribus diſtans, verſus ortum brumalem. *Lunda* vallo olim & foſſis fuit circumcincta, portaſque tres habuit, ſeptentrionalem, quæ hodie S. Olai dicitur, ob templum S. Olai, ei portæ proximum, hæc latæ plateæ porta eſt dicta, à platea quæ ad hanc rectà ducebat. Altera orientalis, porta S. Martini appellata, ab eo, quod in vicinia illa erat templum, à quo plateæ quoque nomen inditum. Tertia meridionalis, quæ rubra dicitur, & Malmogiam ducit. Harum portarum etiamnum exſtant veſtigia, iis enim adhuc locis rudera relicta ſunt. Vallo autem diruto, non tribus modo, ſed ſex aut ſeptem nunc viis in urbem patet introitus.

Inter parochialia templa, quæ circiter viginti duo fuerunt, primas ſemper tenuit *ædes Laurentiana* cathedralis, in meditullio fere civitatis collocata, vaſti operis ac imprimis magnifica. Ex ſecto enim lapide conſtructa ac plumbeis laminis tota eſt tecta, cujus prima ædificatio Sueoni tribuitur, qui ſub Chriſti annum 1017 exceſſit, ſummam tandem adjiciente manum S. Canuto, Daniæ Rege, ſub quo & facta dedicatio anno 1085. 12 Calend. Iunias, hoc eſt, ante ejus cædem anno proximo. Quo tempore collegium etiam Canonicorum primo inſtitutum eſt, eccleſia & eccleſiaſticis à rege eodem Canuto dotatis quam liberaliſſime.

Habet hoc idem *Laurentianum templum* tria etiam memoranda, *Hypogæum*, *horologium* & *altare*. *Hypogæum* à Saxone quoque Grammatico celebratur, hodie Cryptam vocant, occupatque univerſum pene, quod eſt ſub choro, ſpacium, ubi & olim non minus quam in ipſo templo ſacra fiebant. In hoc *Bernardus Anglus* eſt conditus, qui baptizato Olavo Sueco Iacobi nomen impoſuit. Evocatum vero eum ex Anglia à Daniæ regibus, rerum memoriæ teſtantur. Crantzius Lundenſem etiam epiſcopum facit, ſed perperam. Nam primi, quorum Saxo meminit, epiſcopi Lundenſes celebrantur, *Eguinus* & *Richwaldus*, uterque etiam Anglus, cujuſmodi & Gulielmus fuit, Roſchildenſis Epiſcopus. Claruitque Eguini & Richaldi hujus temporibus S. Canutus, de quo dictum, Daniæ Rex. Cujus triſtem exitum, ut & filii ejus Caroli, Flandriæ Comitis, Eilnothus, item Anglus, ſcripto complexus eſt. Anglum enim ſe fatetur ipſe, & annos 24 in Dania verſatum ſcribit. Ob quæ cum Danis quotidiana Anglorum commercia, tum & nomen Lundæ cum Lunda Britannica commune, quomodo & modò innui, plerique Anglis *Lundæ* fundationem ex conjectura potius quam re, attribuere. *Horologium* quod dixi,

dixi, est collocatum in parte templi inferiori, qua in turrim ascenditur australem, ubi tabula parieti affixa visitur quadrata, oblonga, utcunque magna; circulis aliquot variorum colorum, quorum, qui maximus est, diametrum habet pedum circiter 8. In qua quidem tabula, per certos ejus rei indices, & annus currens & mensis ac septimana, dies quoque singuli, ac horæ singulæ monstrantur liquidissime, addito etiam festo, si quod illo aut illo die celebretur, tam fixo quam mobili. Docetur etiam quis luminarium Solis & Lunæ motus, quæque horum in Zodiaco loca diebus singulis, & ad se invicem sint habitudines. Et foris quidem in dicta tabula hæc spectantur; intus autem machinis quibusdam, ad id rite fabrefactis res agitur. Accedunt & parerga, ut equi prodeuntes cataphracti, qui horæ cujusque pulsum certis ictibus se invicem petentes indicant, aliaque ejusmodi, quæ præter insigne automati artificium, argumento sint majores rerum Mathematicarum haud inexpertes fuisse. Est enim opus minime novum, quamvis de authore, aut quo sit tempore constructum, minus constet. *Altare* postremo in eadem hac æde spectatur perquam magnificum, recens tamen, utpote sub annum Domini 1577 haud exiguis ecclesiæ sumptibus exstructum, procurante id viro nobilissimo *Hilario Grubbe*, tutore & ecclesiæ ejusdem Præposito, eodemque regni Danici Cancellario ac Senatore prudentissimo. Est autem altare hoc peramplum & altum, ex marmore partim candido, partim nigro, versicolore etiam nonnullo, artificiose admodum ordinato atque polito, expressis in eodem, præter alias quasdem effigies, imaginibus regis Friderici Secundi & Sophiæ reginæ conjugis, horumque insignibus. Mediam tabulam occupant simulachra Servatoris & Discipulorum duodecim, mensæ velut accumbentium, eo ritu, quo in prima sacrosanctæ Cœnæ celebratione consedisse, apud Evangelistas referuntur.

Coronia.

Coronia sive ut vulgo appellant, **Landskrone**, maritima est civitas, ab Erico VIII Daniæ rege primum condita, sub annum à Christo nato 1413, cum prius eo loco pagus fuerit *Seby* dictus. Cujus adhuc appellationem platea quædam in hac regione retinet, incolis dicta *Sebygade*, id est, *Sebyensis platea*. Quam *Landoram* appellat Saxo de Erico IV & Valdemaro I loquens, ea non civitas fuit, sed longior quidam, ut ipse habet, arenæ tractus à littoris continenti in mare procurrens. Nec facile est dicere sub quonam Schaniæ littore is fuerit tractus, hîc ne, ubi *Coronia* nunc est, an alibi. Verba interim Saxonis digna sunt, quæ adscribantur ex libro ejus XIV: Vbi Landoram classe perventum, rex spectandi exercitus sui avidus, in campo copias explicare constituit, ut totas vires oculis subjiciendo, an ea manu tutò bellum commissurus videretur, aspiceret. Ab hujus littoris continente longior arenæ tractus brevibus abscissus, curvatis anfractibus portum navigiis facit, humilis ita, ut, veniente æstu, lateat, abscedente visatur. Nam vadosus ejus introitus diffusiore spacio opacæ altitudinis undas includit. Quæ sane ego haud incommode ad portum Landscronensem accommodem. Est enim, quod res & tabulæ hydrographicæ ostendunt, vadum hodiéque in limine istius portus delitescens, quod caute vitandum intrantibus, cursusque austrum versus flectendus, ne impingat navigium. Et ut plenius de ipso hoc portu verba faciam: Vicinus est urbi ad orientem fluvius, dimidio tantum milliari ab urbe distans: hic in meridiem fluens, seque in mare exonerans, cursum nonnihil flectit ad aquilonem, marique mixtus Coroniam præterlabitur, ac portum jam dictum efficit, vastarum etiam navium capacem. Eaque situs præ ceteris commoditas occasionem præbuisse videtur condendæ hoc loco civitatis. Quin & portus idem haud parum momenti ad victoriam attulit Christiano III, cum, patre defuncto, de regno dimicare cum adversariis, ac Comite præsertim Oldenburgico, cogeretur. Tum enim occupatâ urbe tutam classi ejus stationem hic sinus præbuit. Atque id præter alia, ita victori regi & portum & urbem commendavit, ut postea arcem quoque in ea condi fecerit, eo loci, ubi antea fuerat Carmelitarum cœnobium: Et hoc præterea amplitudini ejus adjecerit, ut Engelholmiensis mercatus anniversarius Coroniam sit translatus; præsertim cum intelligeret eum mercatum Engelholmiæ haberi non posse, sine manifesto trium vicinarum urbium *Helsingburgi, Coroniæ* & *Malmogiæ* interitu. Hoc in annum incidit 1547 suo in historia loco memoratum. Portæ civitatis versus meridiem & Mare tres sunt: Totidem etiam, qua urbs continentem spectat: Orientalis una, altera septentrionalis, tertia occasum æstivum respicit. Per has ingens rerum venalium, quas regio vicina producit, importatur copia, sicuti per portas maritimas, quæ mari advehuntur, ex variis Europæ regionibus, Livonia, Russia, Suecia, Pomerania & civitatibus Germaniæ maritimis; Hollandia item & Anglia ac Scotia, ultimaque Norvagia & aliis locis perplurimis. Nunquam autem vel mercium vel hominum in hac civitate frequentia major, quam circa solstitium æstivum, cum in ea mercatus exercetur longe maximus. Nam procul à porta maritima orientaliori, forum est peramplum, juxtaque prætorium magnifice extructum. Et circa forum, quemadmodum passim in urbe tota, maxime versus portas borealem & orientalem, privatorum ædificia sic satis splendida.

Malmogia.

Malmogia nonnihil Croniâ vetustior est, utpote anno Christi 1320, vel circiter condita, sub initia fere gubernationis Christophori II Daniæ regis. Nunc Scaniæ propemodum totius est metropolis, idque mercimoniorum, quibus inclaruit, opportunitate. Maritima enim est, à Lundia vix duobus distans milliaribus Germanicis versus meridiem; à Coronia totis quatuor. Incolæ eam *Malmoe* appellant, quod Latine redditur *Malmogia*. Olim inferiorem Malmogiam hanc dictam comperimus, ad differentiam pagi cujusdam vicini, qui à mari remotior, & loco aliquantum editiori situs, eandem obtinuit appellationem, ita tamen ut ea *superior* diceretur *Malmogia*, quemadmodum hæc *inferior*, Danice **offre Malmoe / oc nedre Malmoe.** Sublato pago cognomine, cujus nunc exstant vestigia, hæc sine additamento nominatur

tur *Malmogia*, quam Hollandi constanter sua lingua appellant **Ellebogen** / quod cubiti formam referat, *Anconam*, quæ & Italiæ est civitas, posses dicere. Est enim ad hanc civitatem maris flexus quidam, quem frequentasse Germanos est verisimile, piscationis olim caussa in Scaniam profectos, etiam ante Malmogiam conditam. Cognominem sibi urbem habet in regno Bohemiæ, si vocabulum præsertim, quo eam, ut diximus, Belgæ fere efferunt, Ellebogæ sequamur. Nam & ibi similiter *Elleboga* reperitur. Etymon autem si venari in Malmogia libeat, non absimile fit à *Mal* sive *Maal* & *oe* ita dictam, quod lingua olim Germaniæ veteri, & præsertim Caroli Magni ævo, *Mallus conventum* seu *comitia* notaverit, & vox hodieque usitata **Malstede** satis indicat. *Oe* autem *insulam* seu *sinum peninsulæ* significare, etiam Daniæ indigenis, apud omnes est in confesso. ut ita *Malmoe* nihil sit aliud, quam conventus seu comitiorum locus seu insula, quasi **Malsoe** dicas. Et ei haud leve pondus accedat ex ipso etiam gentis idiomate. Nam **maal** hodieque Danis, Suecis, Norvagisque sermonem notat, ut **Dauschmaal** / **Suenschmaal** / **Norschmaal** / est *Danicus*, *Suedicus* ac *Norvagicus sermo*. Illud autem, præter cetera, peculiare Malmogiæ concessit *Waldomarus* Margaretæ pater, Daniæ rex, quo tempore, quam antea Sueci Holsatique distraxerant, universam recepit Scaniam, sub annum Christi 1360, vel circiter, ut à telonii, quod vocant, solutione immunes essent Malmogienses omnes, in quamcumque Daniæ oram cum mercibus venire ipsis contingeret. Id privilegium renovatum confirmavit Ericus VIII recentioribus his Scaniæ civitatibus Malmogiæ & Coroniæ, quam & posteriorem ipse, ut est indicatum, condidit. Malmogia arce munitissima insignis est, itemque ædificiorum magnificentia, quæ nusquam sunt per Schaniam, quam in hac urbe magis splendida. Arcem exstructam reperio imperante rege Erico Pomerano sub annum Christi, qui fuit millesimus supra quadringentesimum trigesimus quartus. Qua parte mare spectat & circium, muro tota cingitur, portis etiam quibusdam pervio, ex quibus duæ sunt celebratissimæ: Altera, qua in arcem itur, altera, qua ad pontem; qui in mare procurrit. Ad quem appellunt minora tantum navigia, & si quæ cimbæ aut naves actuariæ, cum hominibus vel mercibus seu Haffnia adveniunt, seu Malmogia solvunt, Haffniam aut alio navigaturæ. Navigia grandiora seu oneraria, Holcades dicta, procul à ponte vel civitate consistunt, velut in portu, tolerabili quidem illo, verum non admodum tuto præsertim flante Circio. Reliqua urbis pars versus continentem & austrum, vallo ac fossis probe munita est, paludibus etiam quibusdam tutam eam præstantibus: nisi ubi & horti sunt (sunt autem circà hanc urbem frequentes) vel vivaria sive piscinæ. Portæ hîc sunt præcipuæ, Orientalis una, altera Meridionalis, quibus & turres impositæ visuntur, cum tormentis majoribus haud paucis, quæ ex turribus prominent: Tertia porta occidentalis, non æque frequentatur, ut superiores duæ, nisi cum halecum sub littus Schaniæ exercetur piscatio, quod fit quotannis fere, ab usque festo Bartholomæi ad Dionysii, per septimanas circiter sex continuas. Est enim hæc porta mari vicinior, eoque per eam, sicut & per maritimas illas, magna passim importatur per id tempus halecum seu harengarum copia. Celeberrimus enim tunc & quotidianus est urbe tota mercatus, exoticis etiam mercibus quamplurimis in urbem importatis, navigiorum beneficio, per portas maritimas. Media pene urbe forum est spaciosum admodum, & in eo versus Ortum domus Civica sive prætorium amplum imprimis, atque magnificum, sub annum à nato Christo 1546 impensis civitatis haud mediocribus exstructum, diruto prius, quod in vicinia erat, Franciscanorum monasterio. Est in medio nunc foro cisterna longe capacissima, quæ per canales & cuniculos quosdam subterraneos, eo ex quodam extra urbem rivulo deducta ad usus quotidianos & necessarios, omnibus in vicinia habitantibus aquam fundit copiosissimam. Nam procul à foro orientem versus Templum est D. Petro Apostolo olim dicatum, spaciosum id imprimis & magnificum, latericium tamen, fundamento excepto, cui ad occidentem adhæret turris, impositam habens pyramidem, perquam editam arduamque, laminis partim cupreis, partim plumbeis tectam totam. Hoc templum parochiale est toti civitati, quamvis frequentissimæ. Ei Schola proxime adjacet versus ortum brumalem, haud incelebris, in qua Rector sive Pædagogiarcha unus, hypodidascali quatuor.

Helsingo-burgum.

Helsingoburgum Scaniæ civitas est maritima, Saxoni Grammatico *Helsinga* & *Helsingium* dicta, à populis, ut videtur, *Helsingiæ*: quorum in Suecia adhuc clarum est nomen. Adamus Bremensis non *Helseburgum*, sed ab ipsa re *Halsingburgum* appellat, quod scilicet Balthici maris faucibus, sive, ut vulgo vocant, ipsi ejus cervici, quæ **Hals** dicitur, sit adsitum. Sita est igitur urbs ipsa ad fretum illud celebratissimum *Oresundæ*, quod vocant indigenæ, sive fauces potius, per quas in Balthicum mare, vel, ut Mela & Plinius nominant, in sinum Codanum illabitur Oceanus. Brevissimus hîc è Scania in Selandiam adversam, de qua dictum, trajectus est: Porrigitur autem secundum littus in longum magis quam in latum civitas; idque ob montem, qui urbi imminet, arcem habens ejusdem cum civitate nominis. Quæ & ea est amplitudine, ut videri per se municipium aliquod possit. In hujus meditullio turris quadrata visitur, & ipsa ampla admodum atque imprimis edita, quæ ad milliaria aliquot procul spectandam se exhibet. Hanc turrim duplex ambit murus, alter proxime eandem cingit: alter, qui est remotior, arcem totam unâque ædificia complectitur quamplurima, quotidianis eorum, qui arcem tenent, usibus accommodata. Murus idem exterior, qua parte ortum & aquilonem respicit, fossa cingitur sic satis profunda, quod id latus minus videatur natura munitum, quam occiduum, quod est præruptum atque arduum, suaque natura inaccessum. De tempore extructæ hujus arcis circumferuntur barbari quidam versiculi duo, qui sic habent:

Tempore natalis Christi turris capitalis

Helsing-

Helsingborg struitur, velut in scriptis reperitur. Ea tempestate Danorum imperium tenuisse, ni fallor, Frotonem Tertium, commemorat Saxo Grammaticus. In urbis verò medio Templum est Virgini olim Deiparæ dedicatum, ex cocto lapide quidem extructum, sed imprimis amplum atque excelsum, cui turris addita aliquanto altior. Vniversum autem ædificium ejusmodi plane, ut & gratiam quandam habeat, quod decenti simplicitate commendetur, quodque copiosa undique luce perfundatur. Nusquam plura quam ibi antiquæ Nobilitatis Danicæ ad parietem templi borealem depicta visuntur insignia, sepultis in eodem templo præstantibus illustri stemmate viris. Non procul à Templo austrum versus *Prætorium* est unáque *forum*, in quod merces suas quotidie invehit frequens vicinia. Præter mercatum hunc quotidianum, in quo civium potissimum ac vicinorum servitur commodis, alii duo anniversarii; alter in medio quadragesimæ, alter sub Dominicam Palmarum dictam, celebrantur, tanta non ex Dania modò, verum etiam ex peregrinis & procul dissitis regionibus hominum multitudine, rerumque copia, ut vix in ulla totius regni panegyri vel mercium sit, vel hominum major frequentia.

H A L L A N D I A.

Helsingoburgum.

HAllandia à parte aquilonari Scaniæ est proxima, quæ Norvagiam, versus boream; ab ortu Sueciam attingit, Vestergothiæ antiquitus pars habita. Initium accipit, ubi Scaniæ est contigua, ab immenso illo promontorio, quod *Hallands-Aß* indigenæ, nautæ & exteri *Col* appellant. Indeque secundum littus adusque Elsburgum, Sueciæ arcem, extenditur. Ab ortu eam Sueciæ partem contingit, quæ Westergothia dicitur. Estque magna agrorum fertilitate prædita. Vrbibus præterea, arcibus, templis, nobilium habitationibus, prædiis & pagis passim exculta. Civitates maritimæ sunt, *Halland-Aaß*, *Laholmia*, *Halmstadium*, *Falkenburgum*, *Warburgum*, & sexto inde milliari *Elseburgum* Sueciæ arx. Præ ceteris *Varburgum* insigne est adversus hostes propugnaculum; ut & *Halmstadium*, vallo & fossis, curante jam nuper Christiano ejus nominis regum Quarto, singulari artificio ac cura communita. Littus innumeras fere habet insulas & scopulos sine nomine, quorum series late se circa Norvagiæ oras ac promontoria extendit. Frumentis & piscibus abundat: cigni, grues, anseres, anatesque silvestres, quæ magno agmine, æstatis tempore eo confluunt, ibidem circa littora, aut in proximis lacubus ingenioso ac frequenti aucupio capiuntur. Cumque in eadem hac regione nemora ac sylvæ permultæ sint, in quibus lupi, cervi, capreoli, vulpes ac lepores abundant, hinc multum operæ venationibus passim impenditur. Quin & boum & equorum numerosa agmina in Germaniam quotannis emittit.

B L E K I N G I A.

BLekingia ad austrum Scaniæ adhæret, non procul ab ea Sueciæ parte, in qua civitas Calmaria cum arce est sita. Germaniam respicit, & has habet partim ad mare, partim ad sinum aliquem maris positas civitates, *Trelleburgum*, *Vstadium*, *Santhameram*, *Ahusium*, *Selsburgum*, *Elleholmiam* & *Rottenbyam*, quæ ad fines Sueciæ est sita. Accesserunt jam nuper oppida bina, à rege Sereniss. Christiano ejus nominis IV condita, *Christianopolis* & *Christenstadium*. Incolæ, ut plurimum, cum Germanis, maxime vero cum Lubecensibus & Rostochiensibus, frequentes negotiationes exercent, agros colunt, sed potissimum pascuis gaudent. Hæ tres jam commemoratæ provinciæ duplo amplius constituunt spatium, quam vicina, de qua suo loco, Selandiæ insula. Vtraque autem & Hallandia & Blekingia Ducatus olim titulo fuere celebres, iisque addita, de qua jam dictum, Scania. Civitates in universum intra id spatii numerantur quindecim; parœciæ vero rurales sexcentæ & quindecim: cùm ævo Adami, quod supra est memoratum, parœciæ tantum ibi trecentæ fuerint.

INSVLA IN MARI ORIENTALI.

B O R N H O L M I A.

SVperato promontorio Falsterboensi, *Bornholmia* se offert, quinque milliaribus ab australi Zelandiæ littore, à Scania circiter quatuor remota. Hæc, præter pagos perplures, utpote nomarchiis constans quatuor, aliquot ecclesias complectitur, & arces quoque *Santwicum* & *Hamershusium*; oppidula habet tria, *Nexoam*, *Rundeam*, & quam olorum paludem vocant, Suaneker vulgo. Longitudo ejus milliaribus Germanicis septem protenditur, duobus lata patet. *Sandvicum* etiam nonnulli non arcem, sed municipium faciunt. Saxoni Grammatico *Boringia* dicitur. Adamus Bremensis, omissa primore syllaba, *Holmam* nominat, aitque *Scaniæ* & *Gothiæ* esse *proximam*; celeberrimum præterea appellans *Daniæ portum ac fidam stationem navium, quæ à barbaris in Græciam dirigi solent.* Quo loci, quod stationem habuisse hîc innuat, qui in Græciam pergerent, intelligendum, quatenus olim, qui his ex oris in Græciam aut Constantinopolim cogitabant, eos mare hoc orientale usque in Russiam navigasse, atque inde terrâ reliquum iter emensos; ut liquet vel ex Saxone & rebus *Erici Cyprii*, de quo annus historiæ videndus 1105. Portum autem ac fidam haberi hîc navium stationem agnoscunt hodieque, & experiuntur naucleri omnes, hoc præsertim mare navigantes: distantque ab ea, ortum versus borealem, milliaribus circiter duobus, *Eertholmiæ*, constantes ex insularum quasi frustis, quæ in circulum veluti conglomeratæ, stationem navibus in medio sui exhibent tutissimam.

Eertholmiæ.

Holmæ

Holmæ. *Holmæ* autem vox, quia jam iterum sæpiusque se obtulit, intelligenda est esse gentis vernacula, præsertim cum aliquid circumscriptum & veluti septum indicandum sit; ut ita non tantum *insula*, sed subinde etiam *clivus* & *colliculus* eàdem significetur. Sic *Draecsholmia*, cujus superius memini, non in insula, aut maris est insula, sed ad littus maris in clivo paulum elevatiore arx est posita. Apud Anglos perplures hoc nomine gaudere Britanniæ littori circumpositas insulas, ostendunt **Fetholme/ Stepholme/** itemque **Greſholme** & **Stockholme/** circa agri Pembrochiensis flexum. Quarum ultima eandem plane nomenclaturam prodit, quæ est *Stocholmiæ*, apud Suecos emporii nominatissimi. *Bornholmia* præterea pecore ac pascuis adeo fertilis habetur, ut ad exteras etiam regiones, præter butyrum & sevum, frumentum quoque itemque lanam, & carnem ovinam bovinamque muriâ condîtam abunde transmittat.

GOTLANDIA.

Bornholmiam excipit proxime ad sinistram *Olandia* Sueciæ contigua, eique ut propior, ita & propria jurisque Suecici. Inde ortum australem versus *Gotlandia*, sive potius appellare cum aliis *Gotiam* libeat. Ipsi indigenæ Danique & Sueci **Gutlant** appellant, voce, quæ proxime accedit ad Ptolemæum, qui his in oris, quos *Gothos* alii, ipse *Gutas* dixit. Hæc Danicæ coronæ insula, præter armenta frumentaque, quibus abundat, venatione, piscatione aliisque rebus, humano usui necessariis, admodum est dives. Quin & saxi genus, sive marmor potius, copiose ibi ex lapidicinis eruitur, vulgo *Gulanse* seu **Gotlandſche ſteen** appellatur; cujus magnus in Dania ad ædificia arciumque regiarum exstructiones usus est: nec enim ad exteros, nisi regio permissu, solet evehi. Est & frequens silva, abietes admodum proceros, ac mala proinde navibus accommoda, abunde producens. Habet in longitudine insula milliaria circiter octodecim, in latitudine haud ultra quinque patet. *Visbya.* *Visbya* non tam metropolis ejus, quam monopolis habenda. Primum Episcopum ecclesiis præfecit *Fredericus* Secundus Daniæ Rex. Postmodum, regnante *Christiano* Quarto, ipsius, ut videtur, antistitis culpa, qui episcopatu motus, diu privatus egit, Præpositus, ut ante habebatur, est constitutus, qui ecclesiis omnibus, quarum circiter centum sunt, præesset. Oppidum ipsum nobilissimum, olim totius septentrionis emporium fuit. Vinetâ enim & Iulino funditus eversis, atque inde Slesviga incendiis & rapinis vastata, translatus est Cimbricæ Chersonesi universus rerum exoticarum mercatus Ripas Phundusiorum: unde haud multo post negotiantium exterorum colonia in hanc insulam atque urbem transiit. Cujus antiqua dignitas & amplitudo, partim etiam templorum ac cœnobiorum multitudine potest æstimari. Nam olim templa decem, monasteria vero quatuor exstitisse, arte ac materia operis sibi invicem æmula, indigenarum relatione constat. Inter templa unum fuit divo Olavo dicatum, ab Erico quondam Cyprio, Danorum rege, exstrui mandatum: Plateæ publicæ crepidine olim continua obductæ, merces pariter ac mercatores ipsos à vi atque iniquitate cœli facile defendebant. Et restant hodieque structuræ hujus artificiosissimæ parietinæ, ac rudera quædam certissima, foresque ac ferreæ fenestræ, quæ fortunam priorem satis indicant. Quin & ædes civium secto de marmore exstructas, passim est animadvertere. Muro urbs cingitur, præterquam ea parte, quæ portum respicit: Cujus molem ac situm, qualis olim fuit, referunt tabulæ præsertim Aurigarii hydrographicæ. Arx portui haud longe abest, quam regis Gubernator sedem tenet. Primam urbis munitionem referunt Chronologi ad annum 1288, cum Rex Sueonum *Magnus* pugnam inter oppidanos ac terræ incolas, compositâ, quæ erat utrimque exorta, lite, amicè diremisset. Castri præsidium addidit deinde regina *Margareta*. Certò autem constat hac in urbe æque atque apud Rhodios olim, jura maritima fuisse constituta, atque ibidem primum tabulas hydrographicas diligenti nautarum observatione adnotatas, quæ postea ab aliis auctæ emendatæque, singularem usum præstiterunt navigationibus, utpote quarum beneficio caligantia maris vada evitare nauta, ferrique in portum optatum, non longis anfractibus legendo littus, sed recta cursum tenendo potest, modò ventus faveat. Hæc insula quam varias fortunæ vices subierit, & modò Sueco, modò Danis, sed ut plurimum ac firmiter ad hoc usque tempus Danis adhæserit; docent quæ suo sunt loco positæ, rerum per annorum deductæ seriem memoriæ.

His addantur verba Adami Bremensis, qui postquam de insulis Daniæ regno subjectis dixisset, adjecit continuò cap. 208: Hæ insulæ Danorum regnum aspiciunt, omnesque jam Christianitatis titulo decoratæ sunt: Sed & aliæ interius sunt, quæ subjacent Sueonum imperio: Quarum maxima est illa, quæ **Curland** dicitur, iter octo dierum habens, gens crudelissima, propter nimium idololatriæ cultum fugitur ab omnibus: aurum ibi plurimum, equi optimi, divinis, auguribus atque necromanticis omnes domus sunt plenæ, qui etiam vestitu monachico induti sunt. A toto orbe ibi responsa petuntur, maxime ab Hispanis & Græcis. Hanc insulam in vita Sancti Ansgarii *Chori* nominatam credimus, quam tunc Sueones tributo subjecerunt. Vna ibi nunc facta est ecclesia, cujusdam studio negotiatoris, quem Rex Danorum multis ad hoc illexit muneribus. Ipse enim Rex gaudens in Domino recitavit mihi hanc cantilenam. Hactenus verba Adami Bremensis. In quibus insulas Daniæ subditas intelligit superius enumeratas circa Iutlandiam & Scaniam: cujusmodi fuerint, *Morsia*, *Samsoa*, *Fimbria*, *Falstra*, *Lalandia*, *Langelandia*, *Fionia* & *Zelandia*. Quæ autem hîc *Curlandia* intelligenda, quis dicat? Nam si ipsam, ut nomen sonat, *Curlandiam* capimus, hæc non insula, sed continens est, Livoniæ Prussiæque ac ceteræ Germaniæ contigua hærens. Adeo ut suspicer fere cum hæc à rege se Daniæ accepisse Adamus memoret, sonum magis quam verba ab eo regis excepta, & *Curlandiam* pro *Gulandiam* expressisse. Nam, ut dixi, cum gentis idiomate

non

non *Godlandia*, sed Gulland dicatur, ille fortassis quam dicere debuit *Gullandiam*, dixit *Curlandiam*. Et juvat hanc conjecturam, quod nuspiam in hoc Balthico Oceano meminerit alias Gotlandiæ Adamus, quin & Sueonibus tributo subjectam dicat, utpote Ostergothiæ Suecicæ maximè propinquam: quamvis non Suecis modò, sed & Danis quoque antiquissimo illo seculo paruisse, ex eisdem his Adami verbis queat colligi, cum studium ac sollicitudinem regis Danorum, qui, ut alibi quoque meminimus, *Sueno Esthritius* fuit, tam insignem notet in traducendo ad Christianam pietatem insulæ hujus populum.

O S I L I A,
& reliquæ Insulæ.

PORRO Gotlandiam proxime sequitur Osilia, magno sinui Livoniæ ab occasu objecta, quatuordecim milliaribus in longitudinem, septem circiter in latitudinem patens. Quondam collegiata Canonicorum ordinis Teutonici societas totam possedit, salvo tamen jure, quod regi Danorum perpetuo competiit. Nunc Danicæ in universum Coronæ innexa, eidem regno adhæret. Castrum habet *Arnsburgum*, regio præsidio communitum. Numerus incolarum ad quatuor millia & ultra censetur. In his ex nobili prosapia habentur familiæ triginta. Meminimus superius hanc videri Plinii *Oserictam*, cujus est mentio libro ejus 37, capite 2: ubi hæc habet de succino agens: *Ait Mithridates esse in Germaniæ littoribus insulam, vocarique eam Oserictam, cedri genere silvosam. Inde defluere in petras succinum.* Hodie octo aut decem parochialibus ecclesiis est distincta. Quarum præcipuæ sunt *Schworne*, *Piva*, *Karels*, *Kargis*, *Wolde*, *Cormel*, *Kilckan*. Distat Lubeca centum; Haffnia octuaginta; à Livonia milliaribus haud multis est remota.

Hæ sunt Balthici maris insulæ, quæ non tantum regno subditæ, sed Scandinaviæ quoque ac Sueonum lateri quam proxime adjacent, excepta, de qua ultimo dictum, *Osilia*. Hæc enim Livoniæ & illi oræ Germaniæ quam proxima est. Iam si facto regressu, ut modo illud Scandinaviæ, ita nunc Germaniæ littus, versus occidentem sequar, & huic quæ objiciantur littori in eodem hoc mari insulæ, aliquot etiam occurrent. Quas inter, exceptis *Neringa* aliisque, vel *Usedomia* sit, & ei proxima, in qua *Iulinum* celeberrimum olim Pomeraniæ emporium, nunc *Wollinum*, visitur. Has insulas magnus ille Pomeraniæ lacus Frischhaff dictus, efficit, ubi & amnes tres *Panus*, *Zuinus* & *Divinon* collecti, in Oceanum se orientalem effundunt.

A quibus haud multis parasangis abest, occasum versus, de quâ & supra injecimus, hodieque *Rugia* dicta. Cujus meminisse vel ideo debemus, quod non modo Daniæ quondam regibus subjecta, sed ecclesiæ etiam Roschildensi, quod ad ecclesiastica, paruerit, & hodie quoque prædia ibi atque incolæ habeantur, qui Daniæ regibus sunt dicto audientes. A Dania demum, non sine insigni coronæ ac regni detrimento, primus separavit circa annum Christi 1431 Rex *Ericus* Pomeranus, tradiditque ditionem universam consanguineis suis *Wartislao* seniori juniorique Ducibus. Qui & ipsi, sicuti & cognatus eorundem *Barnimus*, haud dubitarunt ea occasione Roschildianæ quoque diœceseos Comitativam, ut vocant, sibi subjicere: existimantes non modo politiæ privilegium, sed ecclesiasticam simul ad se pertinere jurisdictionem. Sed de hoc ipsa consulenda historia.

Rugia.

Adjacet proxime Rugiæ *Danholmia*, estque exiguo ab eâ ipsaque Rugia Isthmo separata *Stralesunda*, perquam hodie famigerata civitas, quæ & conditores sui Danos agnoscit. Nam *Iarimarus* Rugiæ princeps, indultu regis Danorum *Valdemari* II, cujus erat beneficiarius, sub annum Christi 1207 prima ejus fundamenta posuit. Quæ exinde ad colophonem perduxit ejus filius *Witzelaus*. Et licet in adversum multa molirentur, Pomeraniæ tum Duces, *Bugislavus* & *Casimirus*, sub initium anni millesimi supra ducentesimum decimi, nihil tamen potuere, suppetias perpetuo Rugiæ Dynastis præbente *Valdemaro* Danorum rege jam memorato. Et ut ista olim sui primordia Stralesunda Danis debuit; ita hodie Danis quoque debet, quod jugum servitutis hactenus non subierit.

Danholmia. *Stralesunda.*

Fuit porro olim intra Rugiam *Arcona*, famosissimum antiquitus ac munitissimum oppidum, insulæ universæ metropolis: cujus apud Saxonem Grammaticum crebra occurrit mentio. De primis terræ incolis eorumque egressu ac bellis, cum antea nonnihil attigerim, refert plenius jam identidem memorata historia. Et antea quoque ejusdem hujus insulæ injecta mentio occasione verborum Taciti, quem in insula Oceani agnovisse *Castum nemus* diximus: ostendimusque fuisse qui de Rugia id interpretati sint, & alios vicissim, ut & mox referetur aliter. Nec omittendum postremo duplicem intelligi Rugiam, Cismarinam ac trans mare positam; quarum hæc est insula ipsa, illa ad Pomeraniæ continentem spectat, Tacitique, de quibus dictum, Rugios refert, quos ab Oceano, ut loquitur, atque Albi in hunc protinus locum conjicit.

Arcona.

F I N I S.

REVERENDISSIMO

ET

SERENISSIMO

PRINCIPI

AC

DOMINO,

DOMINO

CHRISTIANO

ALBERTO,

DEI GRATIA,

ELECTO

LVBECENSIVM

EPISCOPO,

REGNI

NORVEGIÆ

HÆREDI,

DV.

DVCI
SLESVICI,
HOLSATIÆ,
STORMARIÆ,
ET
DITHMARSIÆ;
COMITI
IN
OLDENBORG,
ET
DELMENHORST,

HASCE
SLESVICENSIS
DVCATVS
TABVLAS
ET
DESCRIPTIONES
D. D. D.

JOANNES BLAEV,
AMSTELÆDAMENSIS.


ADMONITIO
DE
ORIGINE
DVCATVS
SLESVICENSIS.

DVcatus Slesovicensis, olim pars Iutiæ, hinc adhuc appellatur Iutia Australis, ante multa jam secula à Regibus Daniæ in Ducatum erectus fuit, & Duces è regio sanguine ortos habuit, tandem ille post obitum Henrici ultimi ex eo genere, pervenit ad Gerhardum Comitem Holsatiæ è domo Schauenburgica: recognovit tamen ille eum, etsi ægrè, à Regibus Daniæ veluti fiduciarius cliens, deinde post decessum Adolphi ultimi Comitis Holsatiæ è Gente Schauenburgica, pervenit ille ad Christianum Primum Comitem Oldenburgicum Adolphi sororis filium, jure hæreditario; nec deinde Reges Daniæ veluti Duces Slesovicenses & Fridericus Dux Slesovicensis Gottorpiensis eum in feudum à Daniæ Rege acceperunt. Tandem inter Fridericum Secundum Regem, Ioannem Seniorem & Adolphum fratres Duces Slesovici & Holsatiæ, certa pacta non sine magnis laboribus fuère inita, quibus omnes adstringebantur hunc Ducatum à Regno Daniæ in feudum, sed tamen plane liberum & nullis servitiis obnoxium, recognoscere; vocantur illa pacta, Transactio Ottoniensis, quæ facta est anno 1579, & sapit magis naturam fœderis inæqualis quam feudi. Nunc vero per pacta Hafniensia anno 58 currentis seculi inita, & per Pacem nuper in Dania factam, confirmata, hic Ducatus ab ejusmodi vasallagio, seu clientela planè liberatus est, Ducesque ejus veluti Rex Daniæ & Dux Gottorpiensis nullum illic præter Deum superiorem recognoscunt. Situs est in hoc Ducatu Episcopatus Slesovicensis; ejus olim Episcopi fuerunt membra hujus Principatus, eaque, quæ alii status hujus Provinciæ in Comitiis provincialibus, præstiterunt, iisdemque fere oneribus, quibus alii, subjecti fuerunt; post reformationem Ecclesiæ pervenit ille Episcopatus ad Adolphum Ducem Gottorpiensem; post ejus obitum Fridericus Secundus Rex Daniæ occupavit eum, mansitque apud Reges Daniæ usque ad Regem qui nunc Rei summæ præest; obtenderunt tamen semper Duces Slesovicenses illum Episcopatum non minus ad se, quam ad Reges Daniæ spectare. Sæpius fuit tentatum per certa pacta inter regnum reges-

 que


que Daniæ ab una parte, & Duces Slesovici, Holsatiæ Ducatusque istos ab altera parte inita anno 1533, (quibus modus præscribitur, quomodo ejusmodi dirimantur:) etiam per Arbitros hanc controversiam componere, at semper illi conatus & Tractatus usque ad Regem, qui nunc vivit, ceciderunt irriti, Regesque in possessione manserunt. Per supradicta pacta Hafniensia autem cessit sua Majestas Duci Gottorpiensi hunc Episcopatum cum omnibus juribus; quatuor tamen Præbendas capituli Slesovicensis sibi reservavit.

Tabulas hujus Ducatus, ob rationes supradictas, hoc loco ponere satius duximus, non in Germania, sed sub hac monitiuncula à Dania separatas.



SLESVICENSIS DVCATVS.

Nomen.



Lesvicensis Ducatus à Metropoli Slesvico nominis originem trahens, apud Saxonem Grammaticum ut & alios scriptores *Australis Iutia*, Germanicè *Süder-Iutland*, à Iutis Daniæ populis, qui Septentrionalem majoremque hujus Ducatus partem incolunt, appellatur. Clauditur à Septentrione Schodtburgico amne, qui Coldingam urbem præterlabitur; respicit ad occidentem & orientem duo maria, quorum hoc Balthicum dictum à Fionia & reliquis Daniæ insulis Slesvicensem Ducatum dispescit; & meridiem versus Eidoram fluvium, qui Holsatiam atque adeo Romanum Imperium à Dania dividit, cujus Feudum hic Ducatus. Hos Slesvicensis Ducatus ad Septentrionem & Meridiem terminos etiam hi versus indicant:

Termini.

Slesvicum & Iutos dirimit Schodtburgicus amnis;
Eidora Teutonicum terminat Imperium.

Cæterum in Balthico mari aliquot adhuc insulæ sunt, quarum jus & Dominium Slesvicensi Ducatui attribuitur. Sunt hæ insulæ, *Alsen*, *Arroë* & *Femeren*. In Cimbrico quoque insulæ ejusdem ditionis sunt, sed plures: *Mandoë*, *Rym*, *Syld*, *Föhr*, *Amrum*, *Nordstrandt*, & *Helgelandt*. Extenditur omnis regio in 15 vel 18 milliaria longitudinis; quoad latitudinem autem, inæqualis, aliquando 8, vel 10, aliquibus quoque in locis 14 milliaria exæquat. Ita quidem si Insulas excipias, quas si adjunxeris, vice versa latitudo dicta in longitudinem recedet, quippe quæ 22 milliaria continet. Iuxta jugerum dimensionem, decies mille trecenta nonaginta jugera hic Ducatus comprehendit, & in iis quatuordecim urbes, tredecim præfecturas, tredecim arces, septendecim vicos, 278 templa seu parochias, 67 nobilium prædia, 162 villas, 1480 pagos, 116 molas aquatiles, & 106 Possessiones liberas.

Extensio.

Qualitas.

Eximius sane Ducatus est, & frugum, pecorum, omniumque, quæ ad commendandam regionem natura conferre potest, abunde dives. Licet enim cis Flensburgum in dorso quasi hujus Ducatus terra aliquantulum infrugifera sit, ultra Flensburgum tamen Septentrionem versus ad maris littora multo pinguiori gleba & ubere omnium rerum proventu spectabilis est. Præcipuè vero juxta mare Cimbricum ab Eidora fluvio usque ultra Tonderen eximia arva habet, quæ Germanis *Marschländer* appellata, Latine *Maritimæ regiones* seu *paludes* dici possent, utpote quæ depressiori loco sitæ, & vi maris quasi subtractæ, ingentibus contra eandem aggeribus muniuntur, vix alias habitabiles. Opponitur huic nomini *Marsch*, aliud vocabulum *Göst*, *Geest* sive *Göse*, quod aridum significat: quo nomine magis remota à mari, & non adeo fertilia loca incolæ notavere. Terra maritimarum regionum argilla seu figularis est, (Germanis, quod pinguedine sua cohæreat *Kley* dicta,) maximam trifolii pratensis copiam producens, egregium Frisio pecori alimentum, viriumque pariter & pinguedinis augmentum præbentis. Inter non minima quoque naturæ dona hic Ducatus piscium abundantiam numerat, quæ ex plurimis maris sinibus undequaque ambientibus, multis fluviis & innumeris torrentibus maxima provenit. Quid quod & prope Tonderam & Husumum omni semper tempore celebratissimæ ostreæ capiantur, de quibus infra in earum urbium descriptione latius.

Sinus, & portus.

Præcipui in Slesvicensi Ducatu sinus sunt, 1. *Coldingensis*, utriusque Iutlandiæ limes. 2. *Haderslebiensis*, piscosissimus, majorum autem navium ob continua vada impatiens. 3. *Genneranus*, tutus quidem, claudente latus Insula Barsoë, portus, sed propter Apenradæ vicinitatem hucusque non adeo frequentatus. 4. *Apenradensis* commodus portus, quamquam majores naves intercurrentibus vadosis locis ipsi urbi accedere non possint. 5. *Flensburgensis* eximius portus, imo fere omnium, qui in hoc Ducatu mari Balthico adjacent, commodissimus. 6. *Sonderburgensis* cum quibusdam adjacentibus. 7. *Slesvicensis* olim bonus, nunc vero reciproco fluctuum meatu ejecta arena pene obstructus. 8. *Eckerenfurtensis*, profundus largusque portus & maximarum navium capax. 9. *Chilonicus*, olim *Sinus Chalusus*. 10. *Burgicus* in Femera, portus olim quidem frequentatus, nunc vero non adeo bonus. Et hi quidem sinus omnes mare Balthicum respiciunt.

Ad Oceanum occidentalem seu mare Cimbricum occurrit 1. *Eidora*, qui Fridericopolitanis & Tonninganis portum præbet. 2. *Hevera*, in quem amnis ille illabitur, cui Husumum adjacet. 3. *Das Schmale-Tieff*, aliique amnes eidem conjuncti, qui Nordstrandiæ incolis tutum receptum præstant. 4. 5. *Rutebull* & *Hoyer*, duo mediocres Tonderanorum portus. 6. *Lista*, in Insula Sildt, eximiæ latitudinis & profunditatis portus, licet non admodum usitatus. 7. *Ballumensis* portus, quem Loha amnis efficit, itidem infrequens. 8. *Nipsa*, aliquot mille boum in Belgicam trajectu celebris.

Fluvii.

Inter fluvios præcipui sunt, *Coldingaw*, *Schodtburgischaw*, *Nipsa*, *Lohbeck*, *Widaw*, *Gronaw*, *Süderaw*, *Soholmaw*, *Trena*, & *Eidora*. Illud quoque observandum, omnes hosce fluvios, excepto Coldingaw, ab Oriente Occidentem versus labi, cum natura Balthicam oram, cæteris longe editiorem & magis montosam, versus mare Cimbricum declivem effecerit. Oriuntur illi fluvii ex his monticulis

DUCATUS SLESWICUM sive IUTIA AUSTRALIS.

Sereniſsimo et Potentiſsimo, Principi ac Domino,
DN. FRIDERICO III.
Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum, Gothorumq; Regi, V. Duci Sleſv.
Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comiti in Oldenborg &
Delmenhorſt.
Et
Sereniſsimo Celsiſsimoque Principi ac Domino
DN. FRIDERICO IV.
Hæredi Norwegiæ, Duci Sleſwici, Holſatiæ, Stormariæ et Dithmarſiæ
Comiti in Oldenburg et Delmenhorſt,
Dominis ſuis Clementiſsimis, Tabulam hanc Geographicam
Ducat9 Sleswicenſis prorſus novam ſubjectiſsimè Offert
author Iohannes Mejer, Huſum.

FIONIÆ PARS.

LANDIÆ PARS.

MARE BALTHICUM

Vulgo De Oost See

MARE CIMBRICUM Vulgo Die West See.

DITHMARSIÆ PARS.

HOLSATIÆ PARS.

WAGRIÆ PARS.

Helgelandt

Matthias undt Nicolaus Peters Goldts
Huſſ. ſculpſ.



Montes. ticulis seu potius collibus: quorum altissimi prope Slesvicum, ut reliqui alii ab adsitis locis varia nomina sortiuntur.

Vrbes. Vrbes Ducatus Slesvicensis sunt, metropolis *Slesvicum, Flensburgum, Haderslebia, Tondern, Eckerenforde, Burg* in insula Femeren, *Apenrade Husum, Tonningen, Friedrickstadt, Gardingen*; & in Sonderburgensi Ducatu caput *Sonderburg*, & *Hartzkoping* in Insula Arroë. Vrbs *Ripa* in districtu Slesvicensis Ducatus quidem sita est, sed Regno Daniæ annumeratur: unde nec in Comitiis Ordinum Ducatus Slesvicensis comparet.

Incolæ. Incolarum maximam partem Iuti, reliquam Saxones & Frisii constituunt. Septentrionalem oram à Coldinga usque ad urbem Slesvicum Iuti tenent Danica lingua utentes; exinde à Slesvico usque ad Eidoram & Levenstow Saxones habitant, qui Inferioris Saxoniæ idioma usurpant. à Schotburgico amne usque ad Tonderam iterum Iuti incolunt: hos Frisii Septentrionales subsequuntur, qui non tantum paludes (*marschländer*) à Tondera ad Eidoram usque occupant, verum etiam magnam Aridæ partem (*Geest*) possident, quæ veteribus Frisiis *Vorgeest* dicta fuit; & hos circulos complectitur: *Karrharde*, *Riesſmohr* in *Böchenharde*, *partem Tonderensis circuli, Norgoesſharde*, & *Sudergoesſharde*. Hi incolæ utplurimum Germanicam, alii vero ulterius Septentrionem versus remoti, ultra Germanicam, etiam Danicam & veterem Frisicam linguam callent. Tandem in finibus sitam Fridericopolim Hollandi incolunt, patriæ ut linguæ ita & moribus addicti.

Regimen. Vt autem de Regimine hujus Ducatus aliqua dicamus; sciendum est, Regem Daniæ & Norvegiæ, quasi Ducem Slesvicensem, & dein Ducem Slesvici & Holsatiæ, (cujus sedes Gottorpium) solos supremum Slesvicensis Ducatus Regimen administrare; quippe quibus maxime ejus pars subdita sit; nam Duces Sonderburgenses non exiguam circa Flensburgum & Apenradam portionem possident, quamvis ad regiminis administrationem non admittantur. Tandem Episcopatus quoque Slesvicensis suum aliquando Episcopum habet. Episcopatus verò Ripensis totus Regno Daniæ subjectus est, tametsi aliqua ejus pars in Slesvicensi districtu sita sit, ita ut semper aliquis Regius Consiliarius è primaria Nobilitate Danica illius Episcopatus præfecturam accipiat. Ius Provinciale, quod in hoc Ducatu usurpatur, idem est cum libro legum Iuticarum à Woldemaro II, Daniæ Rege anno 1240 magna cum pompa præsentibus Regis filiis, Duce Erico, Abele & Christophoro, Episcopis Regni & Nobilibus Wordinburgi promulgato, & dein multis aliorum insequentium Regum constitutionibus aucto. Continetur in eo mira quædam, & Germanis aliena lex, quæ in bonorum divisione filiis duas, filiabus unam tantum ex hæreditate partem adjudicat, ut & alia, quæ proximum consanguineum hæreditatem adire jubet, ita ut jus Repræsentationis locum hic nullum inveniat; quæ tamen ultima anno 1649 in hoc Ducatu propriâ constitutione mutata est. Aliud & proprium Ius habet Slesvicum, à Rege Suenone Gratteheide sibi donatum, atque ita aliquantum antiquius libro Legum Iuticarum Woldemari, quem tamen admittit, & aliquibus in casibus consulit. Eodem cum Slesvico jure utitur & urbs Eckerenforde. Flensburgum itidem suum habet speciale jus, quamvis in casibus omissis, librum Legum Iuticarum respiciat. Vrbes vero Tonderen & Burgum in Insula Femeren Lubecensi juri addicti sunt; & ab iisdem, quod rarum, incertis casibus ad quatuor Holsatiæ urbium, Chilonii, Rendesburgi, Itzehoæ & Oldesloæ commune judicium appellatur, à quo ulterius ad Ius Provinciale appellatio procedit. Inter Frisios, Husumenses, Eiderstadenses & littoris Aquilonaris incolæ propria sibi conscripta & impressa jura habent.

Ducum Series. Circa tempora Regum Daniæ Haraldi Blatandt, Suenonis Haraldi filii, & Canuti Magni, sub quibus Dania Christiana religione imbuta est, Ducem aliquem Slesvicensem fuisse nullibi legitur. Caussam credo hanc fuisse, quod dicti reges fratribus caruerint; & etiamsi Rex Canutus filios aliquot habuerit, maluerint tamen illi Regnum inter se dividere, Regiumque nomen accipere. Postquam vero Sueno Estridi filius duodecim filiorum sobole regiam familiam auxisset; Rex Canutus Pius fratri Olef sive Odulpho Ducatum Slesvicensem circa annum Domini 1085 concessit. Fuit itaque primus Slesvicensium Dux *Odulphus*; qui cum fratri debitam fidem non præstaret, ab eodem catenis oneratus & in Flandriam relegatus fuit, unde post Canuti mortem ab Ordinibus Regni revocatus, & in Daniæ Regem electus est. Quia vero gravis hinc temporis fames Daniam premebat, cognomen inde Rex accepit; appellatusque est *Olef Hunger*, sive *Odulphus Fames*.

Mortuo Odulpho successit frater ejus Ericus, qui cum inter peregrinandum in Cypro fato functus esset, *Nielsius* ab Ordinibus regni in Regem electus est, cum Canutus Erici filius adhuc minorennis esset; *Canutus* vero (ut Helmoldi verbis utar) *ubi adolere cepit, timens se insidiis patrui sui facile posse obrui, transiit ad Imperatorem Lotharium, & mansit apud eum multis diebus sive annis, habitus, ut Regiam magnificentiam decuit, cum plena honorificentia. Inde subiens in patriam à patruo benigne receptus, & Ducatu totius Daniæ* (forte optimo vel amplissimo) *præditus est.* Mortuo dein Henrico Rege Vandalorum, Lotharius Imperator Canuto Vandalorum Regnum in feudum concessit. Post aliquot annorum felix regimen Canutus à Mogone Daniæ Regis filio insidiis circumventus & fœde occisus est.

Successit in Ducatu patri Canuto posthumus *Woldemarus*, qui postquam Regi Suenoni contra Canutum Mogonis filium suppetias tulisset, ab eodem Ducatum Slesvicensem accepit. Reconciliato sibi autem Canuto, acceptaque in uxorem Sophia Canuti Regis uterina sorore, odium Suenonis & insidias ejusdem incurrit; unde coactus regium titulum consentientibus subditis usurpavit. Divisa igitur fuit Dania in tria minora regna, ita ut Sueno Scaniam, Canutus Selandiam, Falstriam, Lalandiam & Fioniam, Woldemarus Iutiam retineret: quæ divisio non diu obtinuit. Cum enim paulo post Canutus Suenonem & Wol-

Woldemarum ad epulas invitasset, Sueno observato tempore per satellites suos Canutum interfecit, vix elapso non tamen sine vulneribus Woldemaro; quem dum in Iutiam persequitur, ibidem & regni & vitæ suæ terminum invenit. Atque ita Woldemarus totius Daniæ compos factus est.

Quartus Slesvicensis Dux fuit *Woldemarus* II, à fratre Canuto Ducatum Slesvicensem adeptus. Hic jussu fratris ingentibus copiis in Holsatiam ductis, Adolphum Comitem prælio prope Itzehoam commisso fusum fugatumque Hamburgi cepit, & dum persequendo victoriam suam, arcem Segebergensem obsidione premit, Canutum fato functum audit; unde citis itineribus in Daniam recurrens, orbum regnum consentientibus proceribus occupat.

Woldemaro è vivis sublato, princeps Ericus ad regni gubernacula admotus, & Dux *Abel* Ducatum Slesvicensem adeptus est. Est autem inter hos fratres controversia orta; Rex Ericus volebat, ut Dux Abel ipsum feudi dominum agnosceret; Dux Abel vero existimabat, se ut Regis filium hunc Ducatum, quasi patrimonii partem sibi debitam atque adeo liberam, possidere; duravitque hæc quæstio, usque dum post grave bellum Dux Abel feudum à fratre accipere cogeretur. Sed non diu postea Ericum Regem, qui bona fide ad visendum fratrem Slesvicum venerat, navicula abduci & trucidari fecit. Postquam deinde juramento se fraternæ cædis purum confirmasset, eidem in regno suffectus est. Tandem cum Frisiis in Eiderstedia gravia onera imponeret, ab iisdem rebellantibus interfectus est, relictis filiis Woldemaro III, Erico, & Abele III posthumo.

Woldemarus III, postquam quadriennium Coloniæ in libera custodia detentus, & à patruo Christophoro multis modis impeditus fuisset, tandem adjuvantibus avunculis Ioanne & Gerardo Holsatiæ Comitibus, patri in Ducatu successit: quem tamen non diu possedit, in ipso ætatis flore expleta mortalitate. Quod ubi Rex Christophorus rescivit, Ducatum Slesvicensem sibi vendicavit, arcesque & loca firma suo milite opplevit: ita ut Dux Ericus in Holsatiam confugere necesse haberet. Sed cum paulo post Christophorus excessisset; Dux *Ericus* à Rege Erico adhuc minorenni Ducatum Slesvicensem clientelarem expetiit, quem Rex tantum ad vitam vel ad gratiam concedere voluit. Vnde bello exorto, fortuna Duci propitia fuit, ita ut prælio in Lohensi ericeto commisso Rex simul cum matre in Erici Ducis potestatem veniret. Qua ut se exsolveret, Erico Ducatum Slesvicensem in feudum hæreditarium concedere coactus fuit. Sed Rex Ericus hoc regni famæque suæ damnum resarcire volens, arrepta in insulas Alsen & Arr prætensione, nihil tale suspicantem, atque adeo invalidum Ducem festinata irruptione adortus, totum Ducatum excepta tantum Slesvico urbe occupavit: unde insequenti anno dolore Dux exstinctus est. Post Erici excessum, quicquid in Ducatu reliquum erat *Ericus* Rex subegit, & sub tutelæ titulo retinuit, concessa tamen aliqua parte defuncti Ducis filiis, Woldemaro, Abeli & Erico: Slesvici autem præfectum constituit Suenonem, qui Regis nomine per decennium Ducatus regimen administravit.

Woldemarus IV interim maturam regimini ætatem adeptus, nec ad illud adhiberi se videns, fœdus cum Regis inimicis iniit; unde Ericus coactus est Woldemaro Ducatum reddere, retentis tamen insulis Femeren, Arr, & Alssen; quas Regno annectere volebat. Quod ubi Woldemaro iniquum visum est, societatem Norvegiæ Regis, qui apertus Erico hostis erat, ambire constituit; sed in itinere à provido Rege captus, & detentus in custodia est, usque dum deprecantibus quibusdam principibus, manu propria conscripto codicillo se Regi dictas insulas & quædam alia cedere polliceretur. Interempto à suis Erico, Woldemarus à Regia vidua & Ordinibus regni ad tutelam regis Erici Menwid minorennis, & regni pariter administrationem vocatus est; quo tempore insulas illas facile recuperavit; sed Erico Rege ad regimen admoto, post infaustum sibi bellum reddere coactus est. Obiit Woldemarus anno 1312.

Patri successit *Ericus* II, de quo nihil memorabile legitur, nisi quod insulam Alsen à Rege Daniæ receperit.

Post Erici mortem Rex Christophorus II totum Ducatum excepta arce Gottorpiensi sub tutelæ & cavendi à vicinis periculi nomine occupavit: agebat enim unicus Erici filius *Woldemarus* V undecimum tantum annum. At Gerardus Holsatiæ Comes pueri avunculus, veritus ne Rex Ducatum regno annecteret, nec non propiorem se ad tutelam petendam esse ratus, adunatis copiis Regem ante Gottorpium adortus vicit, omnesque cum Rege Danos è Ducatu ejecit. Retinuit sibi tamen Gottorpium ad resarciendas expensas, ita ut Dux Woldemarus Sonderburgi sedem figere necesse haberet.

Non diu post Episcopi cum quibusdam nobilibus conjuratis Christophorum Secundum throno dejecere, electo ejusdem in locum Woldemaro Slesvicensi Duce, qui Ducatum suum *Gerardo Magno* Holsatiæ Comiti, de quo paulo supra, in hæreditariam clientelam tradidit. Christophorus autem reparatis viribus, & auxiliis fratris sui Ioannis confirmatus, magnam regni partem recepit, ita ut Gottorpium obsidio premeret. Quod ubi Gerardus rescivit, habito delectu in Christophorum movet, & prælio commisso in fugam egit: unde Christophorus videns se non adeo facile regni compotem futurum, pacem cum Rege Woldemaro & Comite Gerardo fecit, ut Woldemarus abdicato Regio nomine Slesvicensem Ducatum, Comes Gerhardus Fioniam & partem Iutiæ, ipse vero Regnum Daniæ obtineret.

Atque ita *Woldemarus* V, iteratò Slesvicensis Dux factus est. Dein post nova inter Christophorum & Gerardum Holsatiæ Comitem bella, Regis fugam mortemque, ad coronam Danicam aspirare cepit, adjuvante Gerhardo, qui Othonem Christophori filium in custodia detinebat. cum autem Regni Nobilitas ægre ferret liberam sibi electionem ab armata manu eripi, inventus est aliquis ex ea, qui clam Gerardi cubiculum ingressus, Comitem obtruncaret; quo occiso etiam

DVCATVS SLESWICI PARS BOREALIS.

Sereniss.^mo Celsiss.^mo Principi ac Domino
D. CHRISTIANO VI
Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum Gothorumq.
Principi Electo, Duci Slesvici, Holsatiæ,
Stormariæ & Dithmarsiæ, Comiti in Oldenburg. et
Delmenhorst, Domino meo Clementissimo,
Tabulam hanc Geographicam
subjectissime offert,
author
Iohannes Mejerus Husum. Cimber.

Notarum Expli:

Oppidum cum arce
Templa in Barringsissel.
Templa in Rypia
Templa
Nobilium ædes
Pagi
Mola aquaria

Milliare Germanicum.

Matthias und Nicolaus Pet: Goldtschmide gebr: Hus: sculp

ALMIND SYSSEL.
ANDS HERDE
BRUSCH HERDE
SYSSEL MALT HERDE
SCHADS HERDE
WARD
GIORING HERDE
KALSLUND
FRØS HERDE
TYSTERVP
HADERSLEB HERDE
GRAM
NORT RANX HERDE
SUDERRANX TORP HERDE
GUID DING HERDE
LOE HERDE
HOYERS HERDE
TONDER HERDE
SCHAVX HERDE
RIES HERDE
LUND TOFT HERDE
SUNDE WITH
FIONIÆ PARS.
MARIS BALTHICI PARS
DE OOST-SEE
ALSIÆ PARS
MARIS CIMBRICI PARS
DE WEST SEE
Insul Fanoe
Insula Roni
Insula Sylt
Coldinge
Rypen
Hatersleb
Apenrade
Tonder
Nortborg

etiam Woldemari spes interfecta est. Pactum vero cum Woldemaro Christophori filio ab Ordinibus ad Regnum capessendum evocato, fecit, ut Ducatum Slesvicensem sicut antea retineret, Regi vero reliqua quæ occupaverat redderet.

Woldemaro anno 1364 fatis functo *Henricus* filius suffectus est. In hoc defecit Familia Regis Suenonis Estridi filii, dum improlis anno 1385 moritur.

Vacuum Ducatum atque ad Regnum suum relapsum Rex Daniæ Odulphus scite venditare scivit. Nam ut Domum Holsaticam affinitate Sueciæ Regi Alberto addictam, quocum bellum gerebat, ad suas partes retraheret, Comitem *Gerardum*, Henrici Ferrei majorem natu filium, hoc feudo donavit. Occisus est autem Gerardus à Ditmarsis anno 1404.

Audita fratris sui morte Comes Henricus, è diœcesi sua Osnabrugensi in Holsatiam transiit, pupillis se tutorem offerens. Restitere ei quidam ex Nobilibus jam ante à Gerardo ordinati, qui Henrico diffidebant, accedente ad eorum partes defuncti Ducis vidua: sed acie commissa inferiores ad Margaretham Daniæ reginam transierunt, quæ grave cum pupillis bellum gessit, licet spe sua frustraretur. Henricus autem fidelem operam pupillis navans, maximo natu *Henrico* II Ducatum restituit, cum ad ætatem regimini habilem pervenisset, & cœnobio Bordenholmensi se inclusit, ubi anno 1421 vitam finiit: Henricus II jam Dux Slesvicensis post paucorum annorum regimen obsidio Flensburgensi inopinam mortem obiit, à milite quodam Dano confossus, anno 1427.

Successit Henrico minimus natu ex fratribus Gerhardus, qui ex uxore Agnete, Bernhardi Marchionis Badensis filia, septimo post nuptias mense gemellos sustulit, è quibus alter filius adhuc impuber, in Schlia submersus est, altera filia in Suecia Wastensis Cœnobii Abbatissa fuit. Vnde Adolphus, medius inter dictos Duces frater, fratri suspicionem movit violatæ in uxore virginalis pudicitiæ: quam dum in patriam fugientem Gerardus persequitur, Emmericæ ad Rhenum vitam morte commutavit, anno 1433.

Adolphus hoc modo non Slesvici tantum Dux, sed totius Holsatiæ Comes factus est. Fuitque Princeps tantarum virium & authoritatis, ut post Christophori III, Daniæ Regis obitum ab Ordinibus ad capessendas regni habenas invitaretur; quas, quod improlis esset, sororis filio Christiano Comiti Oldenburgico cum consensu Ordinum tradidit. Decessit Adolphus anno 1459.

Post Adolphi obitum, Ducatus Slesvicensis iterum ad Regnum Daniæ, atque ita ad Familiam Oldenburgicam devenit. Obiter hic memorare fortunam Christiani I, Daniæ regis, juvat, qui antea Comes tantum Oldenburgensis, per electionem ad regnum Daniæ & Norvegiæ, armis ad Regnum Sueciæ, successione ad Ducatum Slesvicensem & Comitatum Holsatiæ, excepto Comitatu Pinnæbergensi, paucorum annorum interlapso tempore pervenit.

De divisionibus hujus Ducatus inter Duces Oldenburgicæ Familiæ aliàs latius: hic tantum aliquantum de contentionibus & rixis dicere necesse videtur, quæ inter Reges Daniæ Christianum III, & successive Fridericum II ab una, & Duces Iohannem & Adolphum ab altera parte, exortæ fuerunt quoad feudum hujus Ducatus & successionem ab intestato. Existimabant Duces, Ducatum Slesvicensem esse feudum liberum, & à bellicis servitiis immune. 2. Successionem æque in fœmineum ac virilem sexum, juxta Danicas constitutiones & consuetudines, derivari. 3. Proximos agnatos vel cognatos hæredes esse, atque adeo remotiores excludere, ita ut jus repræsentationis in fratrum filiis locum non haberet. Quorum punctorum nullum Reges admittere voluerunt. Convenit tandem inter eos anno 1579, ut Ducatus Slesvicensis virile feudum existimaretur; Duces vero certa bellica servitia Regno Daniæ exhiberent; indecisa manente quæstione de successione: quæ tamen paulo post Duce Iohanne Seniori fatis functo, maximam contentionem excitavit, volente Duce Adolpho fratri immediate succedere, & repugnante Rege Friderico II, qui jus Repræsentationis in feudo se sibi reservasse affirmabat. Arbitri ergo delecti sunt, qui hanc litem terminarent, Augustus Dux Saxoniæ, Vlricus Dux Megapolitanus, Guilielmus Landgravius Hassiæ: Hi re deliberata & utriusque partis rationibus expensis, mobilia omnia & mediam immobilium partem Adolpho, alteram immobilium partem Regi adjudicarunt. Fridericus obtinuit præfecturas Haderslebiensem, Tonningensem & Rendesburgensem; Adolpho Tonderen, Luhmcloster, Femeren, Nordstrandt & Bordesholmia sorte obtigere. Diviserunt quoque tertiam Ducis Ioannis partem in Dithmarsia, & partem in telonio Gottorpiensi & Rendesburgensi: jus vero in Hamburgo urbe commune retinuerunt. Vocantur hæc pacta Transactio Ottoniensis. Nunc autem per pacta Hafniensia anno 1658 inita, & per pacem nuper in Dania factam confirmata, Ducatus hic ab ejusmodi clientela plane liberatus est, ita ut Duces Slesvicenses, Rex Daniæ nimirum & Dux Gottorpiensis, à Regno Daniæ non dependeant, nec ullum superiorem Principem agnoscant. Situs est in hoc Ducatu Episcopatus Schwabstede, ejus olim membrum: cujus Episcopi omnia quæ alii hujus Ducatus Status, in Comitiis Provincialibus præstiterunt, iisdem quoque oneribus, quibus reliqui, subjecti. Instituta dein Reformatione, de qua alias, pervenit hic Episcopatus ad Adolphum Ducem Gottorpiensem; quem tamen post ejus obitum Rex Fridericus Secundus Regno Daniæ vendicavit, frustra obtendentibus Ducibus Gottorpiensibus, Episcopatum hunc æque ad se, atque ad Reges Daniæ pertinere: verum per supradicta pacta Hafniensia concessit Rex Duci Gottorpiensi hunc Episcopatum cum omni jure; reservatis tantum sibi quatuor Capituli Slesvicensis præbendis.

Divisio. Distinctus est Ducatus Slesvicensis in præfecturas, (*Ambter*,) hæ in circulos, incolis *Harden*, hi iterum in parochias, seu *Kirspelen*. Iutia autem aquilonaris in *Syssel*, sive circulos, distinguitur, itidem ut reliquæ Ducatus Slesvicensis partes, mutato tantum nomine, manente vero eadem divisione. Hæc quidem prima divisio; iterum

non

non incommode hic Ducatus in partem Regiam & Ducalem, Principatum Sonderburg & bona Ecclesiastica dividitur. I. Regi Daniæ & Norwegiæ, hæ præfecturæ parent: 1. *Haderslebiensis*, quæ septem circulos habet, Haderslebharde, Tusterupharde, Grammharde, Frösharde, Kalslundtharde, Guiddingharde, Norderrangstorpharde & præposituram Boldersleben in præfecturis Tondern & Apenrade jacentem. 2. ex *Ripensi* Præfectura, cujus minor pars in Australi Iutia sita, totus circulus Loheherde & Mögeltunderherde, media pars insulæ Föhr & Amrom: reliqua hujus præfecturæ pars in circulos Haderslebiensis præfecturæ dispersa est. 3. *Flensburgensis*, quinque circulos comprehendens, Wyhesharde, Husbyharde, Nieharde, Vggelharde & Norgoesharde. 4. Præfectura *Schwabstede*, continens præposituras Schwabstede, Treya, Borlum, Rodemiss, Fusing in Anglia, Rutebull in Vindiwith, Colstrup prope Apenraden: nec non tres parvulas præposituras in Stapelholmia, nempe Suderstapel, Nirgenhusum, & Buing. 5. Præfectura *Christian-Pries* in Sylva Danica à Christiano IV per emptionem huic Ducatui adjuncta, nunc iterum divendita. II. Duci Slesvico-Holsatiæ subjectæ sunt præfecturæ 1. *Gottorpiensis*, sex circulos continens, Arensharde, Struckdorfsharde, Schliesharde, Hutterharde, Kropharde, Honerharde, & terram Stapelholm. 2. *Tonderen*, cui subjecti novem circuli, Hoyersharde, Tunderharde, Schlauxharde, Lundtofftharde, Karrharde, Böckingharde, Horsbullharde, Silt, & Orientalis pars insulæ Föhr. 3. *Apenrade*, in qua duo tantum circuli, Riesharde & Suderrangstorpharde, cum Præpositura (*Birckvogtey*) Warnis. 4. *Lohm-closter* continet unam præposituram, cujus reliquiæ in variis præfecturis dispersæ sunt. 5. *Morkirchen*, cujus maxima pars in Angeln sita est, aliæ vero particulæ in diversis circulis divisæ jacent. 6. *Husumensis*, duobus circulis constans, Süder-Goesharde & Hatstadeharde, antea cum Lundenberg tres circulos numerans. 7. *Regio Eyderstadensis*, tres circulos comprehendens, Eyderstede, Everschop & Vthholm. 8. *Littus Septentrionale*, (der Nordstrand) quod nunc tantum Halligensi & Pilwormensi Parochiis constat; ante magnam illam anno 1634 inundationem in tres circulos divisum erat, Edomsharde, Beltringharde & Pelwormharde. 9. *Lundenburg*, paucis abhinc annis ab Husumensi Præfectura discretum, à proprio Scriba administratur; duas nunc tantum parochias habens. 10. Insula *Femern*, Danicum quidem feudum, à Præfecto tamen Alteburgensi & Cismariensi, cui vicina, regitur. III. Sonderburgensis Principatus habet sub se 1. *Sonderburgum*, continens dimidiam insulam Alsen, & duas in Sundewith parochias. 2. *Norburgum*, seu alteram insulæ Alsen partem. 3. *Luxburgum*, quod in Angeln, Husby & Newharde jacet, ad quod annumerantur quatuor parochiæ in Sundewith, & insula Aroë. IV. Episcopatus Slesvicensis sive Schwabstede continet præposituram circa arcem & vicum Schwabstede: cæteræ ejusdem Episcopatus præposituræ in diversis præfecturis & circulis distractæ jacent. V. Capitulum Cathedrale Slesvicense sibi assignata jugera non uno in loco conclusa, sed ubique dispersa habet. VI. Quæ ad Nobilium virginum Cœnobium Slesvicense pertinent jugera, in Præfectura Gottorpiensi jacent. Tertia Ducatus Slesvicensis divisio consistit quoad bona Nobilium in quatuor circulos, qui quatuor majoribus præfecturis, Haderslebiensi, Tonderensi, Flensburgensi & Gottorpiensi cognomines sunt.


DVCATVS
SLESWICI
PARS
MERIDIONALIS.
MARIS
CIMBRICI
PARS
Vulgò
DE WEST SEE.
Helgolandt
MARIS BALTHICI PARS Vulgo DE OOST SEE.
ALSEN.
ARROE
Apenrader Föerd
Flensborger Wyck
Ecklenförder Haven
Christian Haven
COLBERGER HEIDE.
WAGRIÆ PARS.
HOLSATIÆ PARS.
DITH: MAR: SIÆ PARS.
Lunden
Tönningen
Husum
Apenrade
Sonderborg
Flensborg
Gottorp
Rendesborg
Kiel
Notarum Explicatio.
Oppidum cum arce
Templa
Nobilium ædes
Pagi
Mola aquaria
Milliare Germanicum.
Illustrib. Magnificis ac Strenuissimis Dominis, Dno. Christiano Thomæo Seefeldt, Domino in Stowgard, &c. Equiti aurato, Reg. Maj. Cancellario Magno, Regni Daniæ Senatori prudentissimo, præfecto Cœnobij s. Canuti in Odensee, Academiæq. Haffniensis Inspectori, Et Dno. Andreæ Bilde. Domino in Dambsboe, &c. Equiti aurato, Regni Daniæ Mareschalto fortissimo, ac Senatori prudentissimo, præfectoq. Schanderborgensi, patronis suis plurimum Observandis. Tabulam hanc Geographicam submisse inscribit author Iohannes Mejerus Husum. Reg. Maj.tis Mathematicus.
Matthias & Nicolaus Peters Goldtschmide gebr: Hus. sculp.

GENEALOGIA
DVCVM SLESVICI & HOLSATIÆ,
E STEMMATE OLDENBVRGICO.


Hriſtianus I, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt, Rex Daniæ 1448, Norwegiæ 1449, & Sueciæ 1457, adeptus Ducatum Sleſvicenſem anno 1459, & Comitatum Holſatiæ & Stormariæ 1460, titulum Ducis Holſatiæ ab Imperatore Friderico III impetravit, & ut Dithmarſica regio Ducatui Holſatiæ incorporaretur. obiit anno 1481. Vxorem habuit Dorotheam, Ioannis, Marchionis Brandenburgici filiam, regis Chriſtophori III defuncti viduam; è qua procreavit Iohannem; Margaretham, Iacobi Scotiæ Regis conjugem, & Fridericum. Frater illi erat Gerhardus, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt; è quo familia Oldenburgicorum Comitum ad hæc uſque tempora ortum ducit.

Ioannes, Rex Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ, Dux Sleſvici & Holſatiæ, regnum Sueciæ ſibi ſubjecit 1497, gravi clade in Dithmarſia debilitatus 1500 Sueciam deficientem amiſit, obiit 1513. Vxor illi fuit Chriſtina, Erneſti Electoris Saxoniæ filia, è qua ſuſtulit Chriſtiernum ſive Chriſtianum II, & Eliſabetham, Ioachimo I Electori Brandenburgico nuptam.

Chriſtiernus ſive *Chriſtianus* II, Rex Daniæ, Norvegiæ & Sueciæ, Dux Slesvici & Holſatiæ, Sueciam armata manu recuperavit, ibidem crudeliſſime ſævit 1520; iterum inde ejectus anno 1521, ut & ex Dania & Norvegia 1523, irruit in Norvegiam 1531. ibidemque captus moritur in carcere Callenburgi in Zelandia 1559. Ex uxore Iſabella, quæ, Caroli V Imp. ſoror in Flandria 1525 deceſſit, genuit Iohannem in aula Cæſarea eductum, & 1532 in Vngaria mortuum; Dorotheam, Friderico II Electori Palatino ad Rhenum conjugio ſociatam; & Chriſtinam Franciſco Duci Mediolanenſi, dein Franciſco Duci Lotharingiæ junctam.

Fridericus I, Regis Chriſtiani I filius, Dux Slesvici & Holſatiæ, electus Rex Daniæ & Norvegiæ, Regem Chriſtianum II Dania & Norvegia expulit, ejuſque in locum ſuffectus eſt. Exceſſit Gottorpii 1533, & Slesvici tumulatus eſt. Prior ejus conjux Anna, Iohannis Electoris Brandenburgici filia, Ioachimi I Electoris ſoror: altera, Sophia Bugiſlai X Ducis Pomeraniæ filia erat. E duplici hoc conjugio nati ſunt Friderico Chriſtianus III; Dorothea major, Alberti Pruſſiæ Ducis uxor; Iohannes Haderslebiæ reſidens, & in cœlibatu 1581 mortuus; Eliſabetha I. Magno, dein Vlrico, Ducibus Megapolitanis copulata, reginæ Sophiæ mater; Adolphus; & Dorothea minor, Chriſtophori Ducis Megapolitani uxor.

Linea Ducum Slesvici & Holſatiæ.

ADolphus Friderici I Daniæ & Norvegiæ Regis filius, Gottorpii ſedem fixit: ſervivit Carolo V Imp. in obſidione Metenſi & Gothana, ut & Regi Philippo in Belgio: belli, quo Dithmarſi 1559 devicti ſunt, primarius author, obiit 1586. Nati ſunt ei è Chriſtina, Philippi Haſſiæ Landgravii filia, Fridericus III, regens Dux Slesvici & Holſatiæ, in ipſo ætatis flore 1587 vivis ereptus; Sophia, Duci Iohanni Megapolitano matrimonio juncta; Philippus, regens Dux Slesv. & Holſ. in adoleſcentia mortuus 1590; Chriſtina, Regi Sueciæ Carolo nupta, & Guſtavi Adolphi mater; Iohannes Adolphus, Dux Slesvici & Holſatiæ; Anna & Iohannes Adolphus gemelli, quorum illa Ennoni Comiti Orientalis Friſiæ nupſit; Agnes apud ſororem in Suecia cœlebs mortua; & Iohannes Fridericus, Archiepiſcopus Bremenſis & Epiſcopus Lubecenſis 1597, fato functus 1634.

Fridericus III, Sleſvici & Holſatiæ Dux regens, in juvenili ætate obiit 1587, ut ſupra dictum, ut & frater ejus,

Philippus, Slesvici & Holſatiæ itidem regens Dux, anno 1590.

Iohannes Adolphus, Dux Slesvici & Holſatiæ, natus 1575, Archiepiſcopatum Bremenſem 1585, Epiſcopatum Lubecenſem 1586 adeptus, reſignavit 1597, deceſſit 1616. Vxorem habuit Auguſtam, Regis Friderici filiam, cum qua genuit Fridericum IV, Ducem Slesvici & Holſatiæ; Eliſabetham Sophiam, Auguſto Duci Sax. Inf. dein nuptam; Adolphum è vulnere, quod in prælio Lipſienſi acceperat, anno 1631 mortuum; Dorotheam Auguſtam, Ioachimo Erneſto Slesv. & Holſ. Duci in conjugium datam; Hedewigem, Auguſti Palatini in Sultzbach conjugem; Annam virgineo in ſtatu Huſumi 1623 defunctam: Iohannem natum 1606, promotum ad Epiſcopatum Lubecenſem 1635, cui uxor fuit Iulia Felicitas, Duciſſa Wirtenbergenſis 1640.

Fridericus IV, Dux Slesvici & Holſatiæ, natus eſt anno 1597, Fridericopolim condidit 1622. Vxorem duxit Mariam Eliſabetham, Iohannis Electoris Saxoniæ filiam, è qua nati Sophia Auguſta 1630, quæ anno 1649 Iohanni Duci Anhaltino in manum convenit; Magdalena Sibylla, 1631; Iohannes Adolphus 1632, denatus 1633; Maria Eliſabetha 1634, Ludovico Haſſiæ Landgravio 1650 juncta: Fridericus 1635; Hedwigis Eleonora 1636, Carolo Guſtavo Suecorum Regi nupta anno 1654, ex quibus progenitus Carolus; Adolphus Auguſtus 1637, & ejusdem anni menſe Novembri è vivis ſublatus: Iohannes Georgius, deſignatus Epiſcopus Lubecenſis, natus 1638; Anna Dorothea 1640; Chriſtianus Albertus 1641; Guſtavus Vlricus natus

natus & defunctus 1642; Christina Sabina 1643, & denata 1644; Augustus Fridericus 1646; Adolphus & Elisabetha Sophia gemelli, nati & mortui anno 1647; Augusta Maria 1649. Obiit Fridericus anno 1659.

Christianus Albertus D. G. Electus Lubecensium Episcopus, Slesvici & Holsatiæ Dux, feliciter hodie regnat.

Linea Sonderburgensis.

IOhannes *Iunior*, Dux Sonderburgensis, Regis Christiani III filius, Luxburgensem arcem exstruxit 1587, & decessit Sonderburgi 1622. Genuit ex priori uxore Elisabetha, filia Ducis Ernesti Brunsvicensis, Dorotheam natam anno 1569, Friderico Duci Lignicensi & Bregensi nuptam; Christianum, qui in Insula Arroë sedem constituens, ibidem cœlebs obiit 1633; Ernestum, 1572 in acie ad Erlam à Turcis cæsum; Alexandrum 1573, regentem deinceps Ducem Sonderburgensem; Augustum, qui cum fratre Ernesto in prælio ad Erlam occubuit anno 1596; Mariam, Abbatissam Itzehoæ in Holsatia; Iohannem Adolphum, Norburgi absque hærede 1624 mortuum; Annam Bugislao XIII, Pomeraniæ Duci in manum datam, & 1616 defunctam; Sophiam Philippo II Duci Pomeraniæ nuptam; Elisabetham Duci Bugislao XIV & ultimo locatam; Fridericum natum 1581, qui fratri Iohanni Adolpho in Ducatu Norburgensi successit: Margaretham, Comitis Iohannis Nassavii Dillenburgici conjugem; Philippum, natum 1584, Luxburgum & maximam Sundewitæ partem adeptum; Albertum anno 1613 Dresdæ fato functum. Altera *Iohannis Iunioris* Conjux fuit Agnes Hedwigis, vidua Augusti Saxoniæ Electoris, & Ioachimi Ernesti Principis Anhaltini filia; è qua nati sunt Eleonora anno 1590; Anna Sabina, Iulio Friderico Wirtenbergensi in conjugium data; Iohannes Georgius, Tubingæ 1613 mortuus; Ioachimus Ernestus Dux Plonensis: Dorothea Sibylla 1597 nata & defuncta; Dorothea Maria 1599 nata, & 1600 extincta; Bernhardus natus & denatus anno 1601; Eleonora Sophia, Christiano Anhaltino matrimonio juncta; Agnes Magdalena nata 1607.

Alexander, Iohannis Iunioris filius, sustulit ex uxore Dorothea, Iohannis Guntheri Comitis Schwartzenburgici filia, Iohannem Christianum; Alexandrum Henricum natum anno 1608; Ernestum Gantherum 1609; Georgium Fridericum 1611; Augustum 1612; Adolphum 1613, extinctum 1616; Annam Elisabetham 1615 & denatam 1616 Wilhelmum Antonium, natum & defunctum 1616; Sophiam Catharinam natam 1617, quæ Antonio Gunthero Comiti Oldenburgio in manum convenit; Eleonoram Sabinam natam & vivis ereptam 1619; Philippum Ludovicum 1620.

Iohannes Christianus Regens Dux Sonderburgensis, natus 1607, uxorem duxit Annam, Antonii Comitis Oldenburgici filiam, quæ ei peperit Dorotheam Augustam, Mariam Elizabetham, & Iohannem Fridericum, natum 1639, & vita functum 1649.

Linea Norburgensis.

FRidericus Dux Norburgensis, filius Iohannis Iunioris Sonderburgensis Ducis, natus est anno 1581; ex priore conjuge Maria, Francisci Saxoniæ Lauenburgicæ Ducis filia, Iohannem Bugislaum anno 1629 sustulit; ex altera vero, Eleonora, Rudolphi Principis Anhaltini filia, Christianum Augustum; Elizabetham Iulianam; Dorotheam Hedwigem; Loisam Amœnam; & Rudolphum Fridericum.


Linea Luxburgensis.

PHilippus Dux Luxburgensis natus anno 1584, frater Friderici Ducis Norburgensis, uxorem duxit Sophiam Hedwigem, Francisci II Ducis Saxo-Lauenburgici filiam, è qua nati sunt Iohannes anno 1625, mortuus 1640; Franciscus Philippus 1626; Christianus 1627; Maria Elisabetha 1628; Carolus Albertus 1629; Sophia Hedwigis 1630, Mauritio Duci Saxoniæ desponsata; Adolphus 1631; Adolphus 1633; Christiana 1634, desponsata Christiano Saxoniæ Duci; Dorothea 1636; Magdalena Sibylla 1639, defuncta 1640; Hedwigis 1640; Anna Sabina 1641, extincta 1642; Anna 1643, vivis erepta 1644.

Linea Plonensis.

IOachimus *Ernestus*, filius Iohannis Iunioris, uxorem duxit Dorotheam, Iohannis Adolphi Slesvici & Holsatiæ Ducis filiam, quæ mater fuit Iohannis Adolphi anno 1634; Augusti 1635; Ernestinæ 1636; Ioachimi Ernesti 1637; Bernhardi 1639; Agnetis Hedwigis; Caroli Henrici; & Sophiæ Eleonoræ.

PRÆFECTVRA HADERSLEBEN.

Nomen. Vtuatur hæc præfectura nomen ab urbe Haderslebia, quoad longitudinem à mari Balthico Cimbricum versus *Extensio.* ultra novem milliaria se protendens, & in quatuor vel quinque milliaria quoad latitudinem explicata. Adnumeratur eidem præpositura Boldersleben, quæ in Præfecturis Tondern & Apenrade sita est. Maxima quidem hæc est totius Ducatus Præfectura, & maximos reditus egerens, quippe quæ 1563 jugera agri, excepta adhuc Haderslebia urbe comprehendat. Continet præterea in circuitu suo pauca jugera prædiorum nobilium, ut, Prædium *Gram* cum 30 jugeribus, *Hoxbroe, Westerbeck,* & *Spandeth,* cum 20 jugeribus. Reliqua intra centum annos maxime à Duce Ioanne Seniore & Regibus Daniæ coëmpta & huic Præfecturæ attributa sunt. Continet etiam urbem Ripam, cum quibusdam jugeribus, varios in circulos dispersis. *Termini.* Terminatur hæc eximia, & modico quidem Comitatui comparanda, Præfectura ab utroque latere jam dictis maribus, quibus per aliquot milliaria adsita est, eosdem ad Septentrionem cum Slesvicensi Ducatu fines habens.

Fluvii. Inter fluvios qui hanc Præfecturam irrigant, Schodtburgicus amnis præcipuus est. Hic ex Odysiensi Sylva originem trahens, exceptis quibusdam rivis apud Wanderupiensem molam Ducatus limitem constituit; exinde pergens & amne Weyen auctus, Schotburgum parochiam, unde nomen suum accepit, præterlabitur, usque dum inter insulam Phano, quæ Daniæ accensetur, & Mandoam, quæ Slesvicensis est insula, Nipsæ se miscet, cum quo junctim Ripensem portum efficit.

Nipsa fluvius satis magnus duobus constat brachiis, quorum septentrionale è Tustrupiensi circulo prope parochiam Wansyld emanat, & variis consequenter nominibus distinctum, rivisque Brambeck & Ielsaw auctum, apud Okrup meridionali brachio conjungitur, ubi primum Nipsæ nomine donatur: prope confluentem vestigia veteris munimenti apparent, ita ut ibidem vel castrum vel munimentum aliquod exstructum fuisse verisimile sit. Alterum nempe meridionale Nipsæ brachium in Süderangstorpiensi circulo oritur prope Haberslundt, unde quibusdam torrentibus & rivis auctus, diversisque nominibus pro adjacentibus prædiis notatus, inter Gramharde & Norderrangstorpharde cursum dirigit, & prope Okrup septentrionali brachio se miscet. Inde præter urbem Ripam fluens recepto, ut diximus, Schotburgico amne in Oceanum se effundit; eximia omnigenorum piscium, qui in fluviis capiuntur, copia celebris.

Divisio. Divisimus hanc præfecturam in duas tabulas, non tantum quod adeo ampla sit, sed quia plurimas præposituras & circulos complectitur. Vocantur autem septem hujus præfecturæ circuli 1. Haderslebiensis, 2. Tusterupiensis, 3. Grammensis, 4. Fröstensis, 5. Kalslundensis, 6. Guiddingensis, 7. Norderrangstorpiensis: quorum tres priores in prima, quatuor reliqui cum illa Ripensis Episcopatus parte, quæ in Slesvicensi Ducatu jacet, & Lohmcloster in altera speciali tabula proponuntur.

Incolæ. Incolæ sunt Dani vel Iuti, Danica lingua utentes, qui hic non infœcundum tractum possident; de quo infra in unoquoque circulo latius.

1. *Circulus Haderslebiensis,* vulgo *Haderslebér-Harde.*

Qualitas. NOmen habet ab urbe Haderslebia, quæ in medio circuli sita est: dividitur per sinum Haderslebiensem in superiorem & inferiorem. Est autem hic circulus eximiè ferax, magis tamen magisque quo propius ad mare Balthicum declinat. Seritur ager tritico, siligine, hordeo, omnisque generis leguminibus: prata læto virore luxuriant, quæ hinc inde frugiferis collibus distinguuntur. Lignorum tantum non adeo magna hic copia invenitur; quod damnum trium piscosorum lacuum commodo resarcitur.

Haderslebia, urbs. Vrbs Haderslebia à Domino quodam *Hater* vel *Hatter* nomen derivans, quoad elevationem poli ad 55 grad. 15 & med. min. sita est. Origo ejus satis antiqua est, quippe cujus Annales tempore Erici Regis meminerunt, à quo cum fratre Abele bellum gerente, cum adhuc vicus esset, incendio exhausta est: postea vero Woldemarus II in urbium numerum eam cooptavit, multisque privilegiis exornavit ad annum Christi 1292. Insignia urbis efficit pons in porta, sub quo subintelligitur pons super amnem stratus inter novam & veterem urbem; unde conjici potest, tum temporis, cum hæc privilegia adipisceretur, utramque, novam & veterem Haderslebiam modo conditam fuisse, vel ad minimum, cum hæc insignia acciperet. Sunt in urbe duo templa, S. Mariæ in nova, S. Severini in veteri urbe. Hæc vetus urbs non adeo eleganter exstructa, nova autem multis & magnificis lapideis ædificiis spectabilis est: anno 1627 magnam sui partem ingenti incendio cum superiori Cathedralis templi parte amisit, quod tamen postea pristino splendori restitutum est. Fuit olim Haderslebiæ Collegium Canonicorum, multis doctis viris celebre, quod Rex Fridericus consentiente filio suo Duce Christiano anno 1530, Regio fisco addixit, concessis in vi-


PARS ORIENTALIS
PRÆFECTVRÆ
HADERSLEBEN
Vulgo dictæ Baringsijßel.
Milliare Germanicum.
1 2 3 4 min.
480. 1920 Virgæ
Viro dignitate eminenti, Generoso,
Magnifico ac Strenuo,
Dn. Cajo Von Allfelde Equiti aurato,
Dn. in Mehlbeck. Saxdorff, &c.
Ecclesiæ Slesvicensis Cathedralis
Archidiacono, Reg.æ Maj.is Consiliario
Intimo, ac Senatori in Ducatib9 Sles-
wicô et Holsatiâ, præfectoq; Haders-
lebiensi. Fautori suo Obseruando, hanc
Diœcesis Baringsiliæ Tabulam Geo-
graphicam Officiosissimè dedicat,
Author
Iohannes Mejer9. Husum.
Reg.æ Maj.is Mathematicus.
Anno 1649.
Matthias Vnd Clauß Petersen.
G S: gebr:
Husumenß: sculps:
Notarum explicatio
Oppidum cum arce.
Templa in Barringsißel
Templa in Rypia
Templa alia
Nobilium ædes
Prædia
Pagi
Mola aquaria
Ædes
ALMIND
BVRSCH HERDE
ANDS SYS SEL HERDE
MALT WAARD HERDE SYSSEL
FROS HERDE
GVIDDING: HERDE.
NORTRANXSTORP: HERDE.
SVDER RANXSTORP: HERDE
GRAM HERDE
HATERSLEB: SYSSEL
HATERSLEB: HERDE
TYRSTRUP HERDE
FIONIÆ PARS
Mittelfart sundt.
MARIS BALTHICI PARS.
COLDING
HATERSLEBE
Timder weg

ventium adhuc Canonicorum necessaria consuetis præbendis. Cum deinde anno 1544, Haderslebia Duci Ioanni in divisione assignata esset, ipse sedem hic fixit, urbemque Gymnasio & ptochotrophio ornavit, ac prope novam urbem in insula è fundamentis novam arcem exstruere occœpit, cui dein, fatis functo Duce Ioanne, Rex Fridericus ultimam manum addidit. Tempore belli Suecici Marescallus campi Torstensonius hic aliquamdiu commoratus est, arcemque aliquot adjectis munimentis communivit, quæ deinde fervente adhuc bello, incertum quo casu, in favillas abiit, ita ut nudi tantum muri residui sint.

2. *Tusterupiensis Circulus, Tusterup-Harde.*

NOmen illi à Tusterupo pago inditum est: fertilitate & telluris bonitate inter optimos hujusce præfecturæ censetur, licet aliquantum nemorosus sit, & collibus quibusdam obductus. Producit namque siliginem, triticum, hordeum, avenam, & fructiferas varii generis arbores: pratorum ea ubertas est, ut hic optimi totius fere Ducatus boves proveniant, nec non magna equorum bonæ indolis & ovium copia inveniatur. Patet in tria longitudinis, & duo & medium latitudinis milliaria.


Est in hoc circulo mediocris altitudinis, 120 scilicet cubitorum mons ad pagum Grönwickhoed, qui *Groenhoed* appellatur. Sunt & alii quidam monticuli in Steppingensi nempe & Fielsterupiensi parochiis, sed huic longe dispares. Sylva olim multo major & in octo milliaria expansa, nunc multis in locis disjuncta, magnam ferarum & præcipuè aprorum abundantiam largitur: commoda sane, quod maxime quercubus & fagis constet, ingenti porcorum & suum multitudine pascenda. Vltra aliquot rivos, quorum primarius est Tapsa, ingens hic lacus est, nongentas virgas longus, trecentas latus, qui valde piscosus est.

3. *Grammensis Circulus, Grammharde.*

GRammensis circulus à rivo & pago Gram appellatus, magnitudine prioribus non multum inferior, figuræ triangularis est. Longitudo ejus sex milliaria facit, inæquali existente latitudine. Fertilitatem quod attinet, ceteris minime comparanda est, multis in locis infructifera & ericeto obsita; ad mare Balthicum solummodo cæteris non absimilis est, ut & versus lacum Iel, quibus in tractibus ligni quoque aliqua copia invenitur: reliquus ager requietus est, & singulis annis arari nequit; profert tantum avenam, siliginem, & pauculum hordei: econtra juxta fluvios ubertas pratorum modica est. Sunt & tres piscosi in hoc circulo lacus, quorum maximus trecentarum virgarum est.

Conspicitur itidem in hoc circulo locus *Dorning*, ubi eximia & celebris olim arx fuit, Familiæ Lembeckiorum propria. Cum Henningius Lembecke circa annum 1365 urbem Chilonium multis injuriis opprimere conaretur, & à Duce vel Ducissa Slesvicensi protegeretur, Comites Holsatiæ præfecturas Tonderensem & Haderslebiensem occuparunt, & hanc arcem obsidione cinxerunt, licet tunc temporis irrita: nam postea Comes Gerardus arcem expugnavit, & Woldemari copias ad eandem recuperandam missas profligavit.

HADERSLEBIENSIS PRÆFECTVRÆ PARS OCCIDENTALIS.



Ars hæc Præfecturæ Haderslebienſis, quæ Occaſum reſpicit, continet quatuor, qui reſtant, circulos; qui ſunt ſcilicet, Froſſenſis, Kalslundtenſis, Guiddingenſis, & Norderrangſtorpienſis, cum parte Ripenſis Epiſcopatus.

4. *Froſſenſis Circulus, Froſſharde.*

EST hic circulus mediocriter fertilis, frugum omnis generis præter triticum ferax, unde neque cum Tuſterupienſi comparari poteſt. Extenditur ad tria milliaria longitudinis, ubi maxime latus eſt, ſeſquimilliare non excedens: habet etiam quibuſdam in locis ſylvas.

5. *Kalslundtenſis circulus, Kalslundtharde.*

CIrculus hicce cui nomen à pago Kalslund inditum eſt, multis in locis erica obductus eſt, ad Schodtburgicum tamen amnem agrum mediocriter fœcundum, & eximia prope oſtium Nipſæ prata habet, quæ bonitate maritimis regionibus (Marschländer) vix cedunt, quamvis aggeribus munita non ſint. Lacus monteſque hic nulli, nullæque ſylvæ. Longitudo hujus circuli tria milliaria, latitudo tres quartas milliaris conſtituit; dimidium ejus Ripæ, reliquum Haderslebiæ accenſetur.

6. *Giddingenſis Circulus, Guiddingharde.*

CIrculus Guddingenſis valde magnus eſt; occupat enim duo & tres quartas milliaria in longitudine, & totidem fere in latitudine uſque ad anterius mare; pertinent enim ultra illud ad hunc circulum inſula Mandoe & maxima pars inſulæ Rom: quas inſulas olim continenti conjunctas fuiſſe certo affirmatur; ita ut incolæ Regio Mathematico plurima cum ſuis nominibus loca monſtraverint, quæ nunc violentia maris obruta ſunt; quemadmodum in hac tabula conſpicere eſt. Iacent in hujus circuli diſtrictu prædia nobilia Hoxbroe, Weſterbeck & Spandet; ut & nonaginta circiter jugera, quæ ad Lohm Cloſter pertinent. Eſt in hoc circulo tractus uliginoſus in quinque milliaria extenſus, nec non multum ericeti: multis tamen in locis fœcundus ager eſt, omniumque frugum ferax, & quibuſdam in locis tritici. Conſpicitur prope Gaſſoam mons, à loco nomen habens, è quo Ripa, Tondera, Meeltondera, Balumum, Romenſis Parochia, Löhma Cœnobium & omnes pene eccleſiæ in hoc & Lohenſi circulo ſitæ, viſui patent. Eſt & alius non adeo altus mons prope Agrupum; præter hos nullum alicujus nominis invenies: eſt enim hic circulus maximam partem planus.

7. *Norderranſtorpienſis Circulus, Norderrangſtorffharde.*

NOmen huic circulo à pago Rangſtorff inditum eſt, licet aliqui paucis immutatis literis à vulpibus derivare velint, quarum ibidem ut & leporum magna copia eſt. Ager hujus circuli mediocriter fœcundus eſt, fontiumque dives, intercurrentibus uliginoſis tractibus. Provenit hic avena, ſiligo, fagopyrum, & alicubi hordeum. Longitudo hujus circuli duorum eſt milliarium, latitudo ſeſquimilliaris.

De inſulis Mandoe & Rom infra, ubi reliquas inſulas recenſemus, latius.

PRÆFECTVRA RIPENSIS.

PRæfectura Ripenſis, cujus præfectus Regius in Arce Ripenſi in Auſtrali Iutia reſidet, maximam partem in Septentrionali Iutia ſita eſt, pertinens ad Regnum Daniæ, in cujus deſcriptione ejus mentio proprie fieri debet.

Caput hujus præfecturæ eſt urbs Ripa, quæ à ſitu (in ripa nempe fluvii Nipſæ) nomen trahens, non ſpatioſa admodum aut grandis, ſed pervetuſta & celebris Regni Danici civitas eſt, quamquam, ut ſupra diximus, in Slesvicenſis Ducatus circuitu contineatur. Amœna circa urbem prata Nipſa fluvio alluuntur, qui ſæpius æſtuante mari retrorſum actus urbem adoritur, & aquis ſuis aliquam ejus partem inundat. Duæ in urbe portæ ab Aquilone & Auſtro nomen mutuantur: arx, quæ ad Occidentale urbis latus, quatuor rotundis & exiguis propugnaculis, ſed profundis foſſis more veterum munita, aliquantulum urbem defendit, nulla munimenta habentem; fertur ſtructa eſſe ad annum 1115. Templum cathedrale, opus eximiæ ſtructuræ eſt, ex quadrato lapide eductum, cum annexa ex eadem materia excelſa turri, cujus cacumen quadratum pulchrum ambulacrum præbet, & proſpectum in 64 templa circumjacentia. Eſt & aliud in hac urbe templum S. Catharinæ ſacrum. Epiſco-

Vrbs Ripa.


PARS OCCIDENTALIS
PRÆFECTVRÆ
HADERSLEBEN
cum adjacentibus
RIPEN et LOHMCLOSTER
PRÆFECTVRIS.
Milliare Germanicum.
1 2 3 4 min
480 1920 Virgæ
Notarum explicatio.
Templa in Rypia
Templa in Barringsissel
Templa alia
Nobilium ædes
Pagi
Ædes
Prædia
Mola aquaria
Templa vastata
Pagi vastati
Locus, ubi aureum cornu repertum.
Illustri Magnifico ac Strenuo Dn. Dn.
Gregorio Krabben. Equiti aurato Dn. in Tastlund
Senatori Regni Daniæ prudentissimo præfectoq: Ripensi. &
Generoso. Strenuo ac prudentissimo Viro. Dn.
Ottoni Kraggen. Hæreditario in Trutzholm
Serenissimi Daniæ Regis Secretario magno. Præfecto
Cœnobij Halsted & præfecturæ Haranger in Norvegia, Patronis
suis benignissimis. Tabulam hanc Geographicam Officiosissimè
dedicat author Iohannes Mejerus. Hus.
Regæ. Majis. Mathematicus.
Matthias und Clauß Petersen
Goldtschmide. gebr: Husumens: Schulps:
FANØE
Sonderho
Nordby
Knudsandt
Manddø
Bollert sandt
Nacksandt
Blaw sandt
Haff sandt
Mabbersandt
INSULA RØM.
Jordt sand
Ryst sandt
INSULA SYLT.
LYST
Mittell sandt
die Hundt
GIÖRING HERDE
MALT HERDE
ANDS HERDE
KALS HERDE
FROS HERDE
GRAM
LUND
HERDE
RYPEN
GID. HERDE
DING HERDE
LOE HERDE
HØR HERDE
TUNDER HERDE
SLAUX HERDE
RANXSTORP HERDE
SUDER RANXSTORP HERDE
Lohm Closter
Tunder
Hunderup
Darumb
Wamdrup
Gram
Ripen
55 gr. latit.
26 gr. longit.
40. min.

ſcopatus Ripenſis in[illegible] ſuu[illegible] circa tempora Ludovici Germaniæ Regis, filii Ludovici I, Imperatoris, & Erici Iunioris, Regis Daniæ; hoc enim tempore S. Ansgarius Eccleſiam Ripæ fundavit, [illegible] in ſuum Rembertum præpoſuit magis quam Epiſcopum conſtituit. Sed deficientibus Danis à Religione Chriſtiana, omnesque ſacerdotes & Eccleſiaſticos occidentibus, S. Vnnius Archiepiſcopus Hamburgenſis iter in Daniam & Sueciam aliquanto poſt inſtituit, multosque ex incolis ad veram fidem revocavit, ſed tandem inter peregrinandum in Suecia interfectus eſt. Hujus ſucceſſor Adeldagus à Meyendorf ſuo ardore & zelo rem eo deduxit, ut Slesvicenſis, Arhuſienſis & Ripenſis Epiſcopatus fundati ſint, imperante Othone I, ad annum Chriſti 958, quo tempore Ripenſem Epiſcopum ordinavit Liaffdagum ſive Leefdagum.

Epiſcopi Ripenſes.

Leefdago ſuffectus eſt anno 991 3. *Odinkarus*, nobili & divite domo oriundus, cujus è bonis Epiſcopatum Ripenſem fundatum fuiſſe Adamus affirmat.

4. *Wal* ſive *Waldemarus*, anno 1035, antea Cantor Bremenſis; obiit anno 1060. Poſt hujus mortem diviſit Rex Sueno Eſtridi F. Epiſcopatum Ripenſem in quatuor, conſentiente Adalberto Archiepiſcopo Hamburgenſi, nempe Ripenſem, Aerhuſenſem, Borglumenſem & Wieborgenſem.

5. *Oddo.*

6. *Chriſtiernus.*

7. *Iaraldus.*

8. *Thuro.*

9. *Notelius.*

10. *Aſcherus.*

11. *Elias*; qui anno 1142 Epiſcopatum adeptus eſt: Fovit hic Suenonis Gratteheide partes, cui inter cætera ſuaſit, ut bonum hortulanum æmularetur, exſtirpando malum germen quo melius bona herba ſuccreſceret: quod cruentum conſilium Regi non placuit. Fuit hic Helias tantæ authoritatis, ut ei diviſio regni inter Suenonem, Kanutum & Woldemarum Reges committeretur.

12. *Radulfus.*

13. *Stephanus.*

14. *Homerus*: Hic in Lôhm-Cloſter ſepultus eſt, hoc elogio ornatus:

——— Decus orbis, forma Sophiæ,
Gloria Pontificum, magni ſectator Oniæ.

15. *Olaus*: huic ibidem ſepulto hoc epitaphium poſuere:

Nobilis & clarus poſt hunc ſurrexit Olaus,
Hic decimas petiit, quas prorſus habere nequivit.

16. *Thuo.*

17. *Gunnerus*; etiam hic in Lôhmcloſter conditus jacet, præfixo hoc elogio:

Hunc ſapiens ſequitur Gunnerus, pacis amator,
Gemma ſacerdotum, cunctæque rei moderator.

18. *Eſgerus*; vixit tempore inquieto Regis Chriſtophori I. à quo etiam in vincula conjectus eſt. Maluit & hic in Lôhm Cloſter ſepeliri, adjuncto hoc epitaphio:

Poſt Eſgerus adeſt, qui multos nobilitavit,
Eccleſiamque ſuam per plurima dona beavit.

19. *Tycho.*

20. *Chriſtianus*: ſub hoc præſule urbs Ripa iterum incendio [illegible] anno 1301.

21. *Iacobus Hee.*

22. *Iacobus Spliet*: navavit hic fidelem operam regi ſuo Chriſtophoro II, bellum cum Gerhardo Magno Holſatiæ Comite gerenti.

23. *Petrus Thuronis.*

24. *Magnus.*

25. *Iohannes Michaëlis.*

26. *Eſchillus.*

27. *Petrus Lüche*: interfuit hic Concilio Coſtnicenſi, & poſtea ad Archiepiſcopatum Lundenſem evectus eſt.

28. *Chriſtianus Hemmingii.*

29. *Henricus Spangenberg.*

30. *Petrus Nicolaus.*

31. *Hartwicus Iuel.*

32. *Iuanis Munk*: & tandem

33. *Olaus Muncke*, qui anno 1536 cum reliquis ſex Epiſcopis in Daniam captivus abductus, & Epiſcopatu demotus eſt, bonis plerisque Eccleſiaſticis fiſco regio aſſertis, conſtituto de reliquo egregio ſalario ad Lutherani Epiſcopi ſeu Superintendentis ſuſtentamentum.

Pertinuerunt ad hunc Epiſcopatum, quoad eccleſiaſticam directionem, urbes *Ripa*, *Coldinga*, *Weel*, *Ward*, *Holſtebroc*, *Rincöpen* & *Leemwick* cum ſequentibus circulis ſive *Süſſel*:

1. *Wardsüſſel*, in quo oppidum Ward ſitum eſt.

2. *Haarsüſſel*, in quo Ringcöpen, Holſtebroe & Leemwick.

3. *Almyndtsüſſel*, in quo Coldinga & Wedel.

4. *Gellingſüſſel.*

5. *Süder-Iutlandt-Süſſel*, in quo Ripa & fortaſſe Tondera, nam & hanc Epiſcopi inſpectioni ſubjectam fuiſſe volunt.

Habuit ergo Epiſcopus Ripenſis ſub ſua inſpectione 30 circulos, & in iis 275 parochias, quarum 43 in meridionali Iutia & Ducatu Slesvicenſi, reliquæ in ſeptentrionali Iutia ſitæ ſunt. Præter hos circulos in variis Ducatus Slesvicenſis diſtrictibus diſperſos habuit Epiſcopus non tantum ſpiritualem, ſed & civilem juriſdictionem in circulum Lohenſem, Lyſt, Septentrionalem inſulæ Sylt partem, circulum Mogeltunderenſem; partem occidentalem inſulæ Fohræ & inſulam Amrom; quæ omnia anno 1536 tempore Reformationis Chriſtianus III occupavit, & regio fiſco addixit; unde etiamnunc à Ripenſi Præfecto adminiſtrantur.

1. *Lohenſis Circulus*, *Loh-harde.*

Lohenſis circulus nomen accepit à Loha fluvio mediocri, non tamen ita grandi ac Nipſa, Schodtburgicus amnis, Wida vel Treena ſunt. Oritur in circulo Norderrangſtorpienſi è ſylva inter Herrefted & Aggerſchow, cui præter alios quoſdam minores rivulos, rivus Kieſsbeck confluit proxime Lohm-Cloſter; inde ad pagum Bredbro pergit, ubi ponte ſtratus eſt, per quem via regia à Tondera Ripam ducit, uſque dum prope Wiſthuſum per Liſtenſe profundum in mare Cimbricum ſe exoneret. Continebat olim hic circulus agrum Lohenſi cœnobio circumjectum, qui deinde à reliqua circuli parte diſtinctus

ctus monachis concessus est, à civili Præpositi jurisdictione exemptis.

Complectitur vetus Lohensis circulus adjuncto Lohensi cœnobio tria milliaria longitudinis, & duo circiter latitudinis. Modernus & Ripensi præfecturæ subjectus circulus fertiles agros habet, & multis in locis maritimis regionibus haud absimiles; omnis generis frugum ut & tritici feraces. Rari hic tractus uliginosi, sylva nulla est.

Ostium Lohæ mediocrem portum efficit, & si arte aliquantum corrigatur, magnarum navium capacem: constituerat ante aliquot annos Rex Daniæ urbem vel munimentum hoc loco condere, & maritimas hujus oræ regiones aggere munire. Profundum Listense, (*Lister-Tieff*) largus & profundus portus est, maximarum navium patiens, Regique soli subjectus. Ante hunc portum penultimo bello Sueco-Danico navale prælium commissum est inter Suecos & Danos, quorum hos regis præsentia bonæ fortunæ conjuncta victores fecit.

Est in hoc circulo arx Troyeburg cum adjecto agro, quam Christianus III, tempore Reformationis, regno adjunxit. Nunc Danielem Ranzovium agnoscit, qui prædium hoc à Rege Friderico II accepit, reddito in ejus locum Wammendorff.

2. *Mogeltunderensis circulus, Mögeltunder-harde.*

QVamvis parvus hic circulus Tunderensis circuli olim pars fuerit, atque ita una cum illo describi deberet, quia tamen Lohensi circulo adsitus est, & Ripensi præfecturæ subjectus, hunc ei locum assignavimus.

Nomen habet à veteri pago Mogeltunderen, ubi olim arx fuit, veterum in bellis destructa. Solum habet omnium frugum ut & tritici ferax. Est in hoc circulo pagus Galhueff, ubi puella Osterbiensis aureum cornu eximiæ artis & valoris invenit, quod in Regia cimeliotheca custoditur, mille ducentos imperiales pondere exæquans; non æstimata antiquitate. Videre licet ejus descriptionem apud Olaum Magnum in libro monumentorum Daniæ.

PRÆFECTVRA LOHM-CLOSTER.

PRæfectura Lohm-Closter olim Monachorum Cœnobium fuit, totius Ducatus antiquissimum & ditissimum, quippe quod à tertio Ripensi Episcopo Odincaro fundatum sit, quem Adamus Bremensis Odincarum Iuniorem & nobilem appellat. Vltimus hujus Cœnobii Abbas fuit frater Martinus, mortuus anno 1548. Quamvis enim Duci Ioanni Seniori, in divisione anno 1544 facta, cœnobium hoc attributum fuisset, pro innata tamen bonitate Abbatem jam senem cum fratribus expellere noluit, sed usque ad obitum Abbatis rem distulit, quo defuncto monachi discedere coacti sunt; constituto in Abbatis locum Præfecto. Mortuo Duce Ioanne frater ejus Dux Adolphus jure hæreditatis illud acquisivit, à cujus posteris etiam nunc possidetur. Censetur hæc Præfectura continere jugera 151, sed, ut omnia fere bona ecclesiastica, hic illic in variis circulis & præfecturis dispersa.



PRÆFECTVRA TONDEREN.



HÆc Præfectura maxima & optima est earum quas Dux Slesvico-Holsatiæ possidet, 999 jugera comprehendens, exceptis 57 & medio jugeribus, quæ Bonum *Solewieg* continet, huic Præfecturæ annexum, ita ut totalis jugerum summa ad mille quinquaginta sex accedat. Longitudo Præfecturæ Tonderen ab Occidentali littore Insulæ Syldt, usque ad finem circuli Lundtofft, pene tredecim milliaria efficit; latitudo tantum octo. Eximia ubique fere terræ fertilitas incolis divitias non modicas affert, cui accedit fructuosa piscium & ostrearum captura, & armentorum gregumque multitudo; unde hæc Præfectura bonitate & magnitudine modico alioquin Comitatui vix cedit. Terminatur ad Septentrionem circulo Lohm Præfecturæ Ripensis, Præfecturis Lohm-Closter & Apenrade, ad Orientem Sundewitha, & Flensburgensis Præfecturæ circulo Wyhes; ad Meridiem autem respicit Præfecturam Flensburgensem, & ad Occidentem mare Cimbricum, in quo insulæ Meeltunderen, Fohr & Amrom, quæ Ripensi quidem Præfecturæ subditæ, in circulo tamen hujus Præfecturæ sitæ sunt.

Numerantur in hac Præfectura septem circuli & duæ regiunculæ, seu, ut alii volunt, novem circuli, insulæ Syldt & parte Fohrâ duos circulos constituentibus. Nominantur hi circuli Hoyerensis, Tonderensis, Schlauxensis, Lundtofftensis, Karrensis, Bochingensis, Horsbullensis sive Widingensis, Syldt pene tota, & Fohræ dimidia pars cum insula Amrom. Cum vero aliqui mediocres fluvii hos circulos irrigent, operæ pretium visum est aliquam illorum hic mentionem facere. Præcipuus *Tunderaw*, qui & *Widaw* dicitur, duplici brachio coalescit; & receptis Saarbeck & Wirleaw urbem Tunderam alluit. Infra quam confluente Grœnaw amne auctus in anterius mare se exonerat. *Grœnaw* oritur ex ericeto in circulo Lundtoftensi, unde defluens diversa pro locis vicinis nomina sortitur, & post aliquot intervallum Schlauxaw amne admisso, cum Tunderaw fluvio miscetur. Est ibidem alius fluvius *Suderaw* dictus, qui itidem in Lundtoftensi circulo natus, aliquanto post Geilaw & Scheidaw amnibus auctus, per Listense tandem profundum (Listertieff) in Oceanum effunditur.

1. *Circulus Hoyerensis, Hoyers-harde.*

DEnominatus est hic circulus à pago Hoyer; extensus à pago Ballum usque ad Rutebull. ad duo & medium mill. longit. latus circiter tres quartas milliaris. Solum habet fertile, in quo tractus est maritimus à Rutebull versus Hoyer, ubi aggeribus munitur. Duo hic sunt portus, apud Rutebull & Hoyer: verum Rutebullensis à fervente tempestatibus mari, naves defendere non potest. Accensetur huic circulo insula Iordsandt; in qua aliquot centeni Sueci sepulti sunt, qui in prælio Lystensi occubuerant.

2. *Tunderensis Circulus, Tonderharde.*

TOnderensis circulus frugum omnis generis nec non tritici ferax est; alicubi habet parvos, uliginosos & ericosos tractus, nihil tamen sylvarum. Est hic circulus valde exiguus, postquam Möltunderensis inde separatus est.

Tondern, urbs. Vrbs Tondern non adeo ampla, populosa tamen & commerciis exercita, optimo ac fructifero in solo sita est, Septentrionali Frisiæ adscripta, quamquam magis Danica quam Frisica lingua incolæ utantur. Vetustior excepto Slesvico in toto Ducatu non invenitur, quæ ab Abele primum Duce, dein Daniæ Rege ad justæ urbis magnitudinem evecta, & Lubecensi Iure donata est anno 1243. Navigatione ac navigiorum copia olim celebrem fuisse certo constat, unde & in insignibus navim habet. Asserit Henricus Rantzovius in scriptis suis, ex urbis hujus portu Anglos in Angliam solvisse, quam armorum vi occupantes suo nomine insigniverunt, quum ante Brittannia appellaretur. Nec desunt hujus rei indicia: est enim prope urbem Tondern regiuncula etiam nunc Angeln, sive Anglia dicta, quam cum maxima Slesvicensis Ducatus parte veteres Anglos possedisse affirmatur. Adjacet autem urbi Arx Ducalis mediocriter munita, quamquam non adeo magna; & Præfecti ordinaria sedes. Præcipua incolarum mercatura consistit in frumento, bubus, caseo, butyro, & similibus; reguntur autem à duobus Consulibus & Senatu.

3. *Schlauxensis Circulus, Schlauxharde.*

HAbet hic circulus solum pingue & irriguum, quod optimam siliginem producit, quæ Tonderam, Husumum & in alia loca distrahitur. Continet circiter 23 jugera, duo & medium fere milliaria longus latusque. Annumeratur huic circulo prædium Sollwick, quod olim cuidam ex Nobilitate, nunc vero Duci Holsatiæ proprium, & Præfecturæ Tonderensi conjunctum est.

4. *Lundtoftensis Circulus, Lundtofharde.*

MAxima hujus circuli pars ericeto vel uliginosis tractibus sterilis est, & quod reliquum est agri non adeo fertile, præterquam orientem & Septentrionem versus, ubi paulo planius solum inve-


PRÆFECTVRA
TONDERN
sine Lundtofft Herde
Anno 1648
Christian Rothgiesser
Husum sculps.
26 gr. longit.
LÖHM
CLOS
TER
GEBIETH
Lohm Closter
Tunder
SVLT
FORA
Mabbersandt
Knipsandt
Cassoe
RIES
HAR
Tagholm
KAAR
Clixbull
Leck
GOTTES
KOEG
NORT
GOES
HER
LVND
TOFT
WILS
SCHLAUX
Groste Moer
Northack
DE
PARS
PRIN
LANDS
Osterlands
MARSCH
Lindholm
Storswank
koog
Langhorner
Bredstedt
NO
STRAN
PARS
Rom.
Sudermarsch
Die Knoecken
Die kleine Handt
Mittel sandt
Hoyer

invenitur, & mediocris ligni quantitas. Sunt tamen in eo duo eximii & piscosi lacus, quorum alter *Seegard-see* dictus, 800 virgas longus, 250 latus est; alter vero *Hosterupsee* appellatus, ad quingentas virgas in longitudinem, trecentas in latitudinem expanditur.

5. *Karrensis Circulus, Karr-harde.*

EST hic circulus non inter minimos numerandus, quippe tria milliaria longus, duo latus. Complectitur ultra Ducalia, etiam quædam nobilia prædia, ut sunt, Tresenhage 20 jugerum, Lutkenkorn 18 jugerum, Clicksbull & Bourstede 20 jugerum. Solum alias hujus circuli multa erica, uligine & arena infœcundum est. Habet tamen ad fluvium Tunderaw bona pascua, & tertiam partem circiter maritimarum regionum in Gotteskoge.

6. *Bockingensis Circulus, Bockingharde*

EST hic circulus fertilitate inter primos numerandus, uberem habens glebam, quæ siliginem, avenam, item hordeum & triticum producit; boum, vaccarum, ovium hic magna copia est, & bonæ indolis; equi quoque qui huc ex Iutia transportantur, egregium virium, & nitoris augmentum acquirunt. Regio hæc naturâ mediocriter munita est, & fossa, quæ Danorum vocatur, circumdata, ita ut Sueci eam nondum intraverint. Incolæ vegeti corporis sunt, sublimis spiritus, admissæ semel sententiæ tenaces, serii, & terrarum acquirendarum cupidi: origo illis Frisia, licet plerumque Frisicam, Danicam & Germanicam linguam calleant, quarum Frisica ipsis naturalis & maxime pura, reliquas à vicinis, quibuscum commercia exercent, addiscunt.

In vicinis & subjectis huic circulo insulis, sal conficitur hoc modo: cum naviculis exeunt in fluvium, & recedente æstu descendunt in limum, quem fodiendo tollunt usque dum ad certam terræ speciem perveniant, quam *Torricht* vocitant; hanc terram in insulas deferunt, & apricis in locis Soli exponunt torrendam & exsiccandam; ita dispersam in unum globum colligunt, incendunt & in pulverem redigunt; quod reliquum est, iterum Soli exponitur, aquâ humectatur & pedibus subigitur, à lapillis & quicquid porro inutile, purgatur, dein iterum siccatur & humectatur, tandem in cacabum conjicitur, & excoquitur.

7. *Horsbullensis Circulus, Horssbullharde, sive Widinharde.*

HOrsbullensis Circulus, vulgo Widingensis, eximius est & totus argilosus; fuit ante centum aut circiter annos insula, quamquam ante multa sæcula omnis hæc ora Frisica continenti & Nordstrandiæ conjuncta fuerit, quam insequentibus temporibus violentia maris disjunxit, & circulum hunc insularum fecit, ita ut anno 1562, tempore Ducis Iohannis Senioris, aggeribus circumdata & continenti reunita sit. Fuit autem ante centum quinquaginta fere annos multo major hic circulus, verum diversis tempestatibus 20, 30, 40 imo 60 virgarum spatium à mari absorptum est, atque adeo aggeres tanto propius templum duci debuerunt. Diluvium anni 1634 grave quoque damnum incolis intulit, disjectis passim domubus, segetibus, arboribus & submersis pecudum magna copia, ut & hominum.

Syldt, Insula.


EST in hac Præfectura Insula *Syldt*, quæ octavum circulum constituit, non adeo magna, quippe tantum in 4 mill. longitudinis exporrecta, latitudine inæquali: Incolarum numerus ad 1750 accedere dicitur, qui utplurimum vitam tolerant capiendis circa Groenlandiam & vicinas oras balænis, & domi ostreis; lingua ipsis Frisiorum veterum usurpatur, quorum etiam mores in omnibus fere retinent, quamvis incultos. Inveniuntur in hac insula multæ veterum Frisiorum sepulturæ, quorum cineres & ossa in fictilibus vasis reservata reperiuntur; ita ut hinc conjicere liceat, eos cadavera, sicut & multi alii populi fecerunt, cremasse. Cæterum insula Syldt non adeo frugifera est, multis arenosis collibus & fruticibus obsita: sunt tamen etiam aliqui campi maritimi, qui pecoribus alendis optimi. Nullibi in vicinis oris ab Albi fluvio usque ad Schagam melior portus invenitur, ac ille est quem hæc Insula ad Listam habet.

Fohra Insula.


Fohra mediocris quidem insula est, sed incultis habitata incolis, quamquam Syltanis paulo civiliores sint: habitum veterum Frisiorum, ut & linguam usurpant, licet aliqui ex iis etiam Saxonicam calleant. Ipsa autem Insula figuram ovalem habet, recedente aliquantum rotunditate in longitudinem, quæ toti insulæ sesquimilliaris, latitudine unum & grande milliare Germanicum constituente. Frugum varii generis magnam copiam producit, sufficientibus in pecorum pasturam pascuis. Incolarum duo millia ultra ducentos tueri fertur. Insula *Amrom* valde parva est ad formam lunæ crescentis, nulla re fere memorabilis: mores incolarum cum Fohranis conveniunt. Inter hanc & Fohram locus est capiendis ostreis aptus, qui Regi Daniæ proprius à præfecto Ripensi elocatur.

Amrom Insula.


PRÆ-




PRÆECTVRÆ
TONDERANÆ
ORA MARITIMA.
Virgæ.
480. 960.
Generoso,
Strenuo ac Splendido,
Dn. Hans Blohm.
Sereniß. nostræ Celsit. Supremo
rei Venatoriæ præfecto, fautori suo
observando, regionem hanc Præfecturæ
Tonderensis maritimam et
uliginosam Officiose dedicat author
Iohannes Mejerus
Reg.ª Ma.tis Mathematig.
Tondern
Tonder
Hoyer
Leck
Bargum
Dageboll
Faretofft
Galmesbul
Gottes Koeg
Böeken
Lindtholm
Humpdorp
Lügum
Carlum
Ladelundt
Kaar
Herde
West See
Soster Bargum
Scholmbrugk
Matthias & Nicolag Peters
Goldtschmide, gebr: Hus.
sculps.




FRISIA SEPTENTRIONALIS.



Non absurdum videbatur, cum toties Frisiorum meminissemus, eorum etiam sedes demonstrare. Possedisse olim Frisios totam illam maris Cimbrici oram ab Hollandia usque ad urbem Tonderen, donec Saxones pedetentim illius partes vellicando totam tandem Ditmarsiam, Bremensem & Hadelensem districtum avulserint, omni reliqua ora apud Frisios adhuc permanente, Vbbo Emmius vult. Ex Tacito autem & Plinio liquet, Chaucos Majores & Minores illas terras possedisse, qui iidem cum hodiernis Saxonibus sunt. Ita enim de iis Plinius: *Sunt vero in Septentrione visæ nobis gentes Cauchorum, qui majores minoresque appellantur. Vasto ibi meatu perpetuis bis dierum noctiumque singularum intervallis effusus in immensum augetur Oceanus, æternam aperiens Naturæ rerum controversiam, dubiumque, terra sit an pars maris. Illic misera gens tumulos obtinet altos, ut Tribunalia structa manibus, ad experimenta altissimi æstus casis ita impositis, navigantibus similes, cum integunt aquæ circumdata, naufragis vero cum recesserint.* Magis autem clare Ptolemæus rem explicat; *loca vero*, inquit, *juxta Oceanum supra Bructeros tenent Frisii usque ad Amisiam amnem, post hos Cauchi minores usque ad Visurgim amnem, deinde Cauchi majores ad Albim usque flumen.* Imo probabile videtur tunc temporis ne hanc quidem oram Frisios tenuisse, quorum accuratissimi illi scriptores aliàs absque dubio meminissent, cum ab Eidoræ ostio usque ad urbem Tonderen octo milliaria intercedant. Saxo quoque Grammaticus incolas hujus Septentrionalis Frisiæ à Frisonum gente conditos, scribit, cujus verba hic adducere non inutile videtur: *Interea Canutus Frisiam minorem, quæ & ipsa Danicarum est partium, cum paucis exilii comitibus petit: dives agri provincia, & pecoribus opulens, cæterum confinis Oceano patet humilis, ita ut ejus interdum æstibus eluatur, qui ne irrumpant, vallo littus omne præcingitur: quod si forte perfregerint, inundant campos, vicos & sata demergunt; neque enim illic locus natura alius alio editior extat; plerumque agros ab imo convulsos alio loci trajiciunt, locum eorum occupante lacuna, in quorum consederint prædiis possidendos. Inundationem comitatur feracitas. Gramine tellus exuberat, torrefacta in salem gleba decoquitur. Hieme continuo celatur æstu, stagni speciem præbentibus campis, unde in qua rerum parte locanda fuerit, pene ambiguum natura fecit, cum alia anni parte navigationis patiens, alia aratri capax exsistat. Incolæ ejus natura feroces, corporibus agiles, anxiam & gravem armaturam contemnunt, ancilibus utuntur, missilibus dimicant, agros scrobibus cingunt, contulis edunt, penates in editum subjecto glebarum acervo provehunt. Hos à Frisonum gente conditos nominis & linguæ societas testimonio est, quibus novas quærentibus sedes ea forte tellus obvenit, quam palustrem primum ac humidam longo duravere cultu. Administratio dein provinciæ sub nostris regibus esse cœpit.* Hinc patet longo post dictos authores tempore, & ut conjicitur, circa A.C. 400, Frisios primum in hanc terram advenisse: maxime cum Ptolemæus *tres insulas Saxonum* fuisse, Eyderstadiam, Everschop & Vhtholm dicat. Moribus autem veteres Frisii agrestibus utebantur: aliqui scriptores vocant Frisios natura feroces, superbos, multum sibi de libertate arrogantes, inciviles, qui quod aliis nationibus raro miscerentur, suis moribus insordescebant. Crantzio dicuntur populus palustris, ut vastus corpore, ita animo stolidus, sed ad arma non satis sibi constans. Hæc vitia in hodiernis Frisiis, qui continentem incolunt, fere obsoleverunt; in insulanis, præsertim Syltanis, Föhranis aliisque, non item, qui moribus inculti & maxime inciviles sunt. Quamquam autem adeo impolita fuerit gens, non minor tamen illius in bello fortitudo fuit. Hi sunt, qui Regem Abelem ingentia sua, sed negata, tributa bello persequentem, acri in Eyderstadia prælio fuderunt, fusumque interemerunt. Majores tamen à mari quam ab hoste clades passi sunt, quod violentia sua incolis multos pagos & Parochias abstulit, non sine multorum repentina suffocatione. Imprimis an. 1634 adeo vehemens ventus exortus est, ut commotum mare in omnes maritimas Frisiorum regiones egerit, inæstimabili plurimorum damno, qui intra sex horarum tempus ex ditissimis pauperrimi redditi sunt, vix servata ab hoc impetu vita. Hodie extenditur Frisiorum regio ab Eidora fluvio juxta maritima usque ad urbem Tonderen; cujus descriptionem singillatim dabimus.



FRISIA BOREALIS
IN DVCATV SLESWICENSI
five FRISIA CIMBRICA
Anno 1651.
Viro Nobilissimo, Strenuo ac Magnifico
Dño Christophoro Von der Lippe Icto
Regiæ Maj. Cancellario & Consiliario Intimo,
Hæreditario in Sillimow & Swargen, fautori suo
honorando. Tabulam hanc Frisiæ minoris Cimbricæ,
Officiosissimè inscribit author
Iohannes Mejerus Husum.
Reg. Maj. Mathematig.
MARIS
CIMBRICI
PARS
NORT IUTHLAND.
FANO
ROM
INS. SYLT.
FORA
AMROM
Helgolandt
DITHMARSIÆ
PARS.
Heyde
Husum
Tonning
Matthias & Nicolag Peters
Goltschmide. gbr. Husum. sculps.


FRISIA BOREALIS
IN DVCATV SLESWICENSI
Anno 1240.
Frisia Cimbrica Antiqua
Dignitate Eminenti Nobili amplissimo et prudentissimo
Viro. Dño Henrico Von Hatten Icto. Sereniss.
Regiæ Majest. et Sereniss. Celsit. Consiliario intimo,
earundemq; in ducatibq Slesvico et Holsatiâ Cancellario
provinciali Canonicoq; Slesvicensi, fautori suo Obser
vando, Officiosissimè dedicata authore
Iohanne Mejero Husum.
Cimb. Reg. Maj. Mathematico.
Notarum Explicatio.
Oppida
Templa
Nobilium ædes
Pagi
Prædia
Ædes
Milliare Germanicum.
1920 Virgæ
MARIS
CIMBRICI
PARS
CIMBRICA
CHERSONESI
SUEVIÆ.
LUNDTTOFT HERDE
DITHMARSIÆ
PARS.



PRINCIPATVS SONDERBVRGENSIS.

Inſ. Alſen.



Omplectitur hic Principatus in Slesvicenſi Ducatu, Inſulas Alſen & Arroë, regiunculas Sundewitt & Luxburg in Anglia. Primas tamen tenet inſula Alſen, in trium milliarium longitudinem exporrecta, latitudine inæqualiter aliquando tres milliaris quartas, aliquando ſeſquimilliare conſtituente. *Qualitas.* Eximia certe hæc inſula eſt, ſive fertilitatem terræ, ſeu ferarum majorum minorumque, animantium domeſticorum, pecudum piſciumve copiam ſpectes. Habet præterea virentia paſcua, monteſque, inter quos *Igeberg* prope Berensmühl eminet, cui tota inſula conſpicienda ſubjicitur. Frugum tantam fert copiam, ut etiam de ſua abundantia vicinis proſpicere poſſit, non degenerantibus interea pomariis & hortis, qui optimos fructus inſulanis præbent. Maxime tamen commodi ſunt portus, facilem incolis mercaturam reddentes etiam in longinquas terras: primarius conſpicitur ante Sonderburgum. *Incolæ.* Incolæ ipſi Dani ſunt, quamvis Danicam linguam non adeo pure ac Zelandi pronuncient. Superius mentionem fecimus hujus inſulæ, ubi & de variatione Dominorum diximus; unde eadem hic repetere ſuperſedebimus. *Regimen.* Quod autem Regimen inſulæ attinet; Rex Fridericus ejus nominis Secundus anno 1564 tradiderat majorem partem Principatus Sonderburgenſis fratri Ioanni Iuniori; alteram vero partem, Luxburgum cum appendentiis in feudum conceſſerat: ita ut hic Principatus cum Dux Iohannes Iunior eum poſſideret, inſulam Alſen, Luxburgum in Anglia, Sundewitham & Inſulam Arroë in Slesvicenſi Ducatu; in Holſatia autem Præfecturam Ploen, & alias duas, olim cœnobia, Reinfeldt & Arensbock contineret. Non tamen adeo grandis fuit atque nunc eſt, quia non tantum Dux Iohannes Iunior, ſed & ejuſdem filii multa Nobilium prædia emptione eidem adjunxerunt. Sedem fixerat Dux Ioannes in Arce Sunderburgenſi, unde totus Principatus nomen accepit. Non admittuntur autem Principes Sonderburgenſes ad commune Ducatus Slesvicenſis regimen, ſed ſeparati quaſi Domini ſunt, qui cum illo Ducatu nihil negotii habent: conceditur tamen illis titulus Hæredum Norvegiæ, Ducum Slesvici & Holſatiæ, quippe ex Ducali, imo Regio ſanguine oriundis.

Diviſio. Diviſa fuit olim in tres circulos, Süderherrit, Eckungherrit & Norderherrit. Circulus Süderherrit complectebatur urbem & arcem Sunderburg, Parochias Vlckebull, Hörup, Lüſſappel, Tanzdlet, Aſſerballig, & Gammelharde, Ronhoff atque Kekenisharde, olim Nobilium prædia, nunc tantum villas. In Eckungherrit ſitæ erant Parochiæ Eckung, Notmark, Kettung, & Præpoſitura in Stavensbull, ac duæ villæ Oſterholm & Rumorsgarde. In circulo Norderharde continebatur Arx Norburg cum vico Köping ſive Newkoping, Parochiæ Schwenſtrup, Hackenberg, Oxenbull, & Tundtofft, nec non villæ Hirſchſprung & Melſsgarde. Nunc autem diſcernitur inſula in duos tantum circulos, Meridionalem & Septentrionalem, quorum uterque ſuo Principi attribuitur, diviſo in duas partes medio circulo Eckingharde. Suſtulerat Ioannes Iunior è duabus conjugibus multos filios, quorum aliqui cælibes mortui ſunt; Alexander autem Sonderburgenſem Principatum cum media inſula Alſen, Ioannes Adolphus, & huic mortuo dein ſuccedens frater Fridericus Norburgenſem, Philippus Luxburgenſem acceperunt, conceſſis Ioachimo Erneſto præfecturis in Holſatia ſitis. De ſingulis nunc ſeparatim agemus.

Vrbs Sonderburg. Sonderburgum nomen accepit à Danis, ratione ſitus, quod ad Meridiem obvertatur: quis urbis, vel arcis conditor ſit, in incerto eſt, niſi quod hæc ad Steffensbull-Fohrde primum condi cœpta, dein eo, ubi nunc ſita eſt, tranſlata ſit. Diſcreta eſt Apenrada & Flensburgo tribus milliaribus, Slesvico ſex, Haderslebia ſeptem, & novem Huſumo. Civium in ea frequentia ſatis magna eſt; deſideratur tamen in domuum ſtructurâ nitor. Præeſt urbi Conſul unus cum Prætore ſeu Præfecto. Arx ſpatioſa eſt & mediocriter, vetere Francorum modo, rotundis turribus munita, unde ſæpius hoſtiliter tentata eſt, in vanum plerumque cedente obſeſſorum impetu. Vicinus urbi ager frugum imprimis, avenæ & hordei adeo ferax eſt, ut in alia ſæpe loca propinquaſque urbes magna copia exportentur. Piſcium quoque, maxime halecum piſcatura hic frequens & bona eſt; ita ut omnis generis victus levi pretio comparari poſſit.

Arx Norburg. Norburgenſis arx vetuſtiſſima eſt totius inſulæ, vocabaturque communiter Arx Alſenſis, Germanice, **das Schlos auff Alſen** / ſed poſt exſtructam Sonderburgenſem, ad ejus diſcrimen à Septentrione agnomen ſumpſit. Conditor ejus fuit Rex Sueno Gratteheide, cum Regi Canuto arma inferret. Huic annexa inſulæ pars totius quaſi Principatus nucleus eſt.

Luxburg. Principatus Luxburgenſis complectitur præfecturam Luxburg, Nieboll & maximam partem Sundewitt & Arroë. Præfectura Luxburgenſis in Anglia prope Flensburgum ſita, olim Cœnobium fuit, *Rue-Kloſter* dictum. Monachos ordinis S. Bernardi huc tranſtulerat Epiſcopus Nicolaus, cum antea Slesvico multò viciniores eſſent. Commutavit hoc Cœnobium in Præfecturam


DVCATVS
SONDERBORG
cum adjacentibus Territoriis
ALSSEN, SVNDEWITT,
et Luxburgh.
Dimidium Milliare Germanicum.
480 Virgæ. 960
Illustrissimis et Celsissimis Principibus
ac Dominis
Dn. Friderico. Dn. Philippo. ac
Dn. Iohanni Christiano,
Hæredibus Norwegicæ, Ducibus Sleswici &
Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comitibus
in Oldenborg et Delmenhorst,
Dominis suis Clementissimis, Tabulam hanc
Geographicam submisse Offert,
author Iohannes Meier
Reg.æ Mai.tis Mathematicus,
Husanus
Grundtriss der stadt undt d. slosses.
Sonderborg.
Maes der Ruten
20 40
Furstl. sloss a
Slosgarte b
Howmarkt c
Grosemarckt d
Hertz. Ernstguntrss hauss e
Armenhauss f
Marienkirch g
Fischerstrass h
Perlenstrass i
Notarum explicatio
Templa Versus Fioniam sive Ottoniam
Alia Templa
Nobilium ædes
Prædia
Pagi
Mola aquaria
Ædes
Matthis Peterss. G. s. &
Claus P. Goldtschmide Unt. gbr.
Huss. Cimb. sculp.
AMPT APENRADE
RIES HERDE
Apenrader hauen oder Foerd
LVND TOFT HERDE
AMPT WIES HERDE
Flensborger hauen
Flensborger Foerd
Flensborg
HVSBVY
FLENSBORG
ANGLIÆ PARS
NEW HERDE
SONDERBORG
Nordborg
Luxborg
BALTICI PARS
Vulgo
DE OOST ZEE

ctum Rex Christianus Tertius tempore Reformationis ad annum 1544, & dedit hoc in feudum Duci Ioanni, qui in destructi Cœnobii locum egregiam arcem erexit.


Sundewitt. Regio Sundewitt magnitudine sua mediam insulam Alsen fere exæquat, eidem bonitate & fertilitate agrorum vix cedens. Piscium non exiguam copiam portus *Nibull-Noer* dictus præbet, ultra nongentas virgas longus arithmeticas, & quadringentas latus. Objacet huic è regione sinus *Wemmingbondt*, qui itidem piscibus abundat.

Hodierni Principes. Præsunt hodie Sonderburgensi Principatui Dux Ioannes Christianus, filius Alexandri ex Dorothea Ioannis Guntheri Comitis Schwartzenburgici filia; Norburgensi Dux Fridericus filius Ioannis Iunioris, Ioannis Christiani Patruus; Luxburgensi autem Dux Philippus Friderici frater.



PRÆ-

PRÆFECTVRA FLENSBVRGENSIS.



Axima hæc post Haderslebiensem præfecturam est earum, quæ Regi Daniæ obtemperant; extendit se in novem milliaria longitudinis, latitudine multum deficiente, quæ inæqualis aliquibus in locis tria & medium mill. exæquat. Terminatur ab Oriente Præpositura Geltingen in Angeln; à Septentrione mari Balthico, ab Occidente Præfectura Tonderen, & à Meridie Præfecturis Gottorpiensi & Husumensi. Fertilitas in hac parte ubique non æque magna; media namque hujus Præfecturæ arida & ericetis aspera, longe à lateribus differunt, quæ pinguia arva & multos maritimos campos sive *Marschländer* continent, ut plurimum valde frugiferos, & omnium, quæ ad tuendam vitam sunt, feraces. Duo in hac Præfectura ortum habent flumina, quorum prius *die Soholm*, seu *Saholm-Aw*, prope Flensburgum duobus alveis è terra ebulliens, aliquot torrentibus, & amnibus Wybeca & Lecavia auctum in mare Cimbricum se exonerat. Alterum flumen *Treena* dictum, prope Losterup itidem duobus alveis oriundum, post varios circuitus in Eidoram tandem effunditur.

Constat hæc præfectura quinque circulis, ut sunt, Wyhesharde, Husbyharde, Newharde, Vggelharde & Norgosharde.

1. *Wyhesensis circulus, Wyhesharde.*

WYhesensis circulus à cognomine pago ita appellatus, in tria fere milliaria patet. Solum non adeo felix est, imo multis in locis ericosum, uliginosum vel arenosum; præterquam circa Flensburgum (quæ urbs in hoc circulo quidem sita est, verum jam diu Præfecti potestati subtracta) aliquanto melius est, ubi siliginem & avenam large producit. Nobilem quendam nomine Flenonem eodem, quo nunc Flensburgum situm, loco piscatorum aliquot casas possedisse, sed non certis argumentis aliqui scribunt, eundemque urbi Flensburgo nomen & initium dedisse circa annum 1200: sita est autem hæc urbs ad eximium & optimum Slesvicensis Ducatus sinum, ad mare Balthicum, commodissimum certe mercaturæ portum, ad quem idcirco suas domus plerique mercatores struxerunt, quo facilius navibus merces imponerent, & rursum eximerent. Adeo autem magna in urbe fontium & vivæ aquæ copia est, ut ea in re Basileæ comparari merito possit, licet illa Flensburgo montosior & editior sit: Flensburgum enim depressiori in loco situm, ad Occidentem colles seu monticulos habet, à quibus magna vis fontium per urbem, & in ea per privatorum plerasque domos ducitur:

Flensburgum.

Vberibus sic Flensburgi flent omnia guttis,
Omnis & ingenuo est prædita fonte domus.

Præcipua nunc & ditissima hujus Ducatus urbs æstimatur, postquam Slesvicum aliquomodo defecit. Domus privatorum ex lapide sunt, valde amplæ & firmæ, quippe cujus domini jam olim frequentem terra marique mercaturam exercuerunt, Lubecenses, Hamburgenses, Lipsienses & Francofurtenses nundinas adeuntes, suasque cum exoticis mercibus commutantes. Nunc magis maritima mercatura floret: quam oppidani in Daniam, Sueciam, Norvegiam, Islandiam & Moscoviam promovent. Quamvis autem maxima civium pars linguam Germanicam intelligat, vulgus tamen cum familia Danica passim lingua utitur. Est autem Flensburgense Germanicum idioma, sicut & Danicum, corruptissimum; sunt tamen nonnulli qui peregrinandi usu purius loquantur. Templa in urbe sunt quatuor, S. Mariæ, S. Nicolao, S. Ioanni & Spiritui sancto sacra; ut & Xenodochium valde opulentum. Est & Arx Regia ad Septentrionale urbis latus, in quam Rex Daniæ, post occupatos à Suecis Vordensem & Bremensem Episcopatus, sedem transtulit.

2. *Husbyensis circulus, Husbyharde.*

TRaxit hic circulus nomen à pago Husby, quemadmodum fere omnes reliqui à pagis vel oppidis in se comprehensis denominantur: quod hic semel dixisse sufficiet, ne hæc crambe toties repetita fastidium pariat. Benevolus quoque lector, spero, boni consulet barbara hæc nomina, quibus locorum vel districtuum vernacula vocabula exprimere conati sumus. Grave enim telum necessitas: nec aliter hic fieri potuit, dum & res & vocabula occurrunt, quæ Latio ut ignota, ita inexplicata fuerunt. Ergo vocibus quamproxime similibus usi fastidium si moveamus, non illud nostræ attribuatur negligentiæ rogamus. Est autem hic circulus maximam partem fertilis, sylvas, gratosque & fœcundos montes, ac rivis quamplurimis irriguos agros habens.

3. *Newharde.*

EST hic circulus, sicut & præcedens, in Anglia situs, fertilitate eidem non inferior, & sylvis montibusque distinctus; quorum Schierberg altissimus est, ita ut tota inde prospectui Anglia pateret, nisi in vicinia aliquæ sylvæ visum



PRÆFECTVRA
FLENSBVRGENSIS
absque Nordgoeßherde.
Matthias & Nicolaus Peters Goldtschmide.
gebr: Husum. sculps.
Viris Nobilib. amplissimis et prudentissimis, Dno. Theodoro Lente Icto, Reg. Maj. Dan. et Norweg. Consiliario Intimo et Secretario dexterrimo
Et
Dno. Philippo Iulio Borneman Ejusdem Seren. Reg. Majest. Secretario Spectatissimo. Fautorib. suis honorandis. Tabulam hanc quatuor Nomorum. Præfecturæ Flensborgensis perofficiose inscribit.
Author Iohannes Mejerus, Husum. Regæ Majis Mathematicus.
Grundtriß der stadt Flensborg
Notarum explicat.
Von der stadt
Die masse der schritten
Flensborg
Flensborger Foerd
DE OST SEE
Sonderborg ALSIÆ
Broacker
SVNDE
LVNTOFT
HERDE
SCHLAVX HERDE
KAAR HERDE
WIES HERDE
HVSBYE
NEW
HERDE
VOGEL HERDE
ARENS
HERDE
STRVCKSTORP.
NORTGOES HERDE
SVDER GOES
HERDE
Medellbuy
Northackstede
Grotenwyhe
Wandrup
Eggebeck
Vahrenstede
Idstede
Römcke
Ingbro
Viöll
Berndrup
Ackebromöhll
Ioldelundt
Luxborg
Munck Braderup
Moerkercke
Cappell
Geltinge
Kekenys
Via regia
27 gr. longit.

sum impedirent. Extenditur circulus hic in duo milliaria quoad longitudinem, sesqui milliare latus.

4. *Vggelensis Circulus, Vggelharde.*

VGgelensis circulus, tria milliaria longus inæquali latitudine, quoad naturam soli varius est: quatuor enim, ex eo parochiæ, quæ in Anglia jacent, eidem non absimiles sunt, sed frugum omniumque aliarum rerum feraces: illæ vero duæ, quæ in ericoso illo tractu jacent, reliquis longe inferiores sunt; quarum una prælio inter Regis Erici Legatos, Magnum Munck & Iohannem Scharpenberg, & Adolphum Comitem Schauenburgicum simulque Henricum juniorem Ducem Slesvicensem commisso, celebris est.


5. *Nordgossanus Circulus, Nordgosharde.*

SVbjungemus hic nihilominus hunc circulum, licet in Husumensis Præfecturæ tabula demum appareat. Terminatur ad septentrionem præfectura Tonderensi, ad orientem Wiehesensi & Vggelensi Flensburgensis præfecturæ circulis, versus austrum præfectura Husumensi, & tandem ad occidentem mari Cimbrico, jacentibus è regione Nordstrandiæ insulis. Est autem hic circulus magnitudine & bonitate soli inter hujus præfecturæ circulos primarius, magnam agri argillosi partem complectens; non degenerante tamen vel sterili tractu illo quem *Geest* vocant; qui partim fruges, partim cespites incolis suppeditat, utrumque cum insigni lucro.



PRÆ-

PRÆFECTVRÆ GOTTORPIENSIS PARS BOREALIS.



INcluditur hæc Præfectura ad Septentrionem Flensburgo; ad Orientem sylva Danica, (*Dänische Wald*) Schwantzen & Russel; ad Meridiem Eidora & Rendesburgo; ad Occidentem autem parte Eiderstadii & præfecturis Schwabstede & Husum, ita ut in 7 mill. long. & 6 latitud. extendatur, 885 jugera agri comprehendens. Qualitas soli in hac præfectura inæqualis est; quibusdam enim in circulis aliquantum sterilis, in reliquis iterum eximie ferax est.

Numerantur in hac præfectura sex circuli, *Schliesharde*, *Struchsdorfsharde*, *Arensharde*, *Cropharde*, *Huttenharde* sive *Bergharde*, *Hönerharde*, & regiuncula *Stapelholm*. Horum circulorum tres priores in priori hujus Præfecturæ tabula, reliqui in altera cum parte Episcopatus Schwabstede describentur.

1. *Arensharde.*

NIhil refert utrum hunc vel alium circulum primo loco dignemur: verum quod in hoc circulo Ducalis sedes Gottorpium sita sit, hunc prius aggrediemur. Licet autem exiguo spatio Slesvicum à Gottorpio discretum sit, ad alium tamen circulum refertur, Struchesdorfiensem nempe, quamvis quatenus jurisdictionem, nec præpositos circuli, nec præfectos agnoscat. Solum hujus circuli, qui circiter duo milliaria longus latusque est, non ita fertile est, sed multis in locis erica & uligine deformatum. Fuit Gottorpium arx continua Ducum Slesvici & Holsatiæ sedes, propugnaculis, vallo & fossis, seu potius lacu, in quo sita, munitissima, licet vicinis collibus inferior. Non parvum illi decus atque ornamentum circumcirca exstructæ ædes afferunt, in paucis abhinc annis ingenti numero auctæ. Amœnus ejus inter piscinas & lacus adjacentesque colles situs meretur certe Principum præsentiam, quem variis hortis & gratis ambulacris aliqui ex Ducibus valde emendavere. Fuit & alia arx, majus Gottorpium appellata, nunc vetus dicta, quam Nicolaus Rasi filius Præfectus Slesvicensis destruxit. Factum id paulo post tempora Hadriani IV, Papæ Romani, qui cum Friderico I, Imperatore Romano, graves inimicitias exercuit; cum hic sibi summum jus constituendi & eligendi Pontificis Romani assereret. Post Hadriani mortem electi sunt duo Pontifices, Alexander III, & Victor IV. Victorem Cæsar cum quibusdam Cardinalibus; Alexandrum reliqui Cardinales elegerant. Itaque Fridericus I, per totum Imperium & vicina regna suffragia collegit; Eskillus autem Archiepiscopus in Scania Alexandri partes cum reliquis Daniæ Episcopis tenuit; Richo vero unicus Episcopus Rotschildensis cum Woldemaro Daniæ Rege sententiæ Cæsaris subscripsit. Hinc Rex ab Archiepiscopo excommunicatus, & intestina bella enata, in quibus dictus Nicolaus Rasi filius, arcem Gottorpiensem vi capiens, eam diruit & solo æquavit; ibidem tamen ab Esberni Slesvicensis Episcopi ministris seu militibus occisus, quibus ejusdem mobilia eripere conabatur. Esberno in exilio fatis functo successit Ricco, qui continuò novam sedem sibi exstruxit minoris Gottorpii nomine insignitam, non longe Slesvico; ubi & successores ejus commorati sunt, usque dum Nicolaus II, centum annis post arcem cum suis sylvis, agris, pratis, &c. cum Duce Erico permutavit, qui ejus loco Episcopo tres pagos, Brokeslot, Brodersby, & Huxmarck reddidit. Quia autem hi pagi Gerardo Holsatiæ Comiti oppignorati erant, intercedente quoque Episcopi Nicolai morte, Dux cum successore ejus Bunde ulterius egit, ac eorum loco bona sua in Sondergoesharde illis tradidit, usque dum tres isti pagi iterum redimerentur.

Gottorpium, urbs.

Arcis structuram quod attinet, ita à præcedentibus Ducibus Friderico I, Adolpho, & Friderico IV, immutata, exornata & amplificata est, ut veteris formæ ne vestigium quidem appareat. Imprimis autem Dux Fridericus IV multis illam conclavibus auxit, & varia supellectile, eaque pretiosissima ornavit. Bibliothecam quoque opera Clarissimi viri Adami Olearii meliorem in ordinem digeri & per facultates in diversas classes distingui fecit, postquam magnam librorum copiam eidem amplificandæ coëmisset, singulisque annis identidem comparari ordinasset. Præcipuam tamen famam meretur Gazophylacium, in quo eximius rei antiquariæ thesaurus & tota Paludani cimeliotheca, quam ab ejusdem hæredibus dictus Dux emerat, asservantur. Nec omittendum censeo singulos illud in dies augeri, maxime postquam Oleario ejus cura commissa est, qui non exiguum in Russia, Persia, & Tartaria collectorum Rariorum acervum eidem contulit.

Slesvicum, urbs.

Vrbs Slesvicum, toti Ducatui nomen dans, sita est in hac præfectura ad Sliam fluvium, seu potius sinum maris Balthici, unde denominata est, quasi *Vicus ad Sliam*. Distat Flensburgo, Husumo & Fridericopoli 4 milliaria, 5 Tonninga & 3 Rendesburgo. Piscaturam urbs habet eximiam


PRÆFECTURÆ GOTTORPIENSIS pars Borealis.
Notarum explicatio,
Templa
Pagi
Nobilium ædes
Prædia
Mola aquaria
Ædes
Milliare Germanicum.
Viro Nobilissimo, Strenuo ac Magnifico,
Dn. Iohanni Adolpho Kielmann,
ICto Eximio, Com. pal. Cæs. et sac. Rom. Imperij
Exempto, Sereniss. Celsitud. Consiliario Intimo, Cancellario
aulico, ac præsidi supremi dicasterij Göttorpiensis,
præfectoqꝫ Barmstedensi, patrono suo Observando,
Tabulam hanc Geographicam Officiosissime dedicat
author Iohannes Meier. Husumens:
Regæ. Maits. Mathematicg.
Matthias und Clauß Petersen,
Goldtschmide, gebr. Hus. sculps.
GELTING
NEW HERDE
STRUCKS HERDE
SLYES HERDE
SWAN
BÆRG
HERDE
KROP HERDE
DANISCHEN WOLDT
De Ost See
Sleswigh
Gottorp
Eckernförde

non tam eorum piscium qui in fluviis, quam qui in mari se sustentant: commodum & donum hoc subministrat illi dictus sinus Slia, in quem multi se undique torrentes & amnes effundunt, inter quos præcipuus est Oxbeca. Longitudo hujus sinus à Gottorpio usque ad ejus ostium, sive ad mare Balthicum quinque milliaria conficit. Fuit olim profundus & multis majoribus navibus frequentatus, unde urbi non exiguum ex mercatura emolumentum redundabat; sed postquam Margaretha Sambiria Daniæ Regina ingentibus saxis ostium sinus obturavit, urbs magnum detrimentum passa est: quamvis enim amoti sint lapides, tanta equidem arenæ & limi eo congesta colluvies est, ut majoribus nunc navibus in sinum accessus negetur; & nisi quotannis purgaretur, periculum incurreret, ne penitus obturaretur. Vrbs hodie immunita est, ac mœnibus caret nisi quod sinum versus inter urbem & suburbium muri veteris aliquod fragmentum adhuc superest. Vnum tantum & Cathedrale templum in urbe conspicitur, opus eximiæ structuræ, sed cui parva valde turris imposita: alterum S. Michaelis templum in suburbio est. In Ecclesia Cathedrali multa monumenta sunt, imprimis magnificum illud Ducum Slesvicensium, in quo multi Daniæ Reges conditi sunt.

Episcopatus Slesvicensis. Episcopatus autem Slesvicensis, qui & aliud ab Episcoporum sede Schwabsted nomen habet, nunc ab Archidiacono & octo Canonicis administratur, qui maxime Equestris ordinis sunt & sæculares. Fuit hic Episcopatus quoad divitias reliquis Daniæ Episcopatibus semper longè inferior, propterea quod Episcopi sæpius Regum Daniæ partes contra Slesvicenses Duces foverint, qui ideo multa iis damna intulerunt.

Episcoporum series. Prima hujus Episcopatus fundamenta jecit Vnno Archiepiscopus Hamburgensis, qui *Ericum* egregium Concionatorem in primum Episcopum ordinavit. Hunc Concionatorem an Episcopum nominaveris, merito dubites; nec certum est quamdiu huic muneri vacaverit. Converso autem Haraldo Daniæ Rege ad fidem Christianam, fundavit Imperator Otho Episcopatum Slesvicensem, eique *Marconem* Cancellarium suum præposuit, jam antea ordinatum Episcopum Oldenburgensem, ut, si Dani forte vel Vandali à recenter recepta religione desciscerent, tutus Episcopo recessus pateret.

Cum autem Dani sub Haraldo Rege in fide constantes essent, fatis functo Marconi suffectus *Haraldus* sive *Haricus*, anno 964. & Episcopatus Alteburgensis & Schlesvicensis iterum separati sunt. Successit huic

Volckbertus, ad annum 974. sub hoc Præsule Dani à Religione Christiana desciverunt, Rege Suenone proprium patrem Haraldum, quod Christianus esset, in exilium pellente: in quo miserè periit ex vulnere, quod in prælio contra filium acceperat.

Poppo, eximius concionator anno 984 ad Episcopatum pervenit, postquam Verbum Divinum aliquot annos in Dania & Schlesvicensi Ducatu administrasset. Obiit hic Poppo anno 1029, multo jam senio gravis.

Esico.

Rudolfus I, ab Archiepiscopo Beselino, cujus Capellanus fuerat, in Episcopum Slesvicensem ordinatus. Decessit anno 1060 vel 1062.

Sivardus, quem Rex Sueno in Anglia ordinari jussit, cùm Adelberto Archiepiscopo Hamburgensi iratus esset, quod charissimam sibi uxorem Bonam dimittere cogeretur, ita censente Adelberto, propterea quod Regina Regi sanguine nimis juncta esset.

Rudolphus, præsul optimus & vitæ integerrimæ.

Sivardus II.

Gunnerus, natione Danus, à primo Archiepiscopo Lundensi Anschero ordinatus anno 1106 aut circiter.

Alberus, Danus.

Ricco sive *Occa*, natione itidem Danus, qui Regi Erico Emundo contra Regem Mogonem fidelem operam navavit; unde Rex, ut ei gratiam aliquam rependeret, summopere annixus est ut mortuo Anschero Archiepiscopo Lundensi succederet; verum Scani Eskillum Rotschildanum Episcopum defuncti Anscheri agnatum Ricconi præferentes, tantum effecere, ut post occisum Vrnhövedæ Ericum, Rex Ericus Lam illorum voluntati consentiret, licet ingenti favore Ricconem prosequeretur, quem in Eskilli vacuum Episcopatum sublegit.

Esbernus, sub hoc Gibellini & Guelphi, perniciosissima partium nomina, ingentes in Dania motus excivere; Rege Woldemaro cum unico Episcopo Rodschildano, Cæsaris; Archiepiscopo verò cum reliquis, inter quos & Esbernus, Pontificis Alexandri partibus accedente. Verum præfectus Regius Slesvicensis Nicolaus Rasi filius Esbernum adortus, sedem Episcopalem vetus Gottorpium diruit; unde cum ejus milites bona Episcopi diriperent, pugna inter Episcopi præfectum & Nicolaum Rasi exorta, in qua præfectus Regius occubuit. Qua de causa Esbernus in exilium profectus, in Saxonia contracto ex dolore morbo decessit. Audita ejus morte

Ricco, qui Episcopatu suo Roschildensi per Archiepiscopum dejectus erat, adjuvante Woldemaro & victore Pontifice, Slesvicensem Episcopatum recuperavit. Obiit Ricco anno 1163 vel 1167.

Fridericus I, vir doctus pariter & fortis, imo plus quam Episcopus. Profectus est cum Rege Woldemaro I, & Archiepiscopo Absalone in Rugiam, ut incolas Christianâ religione imbueret: ad quos cum redire vellet, in itinere exorta tempestate periit.

Woldemarus Canuti, anno 1182: hic multa à Rege Canuto privilegia Episcopatui impetravit; verum cum eundem regno spoliare conaretur, captus & in vincula conjectus est.

Nicolaus I, vir pius & pacificus, qui Woldemarum sæpius invisit, ejusque libertatem multis precibus promovit.

Tucco, natione Danus, sub hoc Præsule Franciscani & Dominicani in Slesvicensi Ducatu cœnobia exstruere cœperunt.

Ioannes I, adfuit promulgationi Libri legum Iuticarum, anno 1240.

Eskillus, Danus, anno 1260 ad Episcopatum pervenit. Orto inter Danorum Regem Christopho-

ſtophorum I, & Abelis filios bello, de quo ſupra latius, à Comitibus Holſatiæ captus eſt, & Segebergæ cuſtoditus; reconciliatis autem partibus dimiſſus paulo poſt moritur, anno 1257.

Nicolaus II, qui cum Danorum Regi Erico Glipping ſuppetias ferret, cum eodem in prælio captus eſt: è qua captivitate ſtratagemate elapſus, paulo poſt à quodam nobili, pace jam facta noctu obruitur, atque detinetur uſque dum mille marcas argenti in lytrum promitteret.

Bundo, anno 1266 ad Epiſcopalem dignitatem evectus.

Iacobus, anno 1281.

Bartholdus, anno 1288, Hafniæ natus; Epiſcopatum fideliter adminiſtravit, & multis reditibus auxit.

Iohannes II, anno 1309 ex reſignatione Bartholdi Epiſcopatum adeptus; obiit anno 1331.

Heliebertus, electus anno 1332.

Nicolaus III, *Bruen*, anno 1350 ad Epiſcopatum pervenit, cui duodecim annis præfuit.

Henricus I.

Iohannes III *Scondelef*, anno 1372 à Pontifice intruſus eſt. Verum cum hic Epiſcopus ad Regem tunc temporis Duci Sleſvicenſi bellum inferentem tranſiviſſet, noctu à quibuſdam nobilibus captus, multiſque vulneribus deformatus, atque per totum annum huc illuc per Epiſcopatum circumductus eſt, donec 700 marcis ſe redimeret. Obiit anno 1421, poſtquam 49 annos Epiſcopatui præfuiſſet.

Henricus II *von dem See*; hic unus & primarius ex illis fuit, qui prædeceſſorem ſuum ita afflixere; unde Archiepiſcopi Lundenſis odium incurrit, qui diu eum confirmare noluit. Tandem reconciliatus & ab Archiepiſcopo confirmatus eſt, ſed cum biennium ſediſſet, Epiſcopatum reſignavit.

Nicolaus IV *Wulff*, anno 1429 ad Epiſcopatum promotus, bene eundem adminiſtravit, multiſque reditibus auxit: quem tandem reſignavit, cum præfuiſſet annos 45.

Helricus von der Wiſch; hic multa debita contraxit, nec annuam, quam promiſerat prædeceſſori, penſionem bona fide ſolvit. Obiit anno 1488.

Eggardus Düerkoep; à Papa Innocentio ordinatus, cum interim Capitulares alium Emualdum elegiſſent, qui juri ſuo renunciare coactus eſt. Verum inviſum ſe ſentiens Eggardus, poſtquam unum tantum annum præfuiſſet, Romam abiit; ubi anno 1499 deceſſit.

Ioannes à Caſtro, Cardinalis & Epiſcopus antea Agrigentinus, ab Alexandro VI Papa ad occupandam ſedem Epiſcopalem miſſus, offendit ibidem Nobilem Holſatum Dethlevum Pogwiſch, quem Capitulares elegerant; quocum ita convenit, ut ipſe Dethlevo Epiſcopatum reſignaret, Dethlevus contra trecentos Ioanni annuos ducatos concederet.

Dethlevus Pogwiſch, obiit anno 1507, quo

Godeſchalcus ab Ahlfelde, unanimi Capitularium ſententia ad Epiſcopatum pervenit. Vſus eſt eo Chriſtianus Daniæ Rex, ad impetrandum à Carolo Quinto ſororis Iſabellæ conjugium. Sub hoc Præſule in Religione mutatum eſt. Obiit anno 1541.

Tilemannus de Huſſen, primus Lutheranus Epiſcopus, obiit anno 1551. Aſſumpto prius in Coadjutorem Friderico Sleſvicenſi Duce.

Fredericus II, filius Adolphi, Epiſcopus Sleſvicenſis & Hildeshemienſis, Coadjutor Bremenſis, obiit anno 1556.

Adolphus, Regens Dux Sleſvicenſis, exceſſit anno 1586. Poſt Adolphi mortem occupavit Rex Fridericus II Sleſvicenſem Epiſcopatum, conſtituto in Epiſcopi locum Præfecto, uſque ad annum 1602, quo

Vlricus, Dux Sleſvicenſis, Friderici Regis alter filius, Epiſcopatum obtinuit: Obiit anno 1624.

2. *Circulus Struksdorpienſis, Strucksdorpharde.*


Eſt hic circulus ſatis grandis, in quatuor mill. long. excurrens: ſolum habet fertile, modice montoſum, multiſque rivis irriguum. Sunt quoque multi in hoc circulo lacus, qui magnam piſcium copiam incolis ſuppeditant.

3. *Circulus Schlienſis, Schlyesharde.*

Schlienſis circulus longo & amœno ad Schliam tractu protenſus, omni frugum genere abundat: non minorem halecum aliorumque piſcium copiam Schliæ ſinu ſubminiſtrante, quos incolæ in vicina loca multo cum lucro diſtrahunt. Atque hi tres circuli priori tabula ob oculos ponuntur; quatuor reliqui ſequuntur in meridionalis Gottorpii tabula.

ACCVRATISSIMA SLIÆ FLVMINIS DESCRIPTIO.





Schley Münde


OST SEE

Christian Lorenzen Rothgieser sculpsit

CLAVIS
F. Furstl. OL. Olpenis
O. Ohe. B. Buckhagener
R. Roste. E. Espenis
D. Dohmherrn. G. Gere
Anweisung dr. Litern

Tab.	Lit.	Heringzeunen	Clau.	Tab.	Lit.	Heringzeunen	Clau.
I	a, e	Der Furstl Mündr Zaun Und Rabuler Zaun	F	XII	p	Grose. Und kl. Napp. Z. Der Krabben Zaun	R
II	b	Öher Olpenißer Und Buckhag Zäune	O OL B		q	Penzin Und Arenkuhler Zaun	F
	c	Der Nunßer fall Zaun	OL			Der Kaßelburer Zaun	R
III	d	Steinwicker Zaun	B	XIII	r	Espenißer Zaun	E
IV	f	Rabuler fall Und	B	XIV	s	Todtmarcker Zaun	R
V	g	fluth Zaun		XV	t	Der Nord Und Suder Grordersburer Zaun	D
VI	h	Magenßer fallzaun	F	XVI	n	Ruckenißer Zaun	G
VII	i	Drewes fluthzaun				Gereburer Zaun	G
VIII	l	Kohbus fallzaun	R			Windemarcker	OL
IX	m	Drewes fallzaun	E	XVII	x	Müggen Und	
X	n	Der Papen Zaun	R			Strumpfen Zäune	D
XI	o	Ellenbergr Zaun	E				

49



GOTTORPII PARS MERIDIONALIS.

4. *Circulus Bergensis sive Hutterensis, Bergharde oder Hutterharde.*



Q Vod fertilitatem solive bonitatem attinet, circulus hic Angliâ longe inferior est; frequentibus enim sylvis, montibus & vallibus, quamquam non infœcundis obsidetur. Verum non exiguum contra incolæ emolumentum percipiunt è duobus lacubus, quorum alter in unum milliare longit. & tres mill. quartas lat. excurrit; alter 400 virgas longus, & 250 latus est.

Spiritualis Episcopi jurisdictio non per totum se Ducatum extendebat; sed quinque circuli circa Ripam, ut & Præpositura Lohm-Closter, Ripensis Episcopi inspectioni subjiciebantur.

Das Dänenwerk. Est in hoc circulo vallum ingens & in multa passuum millia porrectum, **das Dänenwerk** appellatum, quod Gothofredus Danorum Rex in finium suorum tutelam construxisse fertur tempore Caroli Magni, qui cum Vandalos & Saxones præliis variis fudisset & tributarios fecisset, Rex Gothofredus animadvertens se terrâ Carolo Magno imparem, quamvis maritimis viribus superior foret, hoc vallum suæ defensioni exstruere occepit, Saxoniam ita à Regno suo dividens. Ex illo vallo supersunt adhuc aliqua fragmenta, quæ ab injuria temporis, hostium & ipsorum incolarum integra manserunt.

Eckelenfohrde. Iacet etiam in Bergensi circulo urbs Eckelenfohrde, ad largum maris Balthici sinum sita, Slesvico & Chilonio tria, Hamburgo & Lubeca 15, Flensburgo quinque, Rendesburgo duo & medium milliaria distans. Habet Occidentem versus lacum *Eckelenfohrder Nor* dictum, piscibus abundantissimum. Fuit olim opulenta & mercaturæ dedita; nunc vero attritis bellorum & temporis injuria, incolarum viribus valde defecit. Coquitur hic cerevisia apprime dulcis, quam incolæ æstate in vicinas oras devehunt: nomen huic cerevisiæ est *Cacabellæ*, quod Raymundus Cardinalis in Legatione sua hic divertens, propter potentiam purgativam illi indidit. Regimen administratur à duobus Consulibus & Senatu, qui juxta Ius Slesvicense pronunciant.

5. *Cropensis Circulus, Kopharde.*

CRopensis Circulus duo circiter milliaria in longitudine, & sesquimilliare in lat. complectens, ingentibus ericetis horret: & si qui sunt agri fertiles, fagopyrum tantum aut siliginem, raro hordeum producunt. Est ante pagum Croppen ingens ericosa planities, frequentibus præliis, nec non latrociniis famosa; unde proverbium, **du bist Kropperbusch noch nicht vorüber**/ id est, *necdum erucam Kroppensem totam transivisti*, in eos dictum, qui periculis nondum penitus defuncti sunt. Fuerunt in hoc circulo duo modici lacus, quos Hollandi, deductis alioversum quibusdam rivis, qui in hos lacus exonerabant, exsiccaverunt.

6. *Honensis Circulus, Honerharde.*


EST hic circulus mediocris tantum fertilitatis; producente terra siliginem & fagopyrum bonæ notæ: cingitur ab uno latere Eidora fluvio; à Septentrione vero Sorgæ; longitudo ejus cum latitudine æqualis duo milliaria constituit. Invenitur quoque in hoc circulo modica ligni copia.

7. *Regiuncula Stapelholm.*

Stapelholm. ACcensetur præfecturæ Gottorpiensi regiuncula Stapelholm inter Eidoram & Treenam sita; quæ Orientem versus Krop & Honer-harde circulis Gottorpiensibus; Ditmarsia vero ad Meridiem, Occidentem versus Eyderstadia, ac versus Septentrionem præfecturis Schwabstede, & Husum terminatur. Quoad longitudinem duo milliaria æquat, latitudine ad latus Orientale eadem, quæ tamen Occidentem versus longo tractu decrescit, & tres tantum milliaris quartas constituit. Incolæ nec Saxones nec Frisii sunt, sed veterum Anglorum reliquiæ videntur, qui in hisce oris sedes suas habebant: lingua nihilominus eadem cum vicinis, nempe Saxonica, utuntur.


Frederickstadt. Est in hac regiuncula Stapelholm urbs *Fridericopolis*, seu *Friedrikstadt*, quæ certe silentio præteriri non debet. Dedere eam huic Ducatui Hollandi ob dissidia in religione exules. Hi enim huc tanquam ad certum suæ quieti portum appellentes, indulgente Frederico Holsatiæ & Slesvici Duce, urbem ædificarunt, eidem ex Duce nomen indentes. Longe vero cæteris hæc urbs nitidior est, utpote abs Hollandis condita. Quamvis autem post Principis Mauritii excessum multi domum redierint, damnum hoc vicini accolæ compensavere, quibus & proprium templum concessum est, ubi Lutherana religio docetur. Sita est urbs ad confluentem Treenæ & Eidoræ fluviorum, qui commodum urbi portum efficiunt, & majorum navium capacem. Fluvium Treenam, antea per Frisiorum Kogam fluentem, ductis novis fossis Hollandi in urbem circumegerunt, nec non aggeribus undequaque urbem muniverunt, ita ut anno 1634 exitiosum multis diluvium urbi nihil nocuerit. Nuperis Suecorum bellis nulla memorabili clade affecta est, parcentibus hinc inde hostibus urbi, his ut Hollandorum, illis ut suæ.


PRÆFECTVRÆ
GOTTORPIENSIS
PARS AVSTRALIS.
Viro Nobili amplissimo & prudentissimo
Dn. Iohanni Hekelauer. Præfecturæ
Gottorpiensis. Inspectori et Serenissimæ
Celsitudinis Structurarum Directori
Generali Tabulam hanc Geographicam
Officiosè dedicat author
Iohannes Meier. Husumens.
Regæ Maiis. Mathematicy.
Anno 1649.
SUDERGOES
ARENS
ANGELN
SWAN
SEN
BÆRG
HERDE
CROPP
HERDE
HONER
HERDE
STAPEL
DITH
MARSIÆ PARS.
HOLM
PARS.
HOLSATIÆ
DANISCHEN
WOLT.
Slefwigh
Gottorp
Eckernfoerde
Rendtborg
Suderstapell
Cropp
Milliare Germanicum.
Virgæ.
Matthis und Clauß Peters
Goldtschmide und gbr. sculp. Husumens.
Grundtriß von Fridrichstadt Anno 1649.
15 Ruten 60
Friesenkoeg
Sebull
Grundtriß der Stadt Eckernföerde
D. Schritten m.
300 900
Septentrio
Meridies
Ocidens
Oriens
Schiff havon



ANGLEN, ET SCHWANTZEN.

ANGLEN.



Entionem hic sui terra *Angilia* seu *Anglia*, Germanice *Anglen*, fieri cupit. Hæc inter Flensburgum & Slesvicum jacens duos circulos comprehendit, Strukspdorpharde & Schlies-harde, ad præfecturam Gottorpiensem pertinentes, item duos alios, Husbyharde & Newharde Flensburgensis præfecturæ, maximam Vgelhardæ partem, quatuor nempe parochias, *Overſee*, *Groſſen Solt*, *Kleinen Solt*, & *Suverſtede*, partem Principatus Luxburgensis, ac tandem totam Præposituram Geltingen, cum quibusdam nobilium prædiis. Ex hac tam parva regione Angili seu Angli isti provenerunt, qui celeberrimum Britanniæ regnum penitus armis occupantes, æternam sui memoriam posteris, & illi nomen suum reliquere. Factum id anno Christi 400 circiter, quum deficiente Romani Imperii splendore pariter & magnitudine, nudatisque Romano præsidio Britanniis, quo tutiores in Barbarorum incursum redderentur Galliæ, Pictones antiqua Britanniæ gens, & Romano nomini inimica, reliquos Britannos adorta, illos de auxilio circumspicere coëgit. Brittanni itaque evocatis in armorum societatem Anglis & Saxonibus, profligatisque Pictonibus, ab iis tandem, quos in suum auxilium asciverant, in servitutem redacti sunt, non deficiente justo prætextu ex armorum societate desumpto, ut sæpissime in tali re fieri solet.

Exporrigitur Anglia in quinque milliaria longitudinis, & 4 mill. latitudinis; inter duas Fordas autem à Cappel usque ad Geltingen duo tantum mill. latitudo efficit.

SCHWANTZEN.

Regiuncula *Schwantzen*, quæ à Slesvico usque ad Eckerenforde se extendit, communiter Angliæ conjungi solet. Nomen illi corruptum ex *Schwavensheim*, id est, Suevorum patria, quos hic diu commoratos fuisse certum est. Longitudo hujus regiunculæ ad tria milliaria, latitudo ad sesquimilliare excurrit. Circumdatur ad Occidentem & Septentrionem Slia, ad Orientem mari Balthico, & à Meridie partim Eckerefordensi sinu, partim circulo Bergharde, in quo Danorum valli non exigua pars est. Parvula quidem est, sed omnium rerum valde ferax, multis amnibus & torrentibus humectata, in quibus non exigua piscium copia. Possidet hanc fere totam Nobilitas Slesvicensis; Dux tantum Slesvicensis duodecim in ea agri jugera habet. Sunt in Schwantzen quinque parochiæ, Schwanskirch, Wabskirch, Sieseby, Rieseby & Borby, cum sibi adjunctis Nobilium prædiis.

Notarum explicatio.

Templa — Prædia

Nobilium ædes — Mola aquaria

Pagi — Ædes

Milliare Germanicum.

1 2 3 4 min

Virgæ 480 960 1440 1920

Viris Generosis Strenuis ac splendidis,
Dn. Heinrico Brockdorff,
Domino in Hemmelmarck, Sereniß. ac Celsiß.
Ducis Slesvici & Holsatiæ Tribuno militum fortissimo,
et
Dn. Nicolao Von Allfeldt,
Hæreditario in Geltingen,
Tabulam hanc Geographicam per Officiose
dedicat author,
Iohannes Meier. Husan.
Reg. Mai. Mathematicq.

MARIS BALTICI PARS Vulgo De Oost See

Flensborger Foerd

Eckrenforder Wyck

LUNDTOFT HERDE

SUNDE WITH

WIES HERDE

HUSB HERDE

NE QUERUM HERDE

VOGEL HERDE

STRUCKS DORP HERDE

IFFES HERDE

ARENS HARDE

AMPT HUSUM

KROP HERDE


BERG

SWAN SEN

DANISCHE WOLDT


Matthis und Clauß Petersen Goldtschmide und gebr: Hus. Cimb. sculps.

51.





PRÆFECTVRA HVSVMENSIS.



Cingitur Husumensis præfectura quoad Orientem duobus Gottorpiensis præfecturæ circulis, Arens- & Kropharde; ad Meridiem Stapelholmia, Schwabstede, Eyderstede & Lundenberg; versus Occidentem Hevera & Nordstrand, & ad Septentrionem Nordgosia circulo Flensburgensi: longitudo ejus est trium, latitudo vero duorum milliarium. Non multi abhinc anni sunt, quod Præfectura fuerit, sed tantum duos circulos Sondergosharde & Lundenbergerharde, & Præposituram Hadtstede complexa, partem præfecturæ Gottorpiensis sub uno Sondergosiæ nomine constituerit, & cum vico Husum ab uno circuli Præposito administrata fuerit: quemadmodum etiam nunc vicus Bredtstede & Nordgoesharde, uni præposito reguntur. Cum vero hæc regio eximia & valde frugifera, vicusque Husumensis circiter ducentos annos amplus & populosus esset, præpositus circuli ejusdem, etiam post Husumi urbis à circulo separationem, Præfecto æquabatur, quamquam solum Præpositi, (*Hardesvogt*) non vero Præfecti seu *Amptsverwalter* titulum usurparet usque ad annum 1639, quo Dux Slesvicensis hunc circulum in Præfecturam mutavit, eidem Præfectum Marcum Lüders dedit; anno vero 1642 huic præfecturæ Scribam præposuit, concessa suprema inspectione Ludero Dessin Ducissæ Aulæ-præfecto. Est autem præfectura hæc non adeo ampla, sed constat 190 tantum jugeribus: reditus tamen pro ejus exiguitate modici sunt. Quod ipsam autem urbem Husumum attinet, sita est illa percommodo ad fluvium Ow loco, proxime maritimas regiones, qui fluvius licet parvus sit, & altero abhinc milliari apud pagum Treya fontem habeat, affluentibus paucis amnibus seu torrentibus auctus, & per lacum **der Muhlen-teich** dictum, quartam circiter milliaris partem fluens, commodum & profundum in ejus ore ante urbem portum efficit, qui mediocria navigia admittit. Adeo autem grandis hic ex maritimis regionibus armentorum & pecorum copia est, ut magna eorum quantitas Slesvicum, Gottorpium, aliasque in urbes evehatur. Ostrea quoque multa ante urbem capiuntur, quæ aliis quoque urbibus dein communicantur. Singulis septimanis forum in urbe boarium celebratur, in quo magnus numerus boum, equorum, oviumque distrahitur. De vetustate sua urbs hæc gloriari nequit, cujus ad annum 1410 prima in annalibus mentio, quo tempore Regis Erici milites, sub Magno Munck Husumum & Bredstede aliosque Frisonum pagos diripuerunt. Exinde subito crescens magnitudine pariter & divitiis, anno 1473 gravi ruinæ se intricavit, cum Gerardum Comitem Alteburgensem, Regis Christiani I fratrem, Dominum adsciscere: quia fratre continuò in exilium acto parum abfuit, quin Rex vicum hunc flammis deleret, instigantibus ad id multum Hamburgensibus, qui tunc temporis modò Husumi incrementis invidebant. Tandem magno argenti pondere, domuumque quarundam direptione ira regis sedata est intercedentibus Petro von Ahlefeldt, Toparcha Gottorpiensi, & Teto Fedderkens Præposito in Eyderstede. Vltimis quoque bellis Suecicis non exiguas clades passa est incursionibus hostium semper aperta. Est aliàs hîc arx Ducalis; quam Dux Adolphus anno 1582 eo, quo olim Cœnobium fuerat, loco è fundamentis exstruxit: in hac Ducis Ioannis Adolphi vidua, Augusta, Friderici II, Daniæ, Norwegiæ, &c. Regis filia, plusquam viginti annos in viduitate exegit.

Husum.

Primus Husumum in urbium numerum & ordinem adscivit Dux Ioannes Adolphus, anno 1603, qui duos è civibus delegit, ut sub Consulum nomine urbem regerent, acceptis in laboris & regiminis consortium octo Senatoribus. Ejusdem autem sæculi anno octavo novum jus urbicum Dux typis vulgavit, juxta quod omnes quæstiones deciderent. Procedit autem hinc Appellatio ad Cameram Gottorpiensem, unde sententiæ condemnatoriæ ad exsequendum Husumensi Magistratui remittuntur. E contra Dux Ioannes Adolphus noluit, ut in Comitiis seu conventibus publicis urbs Husum votum aut locum haberet. Fuit hic olim monetaria Ducalis officina, quæ deinde Gottorpium translata est. Parochialis Ecclesia modica est, præter quam sacellum in arce, & parvum templum in Xenodochio frequentantur.

CIRCVLVS LVNDENBERG, & PRÆFECTVRA SCHWABSTEDE.

Hæc Regiuncula tribus antea Parochiis, Lundenberg, Simensberg & Padeleck constans, patrum nostrorum memoria pars Husumensis adhuc circuli erat, olim contigua Norstrandiæ & ejusdem pars. Circuitus hujus regiunculæ exiguus est, & in 50 solummodo jugera extensus; quæ tamen mediocres unita reditus affert. Ingenti hanc clade Oceanus anno 1634 afflixit, terram omnem inundans multisque voraginibus lacerans, quarum uni obstruendæ magna vis argenti, magnusque incolarum labor impensus est. Sita est etiam in distri-

PRÆFECTVRA HVSVMENSIS LVNDERBERGH NORDSTRAND et NORDGOESHERDE.

Milliare Germanicum. 480. 1 2 3 4 min. 1920 Virgæ

Viro Generoso, Strenuo ac splendido
Dn. Ludero Dessien,
Sereniss. Celsit. Conjugis Serenissimæ, Aulæ magistro et
præfecturæ Husumanæ directori, Hæreditario
in Daschow & Suderholtz,
et
Nobili amplissimo ac prudentissimo Viro
Dn. Iohanni Wittemake,
Centurioni Regio et Nomarchæ in Norgoesherde,
fautoribus suis Colendis, Tabulam hanc Geographicam
perofficiosè inscribit author, Iohannes Mejerus
Husumens. Regiæ Maj.tis Mathematicus.
Anno 1649.

Matthias Und Clauß Petersen
G.S. gebr.
Husumenß. sculps.

Small deep
Hever stroem
Nord Balig
Quag Sandt
BELTRING HERDE
EDOMS HERDE
PEL WORM HERDE
NORT GOES HERDE
AMPT HVSVM
SVDER GOES HERDE
VOGEL HERDE
WIES HERDE
KAAR HERDE
EY DER STE DIÆ PARS.
Suder Marsch
Husum
Friderich stadt
Hooge
Süd Fall
STAPELHOLM

ctu circuli Sondergoesharde sedes Episcopi Slesvicensis *Schwabstede*, vilis certe & exigua respectu talis Præsulis. Post obitum vero Episcopi Godeschalci nullus fixam seu continuam ex sequentibus Episcopis sedem hic habuit; nomen illi à Suevis Anglis ortum, sunt qui volunt, quasi dicas *Schwabenstede*, quos in his & vicinis oris habitasse, supra aliquoties diximus. Quomodo vero hic locus ad Episcopos Slesvicenses pervenerit, in Gottorpii descriptione superius explicavimus. Anno 1395 Iuniores Comites Holsatiæ, Dux Gerardus Slesvicensis & Comes Albertus Arcem hanc Episcopalem, instigante Præposito Slesvicensi Henrico *vom See*, obsidione cinxerunt, & tandem occuparunt, nulla justa de caussa, tantum ut Episcopum magna argenti summa emungerent, quod & factum. Paulo tamen post tradidit Episcopus arcem Reginæ Margarethæ pignoris loco, pro trecentis marcis Lubecensibus annuis, quas ei Regina singulis annis Lubecam submisit; imposito arci præfecto Nicolao Everardi filio cum præsidio, qui fervente dein inter Reginam & Ducem Slesvicensem bello, gravibus Eiderstadienses & vicinos accolas incursionibus fatigavit; quare vidua Ducissa ejusque filii minorennes anno 1411 arcem Schwabstede obsideri jusserunt, carentibus tamdiu Episcopis sua sede usque ad annum 1430, quo Nicolaus Wulff, Episcopus eam ab Henrico Meinstorff redemit.

INSVLA NORDSTRANDE.

Vix hæc insula recte describi potest, adeo exigua nunc est & contracta: quippe ingenti illo, anni 1634, diluvio adeo eam sibi vindicavit Oceanus, ut vix aliqua ejus pars præter circulum Pillworm, agriculturæ pateat. Sita est ad latus trium circulorum Nordgosharde, Südergosharde & Lundenbergerharde. Pro vero habetur non hanc ut nunc ita & olim insulam fuisse, sed continenti annexam, ubi nunc Lundenberg, Simensberg & Padeleck, & aliquatenus quoque circulis Südergosharde & Nordgosharde conjunctam, cujus indicia adhuc apparent, quod recedente maris æstu illinc transitus pediti in insulam pateat. Constituerat Dux Ioannes ad annum 1569 aggere firmo insulam continenti adjungere, collectis in hoc opus pecuniis: quid vero ipsum retinuerit, quo minus rem auspicatus fuerit, ignoratur. Conficiebat ante dictum diluvium longitudo hujus insulæ tria milliaria, latitudo tantum unum: continebat ipsa insula 21 vel 22 parochias, & octo millia hominum, circumcirca aggeribus munita, quorum circuitus 19222 virgas arithmeticas æquabat: jugera vero agri octingenta habere æstimabatur. Agri fertilitas tanta, ut vix credibile videatur, ex uno modio tritici seu hordei 18, 20, 22 imo 24 modiis recollectis: nec minor boum, oviumque & aliorum domesticorum animantium quantitas, quæ pinguedine reliqua in vicinia longe superabant. Ita quidem ante diluvium illud insula se habebat, quod adeo calamitosum fuit, ut plusquam sex millia hominum diversæ ætatis & sexus cum novem Concionatoribus perierint, vix mille quingentis huic malo Divina gratia subtractis: ex domesticis animantibus ultra quinquaginta millia maris violentia absorpta sunt, absque inæstimabili domuum, ædium, mobilium, fructuumque jactura; soli Pilwormenses, editiorem oram tenentes, ingenio cujusdam Hollandi servati sunt, qui vere iis salutaris angelus fuit, aggeribus structis eos à vi maris muniens.

Præ-

Præfectura ſeu Regio

EYDERSTEDE, EVERSCHOP & VTHOLM.




Yderſtadienſis Præfectura, alio quoque nomine *Everſchop* & *Vtholm* dicta, ſita eſt inter duos fluvios Eidoram & Heveram. Terminatur ad Septentrionem trans Heveram inſula Nordſtrand, ad Meridiem Ditmarſia, intercedente Eidora, ad Orientem Stapelholmia & Schwabſtede, & tandem ad Occidentem mari Cimbrico. Longitudinem habet ab Occidente Orientem verſus quatuor milliarium; latitudo ejus milliare vel ſeſquimilliare, circuitus autem quatuordecim milliaria efficit. Dividitur hodie in Occidentalem & Orientalem: olim autem ternæ regiunculæ fuerunt, Eyderſtede, Everſchop & Vhtholm, quarum duæ priores à ſitu ad cognomina flumina appellationem traxere. Fertilitas hujus regionis eximia eſt, quæ non tantum omnium frugum ferax eſt, ſed & omnis generis leguminum, ac fructuum. Nec minor olerum copia, quæ ingentem in magnitudinem excreſcunt. Equos generoſos alentes incolæ, eorum non exiguam multitudinem in Gallias transvehunt, ubi cariſſime venduntur. Non tamen ipſa equos regio fert, contra expreſſe mandatum eſt incolis, ne equas alant; vitandi vitæ diſcriminis, quod caballis utentes & per præaltos aggeres equitantes viatores incurrerent: cum facile fieri poſſet, ut caballi equarum deſiderio tacti, cum ſeſſoribus ſe aggeribus dejicerent. Ovium quoque mediocris in hac præfectura copia eſt, quæ multum lactis & lanæ præbent. Præcipuum tamen incolarum ſtudium in agricultura, alendis vaccis, conficiendis caſeis & butyro conſiſtit. Eſt & aliquis albi mellis proventus, quamvis indigenæ apium curam, utpote nimis moleſtam, aſpernentur. Mirum advenis videtur hanc adeo parvam regionem non ſolum ſibi, quæ ob incolarum frequentiam & domorum contiguitatem unus tantum pagus videtur; ſed & longinquis regionibus omnia, quæ ad vitam ſuſtentandam ſunt, adeo liberaliter ſuppeditare. Vnum tantum illi ignis nutrimentum deficit, quod à Tetenhauſen ſeu Rendesburgo Tonningam, & inde huc advehitur. Hinc nulla in Eyderſtadia fera invenitur, exceptis leporibus, & ſi quæ talis alia; avium vero affatim. Piſcium tantum habet, quantum incolis ſufficit, non audentibus illis piſcinas ſuas multo piſce ditare, quod à marina exundatione tuti non ſint, quæ piſces fluviatiles extemplo enecat. Multis foſſis diviſa eſt regio, quibus incolæ merces ſuas devehunt, majoribuſque navibus adnavigant, Hollandorum in eo induſtriam æmulati. Incolunt hanc regionem nulli nobiles, ſed ſoli tantum agricolæ, qui præcipue Friſicæ originis ſunt, quamquam paſſim Saxonicam linguam uſurpent. Præeſt illis Præfectus à Duce conſtitutus, quem incolæ ſua lingua, corrupte pro *Statthalter*, *Staller* appellant; huic adjuncti ſunt ſexdecim aſſeſſores cum Scriba: Hic Magiſtratus omnimodam juriſdictionem tenet, à qua ad Ducale Slesvicenſe Iudicium quaſi ad forum ultimum appellatur. Ius quo utuntur ex Ditmarſico deſumptum eſt, intermixtis tantum veteribus aliquot Friſicis conſtitutionibus.

Vrbes Tonningen & Gardingen.

Sita eſt in Eyderſtadia urbs Tonninga, ad Eidoram fluvium, uno tantum Fridericopoli & Gardinga, duobus vero Huſumo mill. diſtans. Adepta eſt urbis privilegium anno 1589 una cum urbe Gardingen, quod decedente interea Duce Philippo, Ioannes Adolphus anno 1590 confirmavit, & ampliavit, necdum tamen illis conceſſo mero regimine, ſed criminalium deciſione Eiderſtadienſi Iudicio relicta, uſque ad annum 1648, quo Dux Fridericus hiſce urbibus jus gladii aliaque jura conceſſit, ita ut ab Eyderſtadienſi Iudicio ſeparatæ, Ducalem Cameram Gottorpienſem in forum ſecundæ & ultimæ inſtantiæ acquiſiverint. Olim exigua fuit Tonninga, nunc autem munimentis ad hodiernam normam aucta, multiſque novis ædificiis exornata, nulli ex reliquis cedit: huc accedit quod arcem habeat ſatis pulchram, quamvis non adeo amplam. Cives ex Friſiis, Saxonibus, Danis & Hollandis mixti ſunt.

Fuit olim in parochia Weſterhever Burgum quoddam ſive arx, *Wogensmanneburg* dicta, ad annum Chriſti 1370, è qua piratæ quidam incolas Eiderſtadenſes terra marique infeſtabant, aliquot virgines rapiebant, eaſque ſervis ſuis in conjugium dabant. Quibus malis incolæ irritati, arcem ſub præfecto ſuo Ove Hering obſidione cinxerunt, & expugnare aggreſſi ſunt. Erat autem pons penſilis, quem ultimò rapta virgo, quæ virginitatem partim precibus, partim feſtinata illa obſidione conſervaverat, armis indutis defenſuram ſe pollicebatur. Intentis autem piratis ad arcis vallum ab accurrentibus incolis tutandum, virgo hæc pontem dejecit, & contra quosdam, qui illud animadverterant, piratas, tanta conſtantia defendit, ut ſatis temporis agreſtibus daret in ſui auxilium accelerandi. Ponte capto facilis arcis expugnatio fuit. Piratæ ſexaginta capite plexi, & peregrinæ mulieres ſubmerſæ ſunt, raptis virginibus vita cum libertate conceſſa.


TERRITORIA
EŸDERSTEDE
Everschop
et
uthholm.
Viris Nobilib9, amplissimis, doctissimis & prudentissimis
Dn. Ioächimo Danckwerth,
Hæreditario in Höÿersworth, Sereniss. Celsit. Ærarÿ
præfecto dexterrimo Integerrimo, Fautori suo
multis nominib9 Colendo
Et
Dnõ. Augusto Luth, Fautori suo
Magno, Tabulam hanc Chorographicam
Eÿderostadiæ Officiosé dedicat author
Iohännes Mejerus
Husum. Reg. Maj. Mathematic9.
Anno 1648.
Matthias und Nicolas Pet. Goldtschmide gebr.
Husum sculps.
Milliare Germanicum
NORT STRAN DIÆ PARS
Heuer stroem
Eyder stroem
EVER SCHOP
UTH HOLM
EYDERSTEDE
DITMARSIA
AMBT SWABSTEDE
STAPEL HOLMIÆ
Husum
Milstede
FRIDRICHSTADT
TONNING
GARDING
Tatingh
Ording
Poppenbull
Oldenswort
Catrinherde
Cotzenbull
Lunden
Vollerwick
26 gr. et 10 min. Longit.



HELGOLANDIA INSVLA.

Origo.



INsulam hanc olim continenti Frisiorum terræ annexam fuisse, aliquorum verius conjectura est, quam certa opinio: qua autem ratione quove tempore ab eadem disjuncta sit, nullum uspiam indicii vestigium apparet. Nomen Insulæ paganorum tempore *Phoseæ*, sive *Terræ Fosetanæ*, *Fosteland* & *Phosteland*, à dea Fosta sive Phoseta omnibus Frisiis communi; dein S. Vrsulæ Insula dicta est, quæ hac in insula aliquandiu se detinuit: Tandem *Helgolandiæ* nomen obtinuit, Germanice *Helgoland, Helgerland, Heiligeland* & *Hilligeland*, ab Helgone Principe, qui aliquot ante Christum natum annos Iutiam Saxonibus rursus ademit, eique tres Principes dedit.

Nomen.

Divisio.

Dividitur nunc temporis in superiorem & inferiorem. Superior una & præceps tantum rupes est subrubicundi coloris, adeo aliquibus in locis excelsa, ut 160 cubitorum altitudinem exæquet. Hinc reliqua ex parte inaccessa, unum tantum aditum concedit inferiorem Insulam versus, qui optime munitus continuis quoque custodiis observatur ad arcendos hostium, si qui essent, incursus. Ipsa vero hujus superioris insulæ facies plana est, nisi quod sparsim quinque colles se efferant, & sesqui ulnam ad minimum, & tres ulnas ad summum arenosa & rubenti humo obducta. Inferior insula collibus quasi consita multo depressior est, cuniculorum abundantissima: habet tamen ad aquilonare latus scopulum ab albedine Album cognominatum, inter quem & superiorem Insulam intermedia est terræ portio in longitudinem magis declinans, 120 passus lata, tutum hyberno tempore ab utroque latere portum navigiis præbens. Iacet autem hæc Insula inter Frisiam & Slesvicensem Ducatum, satis longe à continente, ita ut sex mill. iter conficiendum sit, ostia Visurgis, Eyderæ, Heveræ & Albis adnavigare desiderantibus: unde amœnissimus, æstate præsertim, in circumjecta ex Insula loca prospectus patet.

Situs.

Magnitudo.

Extendebatur olim ante nongentos aut circiter annos in duo milliaria longitudinis & unum latitudinis: sequentibus autem temporum vicissitudinibus majorem partem Oceanus absorpsit, ita ut nunc vix milliare unum ambitus totius insulæ conficiat. Cælo fruitur clementi & salubri, non obstante incolarum pro insulæ magnitudine frequentia, quorum numerus ultra mille excurrit. Solum habet frumenti, pisorum fabarumque satis fertile, quibus tempore angustiarum diu incolæ famem defendere possent. Arbor tamen hic nulla, sed, quod mirum videri posset, veris & autumni tempore minorum avium magna copia invenitur, quæ reti captæ, vel bombardarum ictibus occisæ, Hamburgum magno cum incolarum lucro devehuntur & divenduntur. Equorum incolis nullus nisi ad laborem usus; oves ad lanienam pascuntur: vaccæ vero quotidianum ex lacte cibum iis subministrant. Oves in scopulo Albo, vaccæ & equi in superiori insula, sed religati pabulum quærunt, ad vitandum periculum, quod solutis manifestissimum è rupium præcipiti in mare decursu. Sic quidem gregibus æstate provisum: hyemali namque austeritate pascua negante Frisia, Eyderstadium fœnum, stramen & avenam insulæ communicant. Venenatorum reptilium in tota insula ne vestigium quidem, quod illi cum Hybernia commune: Piscium contra copia plurima, quibus capiendis & distrahendis, aut pro aliis mercibus commutandis incolæ victum quæritant, numerantur inter eos præcipui aselli majores & minores, anguillæ, cancri, rajæ, canes marini, &c. olim quoque halecum magnam capturam exercuisse ferunt, quam sua dein culpa insulani turbarunt & annihilaverunt.

Qualitas.

Olim, ut diximus, hæc insula plusquam tres quartas partes amplior pratis sylvisque abundabat, unde omnium rerum insulanis affluentia, quarum penuria nunc eos non modicum afficit. Lignum quippe & cespites ad alendum ignem ex Holsatia petere coguntur, non absque magnis impendiis. Hoc autem miraculo naturæ accenseri meretur, quod in tam exigua insula dulcis aquæ affatim reperiatur, cum undique aliquot mill. mari ambiatur. Præter privatorum fossas seu puteos duæ publicæ sunt, quarum major **die Saps-kuhle** dicta, quantumvis sicca æstate non deficit; jam longis hinc temporibus ideo celebris. In hanc jam alterum pedem imposuerat Radbodus Frisiæ Rex, cum audito maximam hominum, & maxime divitum, partem inferno mancipari, minimam vero cælestis gloriæ participem fieri, eum subito retraxit, cum plurimis damnari, quam cum paucis salvari satius existimans: in quem poëtria anonyma, satis eleganter pro sæculi istius rudi ignorantia, ita invehitur:

O jocus, ô dirum & tibi formidabile semper
Elogium, Radbode, tuum post tristia fata!

Et hæc quidem de ipsa Insula: de incolis porro adhuc aliquid dicendum est. Coloniam à veteribus Frisiis huc deductam, sunt qui certo affirment, quorum mores, lingua, vestium habitus & jura apprime cum nostris insulanis conveniunt. Tacitus primos hujus insulæ incolas *Phocos* sive *Fosos*, & *Gentem Phoseam* nominat; quos ultra 1900 annos eam inhabitasse, pro comperto habe-

Incolæ veteres.

HELGELANDIA
A° 1649.

Duo Milliaria Germanica.

MARIS CIMBRICI PARS

HELGELADT. in annis Christi 800. 1300 & 1649.

Virgæ 240 480

DE WEST SEE.

Septentrio

Meridies.

Oriens.

Occidens.

HELGE LANDT, ANNO 800.

HELGE LANDT, Ao. 1300.

Viris Nobilibus, Amplissimis, doctissimis ac prudentissimis, Dn. Eberhardo Weidenkopff, IUD. Sereniss. Celsitud. Consiliario, ac supremi dicasterij Gottorpiensis assessori,
Et
Dn. Eilhardo Schachten, Sereniss. ac Celsissimi Ducis Slesvici et Holsatiæ, in supremo Dicasterio Gottorpiensi secretario, fautoribq suis Observandis, Tabulam hanc Simul Chorographicam & Topographicam, perofficiosè dedicat author Iohannes Mejerq. Husum. Reg.æ Maj.is Mathematicq

Matthias und Clauß Petersen, G. S. gebr. Husumenß. sculps.

habetur. Nec hisce insulanis, quod reliquis populis omnibus accidit, ut relictis sedibus novas quærerent, sed sua insula contenti quieverint, nunquam à vicinis expulsi aut novis coloniis adaucti. *Mores.* Facile omnibus promiscue natura ingenium concessit & omnium rerum capax, ita ut nunc militis, aliquando mercatoris, iterum nautæ munere defungi possint. Plurimum tamen piscaturæ dediti, ultra 30 mill. in mare excurrunt, raro absque præda domum revertentes, sæpius nihilominus tempestatum furori vitæ cum periculo objecti. Hinc tanta iis habilitas in detegendis syrtibus & scopulis, ut plurimum ex Gallia, Italia, Hispania, Anglia & India venientium, & Albim Visurgimque fluvios subire cupientium navium duces asciscantur, ut maris vadosa loca linea sua, cui plumbum annexum, explorent. Non minor quoque insulanis promptitudo in jaculandis avibus, quas in aëre volantes bombardis suis magna cum adstantium admiratione dexterrime prosternunt. Vestium habitus viris cum vicinis nautis communis: fœmineus autem sexus inusitato & veteri Frisonum vestiendi modo adeo delectatur, ut mutare nunquam eam desideret; quare facillime à cæteris populis dignoscitur. Lingua incolarum à Frisiis derivata, sed multis exoticis vocabulis commixta, proprium quoddam loquendi idioma repræsentat, ita ut difficulter, immo vix à peregrinis intelligi possit.

Religio. Primus incolis cum reliquis ethnicis communis multorum deorum cultus fuit, quorum tribus Iovi, Vestæ & Fostæ magis quam cæteris nostri insulani addicti, totidem iisdem templa struxerant. Erant autem pectus clypeo, caput galea armati, pedes & brachia nudi, & in dorso alati. Cum autem Dagobertus Francorum Rex septimo fere post Christum natum sæculo Radbodum I, Frisonum Regem in auxilium contra Pipinum Brabantiæ Ducem implorasset, Radbodus magna cum suorum manu accurrens, ab hostibus prope Trajectum cæsus, & regno exutus in Insulam Helgolandiam refugit; ubi cum aliquamdiu commoraretur, submisit ei Pipinus Frisiorum Archiepiscopus S. Willebrordum cum duodecim suis discipulis, addito regio commeatu, ut inviolati forent, quo Radbodum Christianæ religioni initiarent. Cum dein S. Willebrordus Vestæ & Iovis templa diruisset, & tres Frisios baptismatis fonte Christo consecrasset, iratus Radbodus S. Wigbertum ense cædi jussit. Factum id anno 692. Anno autem 768 S. Ludgerus verbum Divinum insulanis explicans, totam Insulam Christo lucrifecit disjecto idolo Phosetæ, & fidelibus baptizatis. Tandem adeo eorum zelus incaluit, ut duo cœnobia primum, & dein anno 1010, novem Ecclesias insula habuerit, quæ postea ingruente Oceani vi submersæ perierunt. Vnde necessitate compulsi incolæ templum in media superioris insulæ parte ædificarunt, in quo nunc temporis Lutherana religio docetur.


Regimen. Paret hæc insula Duci Slesvicensi, cujus nomine partim ut præfectura, partim ut munimentum à Capitaneo administratur. Summa eidem cum adjunctis sex Senatoribus in civilibus quæstionibus decidendis authoritas; in criminalibus autem, ut & in casu Appellationis, ambæ partes ad Aulam Principis remittuntur. Præter scita Danica & Ius publicum, alia quædam sibi propria Placita habent; ad quæ in decisionibus primario respicitur: inter cætera illud maxime viget, ne quis peregrinus cum peregrina in hac insula connubium nectere, neve sedem figere possit: si vero alterutra persona in ea nata sit, liberum ipsis arbitrium permittitur, nullo intercedere auso. Dux Adolphus quoque singulari Insulanos privilegio, Iure nempe littorali, donavit, Germanis, das Strandrecht dicto, quo ab insequentibus Ducibus confirmato, non tam in suum commodum, quam mercatorum subsidium, utuntur.

Notabilia. Notandum autem videtur, apud collem Radbodi in Aquilonari portu, recidentibus ab impetu maris aliquibus terræ fragmentis, inveniri ibidem multos aliquando aureos, argenteos & æreos nummos, quos verisimile est veteres ethnicos defunctorum corporibus adjecisse; quemadmodum & nunc adhuc quidem Iudæi solent. Visitur quoque ad insulæ Occidentale latus scopulus à reliqua rupe disruptus, quem à similitudine monachi nomine insigniverunt; ut & alter minor paulo infra, der Marchstein appellatus, quod redeuntibus Hamburgo incolis quasi pharus sit, ad recte instituendum domum versus navigationis cursum. Est & ad idem latus specus, Piepershöll dicta, in qua multi sibili audiuntur, & fundum nullum inveniri creditur. Mirum autem maxime videtur, quod ingruente aliqua tempestate insulani flebili quadam voce præmoneantur, quæ ex ima terra in insulæ littore ad mare erumpit: quo in loco se forte aliquis incola ob quoddam negotium detinens, audito hoc ejulatu domum cucurrit, & arrepto ligone notatum ante locum effodit, sed pro thesauro carbones, ut ajunt, invenit.

PRÆ-

PRÆFECTVRA CHRISTIANPRIES, & DANISCH WOLDT.





Egio Sylva Danica, seu *Danisch Wold*, sita est inter Eckerenfordiensem sinum & Ducatum Holsatiæ, magna ex parte Angliæ & Schwantzæ similis, multisque Nobilium prædiis & pagis obsita. Nomen habet à Danis, quorum feudum, & ingenti sylva, cujus adhuc pars superat, *die Schnellemarck* appellata. Longitudo hujus regionis extenditur in duo & medium, latitudo autem in sesquimilliare. Terminatur ad Orientem mari Balthico & sinu Chilonico; ad Meridiem fluvio Levensaw & parte Eidoræ; ad Occidentem circulo Hutterharde, & ad Septentrionem sinu Eckerenfordiensi. Lingua utuntur indigenæ Saxonica. *Christian-Pries* munimentum à Christiano IV, Daniæ & Norwegiæ Rege, exstructum, anno 1637, non admodum amplum fuit, sed quatuor tantum propugnaculis circumdatum. Opinio regis fuerat, hoc munimento tutiorem hunc Ducatum, imprimis Holsatiam se reddi-

Slesvicum.

redditurum, ſed res optato caruit eventu. Quippe cum Suecorum Mareſcallus Campi Torſtenſonius hoc non magno præſidio firmatum fortalitium primo in Holſatiam impetu cepiſſet, Sueci exinde commodo ejus ſitu portuque optime frui ac uti ſciverunt. Poſtea tamen Regia Danorum claſſis Suecicam hoc loco maximas in anguſtias, & certiſſimam cladem adduxiſſet, nî ex Occidente erumpens turbo Suecos ex portu in apertum mare deduxiſſet, fruſtra renitentibus Danis, quorum Præfectus Petrus Gald hoc infortunium capite ſuo expiavit, poſt reditum in Daniam Haffniæ condemnatus. Anno 1648 munimentum Chriſtianpries (qua de cauſa ignoratur,) Regis juſſu dirutum eſt, divenditis quatuor Nobilium prædiis, quæ antea à Ranzoviis comparaverat.



INSVLA FEMEREN.




Nsula *Femeren* seu *Fimbria*, ab aliquibus *Cimbria parva*, quasi à Cimbris vocata, exporrigitur in duo & medium longitudinis, & unum latitudinis milliare, in circuitu octo milliaria complectens. Æstimatur cum urbe Burgo 290 jugeribus: qua excepta adhuc tres parochias continet. Regio tota plana est, vel adeo exiguis alicubi obsita collibus, ut quibusdam in locis tota insula prospectui objiciatur. Lacus in ea nulli sunt, sed unum tantum vepretum *Staberholtz* dictum; hinc & nulla fera excepto lepore. Agri porro fertiles frugum, fructuum ac leguminum, vicinis, qui in continenti sunt, non cedunt, excepto quod nullis rivis torrentibusve irrigentur; unde ficciore cœlo magna hic aquæ dulcis penuria insulani afficiuntur. Primus hanc insulam Slesvicensi Ducatui junxit Woldemarus Alter, eamque Fratri Abeli concessit. Dein Rex Ericus Glipping de ea controvertit cum Duce Erico Abelis Regis filio; stetitque hæc lis usque ad Woldemarum III, Ducem Slesvicensem, qui eam cum insulis Alsen & Arroë Regi Erico Menwid obtulit; quam tamen dein Rex Christophorus, ejus nominis Secundus, primùm Ioanni Holsatiæ Ducis fratri uterino oppignoravit, ac tandem in feudum concessit. Regitur à Præfecto, cui Ducalis Scriba adjunctus; subjecta tamen est inspectioni Præfecti Cismariensis & Oldenburgensis.

Vrbs Burgum, à castro quodam forte nomen habens, unica est in hac insula, satis vetustæ originis, Lubecensi jure pariter cum urbe Tonderen utens. Habuit ante aliquot annos portum, quem injuria maris advehendo limum arenamque obstruxit, ita ut naves nunc prope Glambecam appellant. Glambeca fuit olim arx, cujus dirutæ vestigia in valli murique fragmentis supersunt; eratque tunc temporis unicum hujus insulæ munimentum ad defensionem portus exstructum.

INSVLÆ ARROE, ROM, & MANDOE.





A*Rroë* insula extrema est Ducatus Slesvicensis in mari Balthico sita, longa duo & medium, lata vix medium milliare, nisi ubi in Orientale latus desinit. Montosa est hæc insula: habet tamen nihilominus agros feraces, sed exceptis leporibus nullas feras. Fert præterea multos & bonæ notæ equos, aliaque animantia domestica. Portus in ea sunt aliqui, quorum unus *das Nör* appellatur, in cujus lateribus duo olim castella fuere ad ejusdem defensionem exstructa. Optimus nunc portus est ad oppidum Hartzkoping, qui ab objacente insula Dreijeroë defenditur. Dux Woldemarus V, conjunxit iterum Ducatui Slesvicensi hanc insulam, postquam, ut supra diximus, Rex Ericus Glipping illam cum Insulis Femeren & Alssen Regno Daniæ voluisset annectere, suique juris facere. Sunt quoque aliæ minores circum hanc insulæ, quas ob earundem exiguitatem prætermimus.

Insulæ *Rom* & *Mandoë* longe olim majores & ampliores fuere ac nunc sunt, ita ut aliquo modo continenti annexæ fuerint. Sed idem illas fatum mansit, quod reliquas in vicinia, ut maris violentia ingenti sui parte detruncarentur. Hodie extenditur insula *Mandoë* ad 800 virgas Arithmeticas longit. lata circiter quingentas. Incolæ, quorum passim numerus ad 130 accedit, raram agriculturam, frequentiorem vero piscaturam exercent. Anno 1634 in majori illo diluvio tota, quod raro contigit, marinis fluctibus obruta fuit, eminentibus tantum arenosis collibus. Insula *Rom* major & sesquimilliare in longitudinem protensa est, latitudine medium milliare plus minus exæquante. Incolas habet prope mille quingentos: & ad Orientale latus egregia pascua, & duos mediocres portus· Pars una & major Haderslebiæ attributa; altera vero Ripensi Præfecturæ subdita est.



INDEX & ORDO TABVLARVM VOLVMINIS PRIMI.

ARCTICA.

EVROPA.

NORVEGIA, Lib. I.

DANIA, Lib. II.

SLESWIC.

IN-

INDEX
ALPHABETICVS
TABVLARVM
VOLVMINIS PRIMI.

ARCTICA.

EVROPA.

NORVEGIA, Lib. I.

DANIA, Lib. II.

SLESWIC.

